UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Rev. P. Francisci Josephi à Rodt Capuccini Anterioris Austriæ Provinciæ. Opus ...

Planctvs Ecclesiæ Et Animæ - Super Caput Primum Lamentationum Jeremiæ Prophetæ. Allegorice, Et Moraliter Expositus, & Distributus In Discursus LII. Concionatorios Quadragesimales ... ; Scilicet Liber Vitæ, Et Excessvs Amoris ...

Rodt, Franz Joseph von

Campoduni, 1680

urn:nbn:de:hbz:466:1-52659

Visual Library

Th. 2109.

Hb 259

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Rev. P. FRANCISCI

JOSEPHI à RODT

Capuccini Anterioris Austriæ Provinciæ.

OPUS IV.

Sive

PLANCTUS

ECCLESIÆ & ANIMÆ.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Ex. P. FRANCISCI

JOSEPH IARODT

Capucini Provinciæ Austriæ Pro-

vincia.

OPUS IV.

Sive

PLANCTUS

ECCLESIÆ & ANIMÆ.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN




PLANCTVS
Ecclesiæ et Animæ.
CONCIONES
De Planctu Ecclesiæ et Animæ
Auctore
P. P. Franc. Josepho à Rodt Capuc. Ant.
Typis Ducalis Monasterij Campidonensis. Anno MDCLXXX.
F. Hermann del.
C. A. Wolfgang. sc.

C
257

PLANCTVS ECCLESIÆ ET ANIMÆ.

Mrrÿ Abdinghoff ord: S. Benedicti paderbornæ

Super Caput Primum Lamentationum Jeremiæ Prophetæ.

ALLEGORICE, ET MORALITER

Expositus, & Distributus

In Discursus LII. Concionatorios Quadragesimales;

Qui

Ad integrum Dominicale, atque Festivale reduci possunt per Exordia pro singulis Festis, & Dominicis per annum apposita.

Quibus accesserunt geminæ Conciones de Passione Domini,

Scilicet

LIBER VITÆ, ET EXCESSVS AMORIS.

Cum quadrupli i Indice, 1. Propositionum & Thematum. 2. Concionatorio, pro singulis Festis & Dominicis per annum 3. Scripturarum, & 4. Rerum memorabilium.

Per

P. F. FRANCISCUM JOSEPHUM EX BUSMANSHAUSEN Ord: FFr: Min: S. Francisci Capuccinorum Provinciæ Anterioris Austriæ.

Cum facultate Superiorum; Et Priuilegio speciali S. Cæsareæ Maiestatis.

CAMPODUNI,

Per Rudolphum Dreher, ejusd. Ducalis Monasterii Typographum,

Anno Christi M. DC. LXXX.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

S. Augustinus Conf. lib. 5. c. 6.

Iam ergo abs te didiceram, nec eò debere videri aliquid verum dici, quia eloquenter dicitur, nec eò falsum, quia incompositè sonant signa labiorum: Rursum nec ideo verum, quia impolitè enuntiatur, nec ideo falsum, quia splendidus sermo est; sed perinde esse sapientiam, & stultitiam, sicut sunt cibi utiles & inutiles, verbis autem ornatis, & inornatis, sicut vasis urbanis, & rusticanis, utrosque cibos posse ministrari.

CELSISSIMO, ET REVERENDISSIMO, S. R. I. PRINCIPI DOMINO, D. IOANNI CHRISTOPHORO EPISCOPO AUGUSTANO.

Domino meo Clementissimo.

MUSICA *in luctu* (uti Siracides asserit) *importuna narratio*; quamvis enim (eodem teste) *vinum & musica lætificent cor hominis*, à turbidis scilicet tristitiæ nubibus serenatum, notat tamen bene Lyranus, quòd *Melodia non est conveniens lugentibus, quia non sunt dispositi ad gaudendum.* Lugentibus enim leves musicorum soni, & saltatorij fidium moduli, graves sunt & molesti,

Eccl. 22. v. 6.

Eccl. 40. v. 20.

Lyranus in Eccl. c. 22.

molesti, luctúmque in corde conglobatum, per antiperistasin adaugent.

Importuna, CELSISSIME, ET REVERENDISSIME PRINCEPS, narratio mihi videretur, si musicam, si leves ludicræ scenæ jocos, aut dissolutum *artis Rhetoricæ lepôrem* (ut verbis S. Hieronymi utar) intonarem, dum undiq; , in calamitosis hisce temporibus, non jucundum *Canticum Patruelis nostri*, Christi, Vineam (Ecclesiam) suam in loco uberi plantantis inauditur, sed universalis potiùs Planctus Agricolarum & Vinitorum: *Confusi sunt Agricolæ, ululaverunt Vinitores, super frumento, vino, & hordeo, quia periit messis agri; Vinea confusa est.* Hinc non jam resonant jucundæ Pastorum, in Dei Ecclesia, eclogæ, sed *vox clamoris Pastorum, & ululatus Optimatum gregis, quia vastavit Dominus pascua eorum, & conticuerunt arva pacis, à facie iræ furoris Domini.* Et quidem quò majores Diœceseos vineæ, eò ampliora hæresum, & zizaniorum theatra, & quò latiora pascua, eò funestiora cruentis bellis afflictarum ovium spectacula.

Hieron. Epist. 34. ad Iulianum.

Isa. 5. v. 1.

Ioël. 1. v. 11.

Ierem. 25. v. 36.

Quare lugentibus super Vineam, Ecclesiam, suam Vinitoribus, & plangentibus super gregem suum Pastorum Principibus, nunquid ergo vinitorum

torum cooperator minimus, & pastorum pedisse-quus infimus, importunam, in luctu, narrationem, musicam intonabo? Absit: quin imò illud mihi Ezechielis inculcari videtur: *Et tu assume planctum, super Principes Israel*, modernus enim, & lamentabilis Ecclesiæ status, *Planctus est, &* *erit in planctum*. Ezech. 19. v. 1. v. 14.

Ut igitur Tuo, REVERENDISSIME ET CELSISSIME PRINCEPS, qui amplissimæ Vineæ Augustanæ Præsul, ac Vinitorum Primas es, planctui me conformarem, PLANCTUM ECCLESIÆ, ex primo Threnorum capite per Jeremiam Prophetam, in allegorico sensu descriptum exorsus sum; utque tibi, (CELSISSIME PRINCEPS) Pastorum Principi condolerem, ovium lachrymabiliter balantium (animarum dico) planctum, in eodem capite moraliter à præfato Propheta adumbratum, exponere cœpi. *Et vocabit Dominus in die illa ad* Is. 22. v. 12. *fletum, & planctum*.

Siquidem autem eruditissimus Rabanus, verbi Dei præcones, non compunctioni, sed applausui populi intentos graviter inculpat, *cùm* (inquit ille) *Ecclesiæ panis, non sit panis ridentium, sed* Rabanus citat: in Com. Ecclesiast. 12 *flentium*, maximè tamen hoc in funestis temporum nostrorum conjuncturis est attendendum,

ubi nulla ridendi, sed flendi tantùm tempora apparent. Quidni igitur & ego cum plangente Ecclesia, lamentante Propheta, ac gementibus Pastoribus, ac Vinitoribus in planctum erumpam? *Assumam fletum, & lamentum.*

Jerem. 9. v. 10.

Hunc ergo meum de Ecclesia in allegorico, & de Anima in morali sensu erumpentem Planctum, Tibi Reverendissime, et Celsissime Princeps, in genua provolutus, humillimè offero, ac dedico, me, meámque paupercu-

Hebr. 13. v. 20.

lam Religionem, suppliciter commendans. *Deus autem pacis, qui eduxit de mortuis Pastorem magnum ovium, in sanguine testamenti æterni*, ipse

Apoc. 21. v. 4.

abstergat *omnem lachrymam, & mors ultrà non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultrà*, usquedum evanescente allegoriæ umbra, & superatis militantis (aut pene patientis dixerim) Ecclesiæ ærumnis, & planctibus, anagogicis elevationibus ad triumphantis Ecclesiæ tripudiantem musicam & gaudium, proscripto omni luctu, & absterfis lachrymis, transeamus. Interea longævam exoptans, ex infimo cordis affectu, prosperitatem, ac vitam, maneo

Rev^mæ & Ill^mæ Celsitudinis Tuæ

Servus humillimus & infimus
F. Franc. Joseph Capuc. ind.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

FACULTAS

M. REV.mi P. GENERALIS.

Nos Frater Bernardus à Portu-Mauritio, totius Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci Capuccinorum Generalis Miniſter, licet immeritus.

OPus, cui Titulus eſt, Planctus Eccleſiæ, & Animæ, à Rev. P. Franciſco Joſepho, Conſtantienſi Definitore & Concionatore Capuccino *compoſitum, à tribus Theologis, Divi Noſtri Ordinis, quibus id commiſimus, relectum & approbatum, ut typis mandari poſſit, ſervatis, ſervandis, tenore præſentium facultatem concedimus; in quorum fidem* &c. Datum Romæ, Die 20. Maij 1679.

F. Bernardus qui ſupra.

APPROBATIO.

Rev. P. Isaiæ Ehingani, Guardiani Veldkirchensis, & Definitoris, & A. V. P. Alexij Constantiensis Lectoris SS. Theologiæ ibidem.

JUbente Rev. P. Perfecto Constantiensi, Provinciæ nostræ Anteprioris Austriæ Ministro Provinciali, nos infrà scripti studiosa lectione, ac diligenti examine revisimus *Opus Prædicabile* seu *Discursus sacros de Planctu Ecclesiæ & Animæ*, unà cum *duabus Passionibus de libro vitæ & divini amoris excessu, à Rev. P. Francisco Iosepho ex Busmanshausen*, Concionatore, ejusdémque Provinciæ Diffinitore, in usum prædicatorum verbi Dei ingeniosè elaboratos; Nec solùm non offendimus à nostra fide Orthodoxa, sana doctrina, aut probis moribus aliquid devium, sed potiùs eruditione ac efficaci moralitate abundè refertos, atque ad reformandos mores singulariter utiles, ut ad votum Auctoris *Ecclesiæ & Animæ Planctus* convertatur in gaudium. Quos proinde pro bono publico fidelium, totiusque non modò Seraphicæ Religionis Nostræ, sed & Ecclesiæ ornamento, luce, ac prælo quàm maximè dignos judicamus. *Veldkirchij 16. Aprilis Anno 1679.*

F. Isaias Ehinganus Caput.
F. Alexius Constantiensis Caput.

APPRO-

APPROBATIO.

A.V.P. Abundij Friburgenſis Nuith: SS. Theologiæ Lectoris & loci Vicarij.

PLanctum *Eccleſiæ & Animæ, à Rev. P. Franciſco Joſepho ex Buſmanſhauſen* Provinciæ noſtræ Anterioris Auſtriæ Fratrum Minorum Capuccinorum Concionatore, Guardiano & Diffinitore, pulcherrimis conceptibus, doctiſſimiſque eruditionibus in Sacræ Scripturæ, ſanctorum Patrum, graviumque Doctorum auctoritate fundatis, Prophetico lamentantis Jeremiæ ſpiritu artificiosè formatum, non ſine interna animi erga Eccleſiam & Animam ad compaſſionem, commotione, ne dum audivi, ſed (quod mirum eſt) perlegi: in quo cùm nihil vel à fide Catholica alienum, vel probis moribus adverſum offenderim; imò ad excitandam in animis fidelium pietatem, Religionis zelum, verbique divini præconibus ſubminiſtrandam pro concionibus habendis, quavis ſe offerente occaſione, materiam opportunam aptiſſimum invenerim: ideò ut ad omnium aures manuſque maximo cum animarum fructu, ac communi Eccleſiæ bono evolare & reſonare valeat, publicæ luci exponendum cenſeo. In quorum fidem manu propria ſubſcripſi. Conſtantiæ 16. Cal. Junij Anno 1680.

F. Abundius Capue. Friburgenſis Nuith:
SS. Theologiæ Lector & loci Vicarius.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

PRIVILEGIUM CÆSAREUM.

Cum Facultate R. P. Provincialis FF. Minorum Capuccinorum Provinciæ Anterioris Austriæ.

EGo *infra scriptus Fratrum Minorum Capuccinorum Provinciæ Anterioris Austriæ nuncupatæ Minister Provincialis, iuxta Privilegium officio meo concessum, quo Typographis omnibus, & Bibliopolis prohibetur, ne libros ab eiusdem nostri Ordinis Patribus compositos, absque Superiorum permissione imprimant, ac distrahant, concedo, ac permitto,* Ducalis Monasterij Campidonensis Typis, *imprimi Opus Concionatorium,* Planctus Ecclesiæ, & Animæ, *intitulatum, Auctore* P. F. Francisco Josepho ex Busmanshausen, ejusdem Provinciæ nostræ Definitore *compositum, & auctoritate M. R. P. Generalis nostri Bernardi à Portu-Mauritio legitimè censuratum, & approbatum, ac præfatæ* Typographiæ Campidonensi *Ius usurpandi* Cæsarei Privilegij *Anno 1674. 7. Maij, Laxenburgi, Ordini nostro concessi, eatenus indulgeo, ut eodem* Ducali Monasterio *inuito, nemo Opus hoc sive ex toto, sive ex parte recudere, & intra fines Sac: Rom: Imperij, aut in hæreditarias S. Cæsareæ Maiestatis Provincias importare, aut venum exponere præsumat, prout hæc omnia latiùs in ipso Originali exponuntur. In cuius rei fidem has litteras manu meâ subscriptas, & consueto officij mei Sigillo munitas dedi, Marchiobadæ in Conventu nostro. Die 12. Sept. Anno 1679.*

F. Perfectus Constant. Ord. FF Min. Capuccinorum Provinciæ Anterioris Austriæ, P. t. Minister Provincialis, licet indignus.

INDEX

INDEX DISCURSUUM.

In Planctum Ecclesiæ, & Animæ.

De Ecclesia. *De Anima.*

Aleph.

Quomodo sedet sola civitas plena populo, facta est vidua, domina gentium, Princeps populorum facta est sub tributo. *Thren. 1. v. 1.*

Discursus I.

Ecclesia civitas Dei ex confluentia gentium olim plena populo, modò sedet sola, & quasi vidua, ob plurimos à fide deficiétes.

Discursus II.

Anima amisso Deo etiam in multitudine, sola est, & quasi vidua.

Beth.

Plorans ploravit in nocte. *Thr. 1. v. 2.*

Discursus III.

Deplorat noctem hæresum & errorum exortorum.

Discursus IV.

Lamentabilis & deploranda nox, & cæcitas animæ peccatricis.

Ghimel.

Migravit Judas propter afflictionem, & multitudinem servitutis. *Thr. 1. v. 3.*

Discursus V.

Hæretici præceptorum divinorum, sed maximè vitæ Monasticæ servitutem nec ferre, nec capere possunt, & hujus quidem amplectendæ motiva proponuntur.

Discursus VI.

Anima peccatrix rarò in primo peccato sistit, sed cadere incipiens de peccato in peccatum labendo migrat.

Daleth.

Viæ Sion lugent, eò quòd non sint, qui veniant ad solemnitatem: omnes portæ ejus destructæ. *Thr. 1. v. 4.*

Dis-

Discursus VII.

Luget, quòd tam pauci per viam virtutis ad perfectionem ascendant.

Discursus VIII.

Intrant hostes per portas sensuum externorum, qui animam devastant, & squalore replent.

He.

Facti sunt hostes in capite ejus...parvuli ejus ducti sunt in captivitatem. *Thr.1.v.5.*

Discursus IX.

Plangit parvulos, magnatum maximè, & præpositorum scandalis in ruinam trahi.

Discursus X.

In capite, id est, in juventute in captivitatem redacta, vix mala consuetudine circumvallata liberationem sperare potest.

Vau.

Facti sunt Principes ejus, velut arietes non invenientes pascua. *Thr.1.v.6.*

Discursus XI.

Deplorat, quòd Principes & Pastores tam sæculares, quàm spirituales, non officij sui professioni, sed tantùm pascendis sibi ipsis attendant.

Discursus XII.

Terrenis pasta illecebris non potest invenire pascua consolationis cœlestis.

Zain.

Viderunt eam hostes, & derisérunt sabbata ejus. *Thr.1.v.7.*

Discursus XIII.

Sabbata, festa, & solemnitates in Ecclesia Dei fiunt hostibus contemptibiles, eò quòd fideles ut plurimùm non vacent Deo, sed otio, lusibus & petulantijs.

Discursus XIV.

Animæ peccatrici non datur sabbatum, quies, sive sessio in hoc mundo.

Heth.

Peccatum peccavit Jerusalem, propterea instabilis facta est. *Thr.1.v.8.*

Discursus XV.
Ecclesia in fide stabilis, instabiles tamen deplorat fideles suos, à primævæ Ecclesiæ fervore multùm recedentes.

Discursus XVI.
Anima à Deo recedens instabilis, & inquieta.

Ther.

Sordes ejus in pedibus ejus, nec est recordata finis sui. *Thr.1.v.9.*

Discursus XVII.
Plangit Ecclesia, Christianos non ampliùs erubescere de sordibus peccatorum.

Discursus XVIII.
Finis ultimus animæ rationalis est Deus diligendus & fruendus, quo neglecto, homo toto cœlo aberrat.

Iod.

Manum suam misit hostis ad omnia desiderabilia ejus, quia vidit gentes ingressas sanctuarium suum, de quibus præceperas, ne intrarent in Ecclesiam tuam. *Thr.1.v.10.*

Discursus XIX.
Deplorat, nullam Ecclesiis haberi reverentiam, in quas immundæ gentes, id est, concupiscentiæ, & carnales sensus ingrediuntur.

Discursus XX.
Quibus anima bonis per peccatum spolietur.

Caph.

Omnis populus ejus gemens, & quærens panem, dederunt pretiosa quæque pro cibo, ad refocillandam animam. *Thr.1.v.11.*

Discursus XXI.
Deplorat Ecclesia populo suo in tam multis Europæ partibus, non tam panem verbi Dei, quàm SS. Eucharistiæ subtractum.

Discursus XXII.
Anima peccatrix pro vilissimo terrenæ consolationis cibo, pretiosissima sua largitur.

Lamed

O vos omnes, qui transitis per viam, attendite & videte, si est dolor, sicut dolor meus? *Thr.1.v.12.*

Discursus XXIII.

Transeunt omnes status, & vulneratam Ecclesiã prætereunt, nec est, qui munus Samaritani obire velit.

Discursus XXIV.

Dolor sive contritio animæ pœnitentis, qualis & quàm efficax sit.

Mem.

De excelso misit ignem in ossibus meis, & erudivit me. *Thr.1.v.13.*

Discursus XXV.

Ex mala pastorum vita, non est rejicienda bona eorum doctrina.

Discursus XXVI.

Tribulatio est schola, in qua in omnibus scientijs boni à malis exercentur & erudiuntur.

Nun

Vigilavit jugum iniquitatum mearum, in manu ejus convolutæ sunt, & impositæ collo meo ...dedit me dominus in manu, de qua non potero surgere. *Thr.1.v.14.*

Discursus XXVII.

Ingemiscens Ecclesia timet, ne flagellis à Deo immissis non emendata, adhuc gravioribus opprimatur, de quibus non possit surgere.

Discursus XXVIII.

Anima pœnitentiam differens, semper difficiliorem inveniet conversionem.

Samech.

Abstulit omnes magnificos meos Dominus de medio mei...Torcular calcavit Dominus virgini filiæ Juda. *Thr.1. v.15.*

Discursus XXIX.

Plangit Ecclesia, se tumultuosa

Discursus XXX

Graviter punit Deus peccata etiam

& inquieta ambitione per magnificos suos turbari, & periclitari tempestatibus per eam exortis'.

Discursus XXXI.

Gemit Ecclesia, à magnificis', suis punctum honoris, non in generosis, & virtuosis, sed vitiosis actibus & vanitatibus poni.

etiam levia, ut gravia punienda, gravissimè agnoscamus, & horreamus'.

Discursus XXXII.

Fuit misericordiæ, quòd Deus hominem in statu lapso fecit mortalem, ut à torcularibus miseriarum liberationem citiùs sperare posset.

Ain.

Idcirco ego plorans, & oculus meus deducens aquas, quia longè factus est à me consolator, convertens animam meam. *Thr.1.v.16.*

Discursus XXXIII.

Fons aquæ vivæ Christus, ad nos salvandos, lavandos, & sanandos, sed plangit Ecclesia, quòd eo neglecto curramus ad cisternas dissipatas.

Discursus XXXIV.

A Christo & Ecclesia docti flere, scire debemus, ex quibus causis nobis sit flendum, quæ quidem sunt gravissimæ.

Phe.

Expandit Sion manus suas, non est, qui consoletur eam, mandavit Dominus adversum Jacob in circuitu ejus hostes ejus, facta est Jerusalem quasi polluta menstruis inter eos. *Thr.1.v.17.*

Discursus XXXV.

Extendit populus ad Deum manus in oratione, sed quare non exaudiatur?

Discursus XXXVI.

In necessitatibus non ad mundum, carnem, aut dæmonem, qui juvare non possunt, sed ad Deum extendendæ sunt manus.

Discursus XXXVII.

Quàm periculosa sit societas' malorum, maximè hæreticorum.

Discursus XXXVIII.

Anima per peccatũ fœdè polluta per pœnitentiã recuperat pristinam pulchritudinem. *Sede,*

Sade.

Justus es Domine, quia os tuum ad iracundiam provocavi. *Thr.1.v.18.*

Discursus XXIX.

Os Domini (Prædicatores veritatem annuntiantes) mundus persequitur.

Discursus XL.

Magna animæ peccatricis insipientia, quæ mala sibi, per os Domini toties annuntiata non præcavens, accepta demum damna deplorat, serò sapiens cum Phrygibus.

Coph.

Vocavi amicos meos, & ipsi deceperunt me. *Thr.1.v.19.*

Discursus XLI.

Deplorat Ecclesia falsitatem amicorum (Christianorum) per quos tam ipsa Ecclesia quàm proximus decipitur.

Discursus XLII.

Anima peccatrix amicos sibi facit mundi delitias, divitias, & honores, à quibus in morte decipietur, quia eos sibi sentiet factos inimicos.

Res.

Vide Domine, quoniam tribulor, conturbatus est venter meus, subversum est cor meum in memetipsa, quoniam amaritudine plena sum; foris interficit gladius, & domi mors similis est. *Thr.1.v.20.*

Discursus XLIII.

Plangit Ecclesia, quòd mundus totus, quasi horridum sit desertum.

Discursus XLIV.

Cor peccatoris horridum desertum, in quo avidè venatur Deus.

Discursus XLV.

Ecclesia olim per unitatem fidelium celeriter, & feliciter ædificata, plangit se modò per discordiam destrui.

Discursus XLVI.

Amaritudo & angustiæ animæ in morte, è corpore egressuræ, per amaram Christi passionem mitigantur; annectuntur aliqua pia exercitia pro felici morte.

Schin.

Schin

Audierunt, quia ingemiſco ego, & non eſt, qui conſoletur me, omnes inimici mei audierunt malum meum; lætati ſunt, quoniam tu feciſti. Adduxiſti diem conſolationis, & fient ſimiles mei. *Thr.1.v.21.*

Diſcurſus XLVII.

Nunquam in Deo diffidendum, qui ad extrema ſe reſervat, & in caſibus deſperatis ſuccurrit.

Diſcurſus XLVIII.

Pœnitentia & Confeſſio Sacramentalis, præſertim ſi frequens ſit, roborat animam, & debilitat inimicos, paſſiones, & malas conſuetudines ejus, quibus capta fuerat.

Diſcurſus XLIX.

Dolet Eccleſia, quòd nemo alterum ſupportare, & compati velit.

Diſcurſus L.

Deus miſericors, omnibus quantumvis enormibus peccatoribus miſericordiam exhibere paratiſſimus eſt.

Thau

Ingrediatur omne malum eorum coram te, & vindemia eos, ſicut vindemiaſti me, propter iniquitates meas, multi enim gemitus mei, & cor meum mœrens. *Thr.1.v.22.*

Diſcurſus LI.

Sicut peccata attrahunt, ſic pœnitentia avertit pœnas temporales.

Diſcurſus LII.

Magnum animæ è corpore ſolutæ erit gaudium de ſuperatis periculis.

Liber Vitæ & Lamentationum.

Vidi supra thronum librum scriptum intus & foris signatum sigillis septem. *Apoc.5.v.1.*

Pars prima, Aperiuntur sigilla. *fol.456.*
Pars secunda, Liber vitæ sub prælo ponitur & ligatur. *fol.462.*
Pars tertia, Expediuntur reliqua, scilicet censura, Frontispicium, Index, Compendium, Dedicatio &c. *fol.* 470.

Excessus Amoris.

Quem Christus in sacratissima sua passione complevit, Concionaes duæ pro Feria quinta & sexta. *fol.* 491.



PLAN-

PLANCTUS
ECCLESIÆ, ET ANIMÆ,
PROOEMIUM.



AD literam, planctus Jeremiæ, in Threnis ipsius lamentabiliter effusus, miserabilem, ac lamentabilem Regiæ, & sanctæ Civitatis Jerosolymitanæ devastationē per Nabuchodonosorem sub Sedecia Rege factam exprimebat. Quare Propheta dolore ac commiseratione plenus, in hæc erupit verba: *Quomodo sedet sola Civitas plena populo? Facta est quasi vidua, Domina gentium!*

Loquitur de Civitate Jerusalem, tanquam de angustiatâ, ad mortem usque afflictâ, & tristi viduâ, quæ sedeat humiliata in terra, de sublimi dignitatis, ac fælicitatis suæ throno, dejecta & abjecta, derelicta & sola, civibus & incolis suis viduata, quæ priùs plena populo, non tam numeroso civiū, quàm ipsius Regis incolatu splendebat; miserabilis ergo Regiæ hujus Civitatis, totiúsque populi casus, & deploranda patriæ facies, afflictum Prophetæ animum ad planctum istum, & lamentationes commovit.

Quamvis in his, non solâ contentus literâ, altiora mysteria in sensu morali æquè, ac allegorico recondita,

Spiritus ſanctus intenderit, devaſtatæ Civitatis Jeruſalem ruinâ, ipſius Eccleſiæ afflictionem allegoricè, & deſolationem Animæ peccatricis moraliter adumbrans. Unde primum Lamentationum verſum optimè his verbis Interlinearis gloſſatur: Quomodo ſedet ſola Civitas, *Ieruſalem, vel anima, vel Eccleſia.*

Gloſſa Interlin.

Literalem ruinæ Jeroſolymitanæ deſcriptionem, & planctum ego hîc proſequi non intendo, ſed ad Moralē animæ, & Allegoricum Eccleſiæ planctum exponendū me converto, ſtylo quidem humili & ſimplici, ſtatum ac Profeſſionem meam decenti, abſque verborum phalerato ornatu, & phraſium fucato colore, quippe

Non eſt conveniens luctibus iſte color

Sententias Patrum, & Expoſitorum, ad ſolidam propoſitionū probationem, frequentiores, & ſubinde longiores poſui, iniquum ratus, aurea ſanctorum Patrum verba, & auctoritates mutilare, judicio interim ac diſcretioni ſacri oratoris relinquens, ita auctoritatum, ac ſententiarum copiam moderandi, ut nec materiæ debita deſit probatio, nec memoria eloquentis, aut patientia auditoris ſententiarum longitudine obruatur.

Ut etiam *Diſcurſus* iſti pro integro *Dominicali* ac *Feſtivali* inſervire poſſint, adieci brevia in ſingulas Dominicas & Feſta, Exordia. Valeat benevolus lector, & erroribus tam meâ, quàm Typographi culpâ irrepturis compatiens, Deum pro me pauperculo exoret.

DIS-

DISCVRSVS I.

Aleph.

Quomodo sedet sola Civitas, plena populo, facta est quasi Vidua Domina gentium. *Thren. c. 1. v. 1.*

DE ECCLESIA.

Ecclesia, sponsa & Civitas Dei, copiosis iucundata filiis, & plena populo, sedet modò quasi sola, & quasi vidua, ob plures à Fide deficientes.

1.

Nuptiæ decet gaudium.

NUptiæ festivâ non solùm pompâ, & frequenti amicorũ concursu, sed etiam publicâ aguntur lætitiâ, in nuptijs enim omnis luctus exulare jubetur, ut solum gaudium obtineat locũ, neque hoc, ullo tristitiæ genere interrũpere debet, vel spõsus, vel amici sponsi. Unde & ipsa Dei sapientia testatur: *Nunquid possunt filij sponsi* (id est, amici familiares, & intimi, spõsi.) *lugere, quãdiu cum illis est sponsus?* Absit. Non enim lugendi, sed gaudendi tempus est in nuptijs. Cùm verò sponsus non solùm ab amicis, sed etiam ab ipsa aufertur sponsa, vel per divortij separationẽ, vel mortis violentiam, tunc non ampliùs tempus, & locus est gaudij, sed solius mæroris non tam sponsæ, jam viduæ, quàm amicis sponsi. Sic contigisse legimus filijs Jambri, qui magnis institutis nuptijs, *sponsam adduxerunt ex Madaba, filiam unius de magnis principibus Chanaan cũ ambitione magna*; His magno cum apparatu, ac jubilo, cum tympanis & musicis obviam processit sponsus & amici, fratrésque ejus, quos ex insidijs aggressi Machabæi occiderunt, vix relicto cladis nuntio. *Et conversæ sunt nuptiæ in luctum, & vox musicorum ipsorum in lamentum*

Matth. 9. v. 15.

Ablato sponso.

1. Mach. 9. v. 37.

Nuptiæ convertuntur in luctum.

lamentum. Nam cæso sponso, & amicis ejus, quid nisi planctus & luctus restat desolatæ viduæ, & amicis ejus?

Deus Pater Ecclesiam filio copulavit Matt. 23. v. 1. Glossa Interlin.

Fecit cælestis Pater nuptias Filio suo Unigenito, nempe (juxta Glossæ Interlinearis expositionem) *per Incarnationis mysterium Ecclesiam filio copulavit.* Et misit servos suos vocare invitatos ad nuptias, summo cum gaudio celebrandas, non enim possunt filij sponsi, multò minùs ipsa lugere sponsa, quamdiu cum illis est sponsus. Sed videtur modò nuptias conversas esse in luctū, dum ad lugubrem viduitatis statum dejecta est sponsa & olim plena populo & filijs, jam sedet sola, & quasi vidua, Ecclesia, quæ Domina erat gentium, pluribus scilicet à fide deficientibus, prout in sequentibus fusiùs declarabo.

Ecclesia facta quasi vidua.

II.

Abstinere quidem quàm maximè jussi erant Hebræi à mulieribus alienigenis, & Idololatris, nihilominus infirmitati eorum compatiendo, concessit illis Deus, ut si in numero captivorum mulierem pulchram viderint, ejúsque amore capti, uxorem habere voluerint, *introducant in domum, quæ radet Cæsariem, & circumcidet ungues, & deponet vestem, in qua capta est, sedénsque in domo tua, flebit Patrem & Matrem suam uno mense, & postea intrabis ad eam, dormiésque cum illa, & erit uxor tua.* Trahit quidem Lyranus in Glossa, & sensu morali, hunc passum ad animam peccatricem, quæ quidem pulchra, ratione imaginis, sed captiva, ratione vitiorum, à Christo in sponsam expetitur, non tamen ad sponsi thalamum admittenda, nisi depositis vitiorum vestibus & malis habitibus, ac rasis, & circumcisis circumstantijs, & occasionibus peccandi; Verùm non minùs hæc ad sensū allegoricū de Ecclesiâ ex gentibus electâ, & Dei Filio desponsatâ trahi possunt; Licet enim Christus, discipulis in viam gentium abire prohibuerit, & mulieri Chananææ objecerit, inconveniens omnino esse, auferre filijs panem, & dare canibus; nihilominus captus, ac superatus amore captivæ gentilitatis, sibi desponsare, & uxorem habere voluit Ecclesiam ex gentibus selectam, hac tamen conditione, ut raderet (*Novaculâ Verbi Dei*, Glossatur Interlinearis) Cæsariem, *superflua, ut poetarum figmenta, Item, omne peccatum infidelitatis*, & circumcidet ungues *Crudelitatem, vel rapacitatem*; & deponet vestem in qua capta est, scilicet, *Pristinum errorem, cultum idololatriæ, circumstantias falsitatis, vel vanitatis*, sedénsque in domo tua flebit patrem & matrem, *Errorem, diabolum, & humanam curiositatem*, dormiésque cum illa, *ut spiritualem prolem gignas*, Et erit uxor tua. Hac ergo ratione Ecclesiam ex gentibus desponsavit sibi Dei Filius, qui tamen Judaicam

Sic Ecclesia ex gentibus.

Glossa Interlin.

A Christo in uxorem ducta.

Mulier gentilis ducenda in uxorē.

Deponat vestem, & cæsariem.

Cui Synagoga erat odio

cam Synagogam sibi pridem elegerat, ac copulaverat uxorem, jam sibi pene ingratam, & odiosam.

III. Deut. 21. v. 15. *Ecclesia uxor dilecta.*

Mandat in eodem Deuteronomij capite Deus: *Si habuerit homo uxores duas, unam dilectam, & alteram odiosam, genueritque ex eis liberos, & fuerit filius Odiosæ primogenitus,... Non poterit filium dilectæ facere primogenitum.* Quòd Deus Pater Filio suo nuptias fecerit, jam supra audivimus, hic tamen uno festo nuptiali, & una uxore non contentus, duas duxisse videtur. Ita in hunc locum testatur glossa ordinaria. *Christus sibi duas uxores, populum scilicet Judæorum, & gentium conjugij copulavit nomine; Odiosa, est synagoga, semper contentiosa, durâ cervice, incircumcisa corde: Dilecta, Gentilis; Sed non potest filium dilectæ, præferre filio odiosæ, id est, Ecclesiam de gentibus, & filios ejus præferre Apostolis.* Idem confirmat glossa moralis, quæ ait: *Hominis Christi duæ sunt uxores, scilicet Judæa & gentilitas; Judæa facta est odiosa, quia pro majore parte remansit in infidelitate. Gentilitas, verò facta est dilecta, quia fidem Christi recepit d. votè.* Tamen Christus, vi legis antiquæ, non potuit Filium dilectæ facere Primogenitum, & præferre filio odiosæ: *Per quod significatur, quòd nullus de gentilitate renatus in Christo, præpositus est Apostolis in donis gratiæ, & gloriæ, &c.* uti glossa moralis concludit.

Filij odiosæ, Apostoli

Glossa moralis. *Tanquã Primogeniti, gentibus præponuntur.*

Licet autem Dei Filius Jus Primogenituræ reservaverit sanctis Apostolis, tanquam filijs prioris uxoris Odiosæ, sclicet synagogæ, tamen ipsam odiosam in tantum rejecit ob duram ejus cervicem, ut ab ipsius amplexu se penitus abstrahens, soli Ecclesiæ ex gentibus posthac adhæsisse videretur, nunquam ab ea separandus, ex qua copiosam prolem, cum ea dormiens, procreavit.

IV. Gen. 2. v. 21. *Formatio Euæ*

Hoc in figura gestum est, dum *Immisit Dominus Deus soporem in Adam*, quod ita exponit Glossa Interlinearis: Immisit Deus *Pater*, in Adam, *Christum scilicet*, soporem, *per mortem Crucis.* Cúmque obdormisset, tulit unam de costis ejus, *Ecclesia in Christo est fortis*, & replevit carnem pro ea, *Quia Christus pro Ecclesia infirmus*, vel (ut eadem Interlinearis glossatur) *Posuit carnem pro ea, scilicet Christus moriendo pro Ecclesia.* Et ædificavit, Dominus Deus costam, quam tulerat de Adam in mulierem, & adduxit, *Per Fidem*, eam, *Ecclesiam*, ad Adam, *Christum.* Dixit Adam: Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea, *Quia Ecclesia Corpus Christi. Ex carne ejus constans, id est, ex infirmis, & ex ossibus, id est fortibus membris.* Hæc vocabitur virago, *sicut à Christo Christianus nomen datum est Ecclesiæ*, quia de viro sumpta est, de Christi latere, Quamobrem relinquet homo, *Verbum Carofactum, formam servi accipiens,* Patrem

Glossa Interlin.

Figura Ecclesiæ.

Coniunctio Christi cum Ecclesia

Patrem suum, *Exivi à Patre, & veni in hunc mundum*, & Matrem; *synagogæ observantiam*, & adhærebit uxori suæ, *id est Ecclesiæ*; Et erunt duo, *Christus & Ecclesia*, in carne una, *Quia unum Corpus, Christus & Ecclesia.*

Est inseparabilis.

Cùm ergo tam mirabili copulatione Christus fuerit conjunctus dilectæ suæ Uxori, Ecclesiæ, mirum non est, quòd ab ea in æternùm se separari non patiatur, sed adhærebit uxori suæ. Pro hujus inseparabilis conjunctionis indubitata confirmatione, nullum in lege nova Christus admisit divortium, ut repudiatâ uxore legitimè sibi copulatâ, quis alteri posset adhærere, quacumque ex causa; *quod* enim *Deus conjunxit, homo non separet.* Quare indissolubilem conjugum conjunctionem, Sacramentum magnum vocat Apostolus, ob irrevocabilem Christi cum Ecclesia desponsationem. *Sacramentum hoc magnum est: ego autem dico vobis in Christo & in Ecclesia.*

Mat. 19. v. 6.

Cuius typus est Sacramentũ matrimonij.

Ephes. c. 5. v. 32.

Porro sicut *vocavit Adam nomen uxoris suæ, Heva, eò quòd mater esset omnium viventium*, Ita Matrem omnium viventium vocavit & fecit Christus Ecclesiam, ut nemo vitam animæ suæ, nisi in ipsa renatus, habere se posse confideret, & omnis ab ea separatus, & vitam & hæreditatem se perdidisse nosset. Et veluti Deus creatis Adamo, & adjutorio ejus, Hevæ, benedixit: *Crescite & multiplicamini, & replete terram*, ita hanc crescendi benedictionem uberrimè Christo & Ecclesiæ contulit Cælestis Pater, quorum filij celerrimè & mirabiliter multiplicati, habebant cor unum, & animam unam, in unum Corpus Christi tanquam membra, & in unam Civitatem Jerusalem, tanquam Lapides vivi, ædificati.

Gen. c. 3. v. 20.

Gen. 1. v. 28.

Ecclesiæ fertilis.

Hinc bene Apocalyptica illa Aquila, Ecclesiam Dei non tam sub sponsæ, quam Civitatis figurâ sibi demonstratam testatur: *Et ego Ioannes vidi sanctam Civitatem Ierusalem, novam descendentem de cælo à Deo, sicut sponsam ornatam viro suo.* Quamvis autem hanc sponsam & Civitatem novam Cornelius & alij intelligant Ecclesiam triumphantem, tamen Venerabilis Beda & alij de ipsa Militante, & quidem Romanâ, electâ ex gentibus Ecclesia intelligunt, hæc enim nova Jerusalem, quæ veteri synagogæ successit.

V. Apoc. 21. v. 2.

Ecclesia Civitas.

Convenientissimè autem, non tam sponsa, quàm Civitas vocatur Ecclesia, de qua Jeremias: *Hæccine est urbs perfecti decoris, gaudium universæ terræ?* Urbis hujus fundamenta erant Apostoli, Primus autem, & Angularis ipsius fundamenti Lapis, Christus Jesus, prout Apostolus scribit ad suos Ephesios: *Superædificati super fundamentum Apostolorum, & Prophetarum, ipso summo Angulari Lapide, Christo Iesu.* Hic est Lapis ille angularis, qui facit utraque unum,

Thren. 2. v. 15.

Ephes. c. 2. v. 20.

Christus Lapis angularis.

unum, Gentilitatem scilicet cum Synagoga in unam conjungens & ædificans Ecclesiam, qui etiam alio respectu sacræ hujus structuræ, & mysticæ Civitatis Murus simul, & Antemurale esse perhibetur: *Salvator ponetur in ea, murus & Antemurale.* Murus munitus, & inexpugnabilis, omniúmque machinarum ictibus impenetrabilis, est divinitas, quæ ad omnes tormentorum, & vulnerum in passione inflictorum impetus, illæsa, & inconcussa stetit. Antemurale infirmum, & è terrenis aggeribus erectum, est mortalis Humanitas, quæ sicut in Passione crudeliter fuit prostrata, & devastata, ita per gloriosam Resurrectionem splendidiùs fuit reparata, & redintegrata.

Murus & antemurale. Isaiæ 26. 1.

Non deest Civitati huic sacræ, Ecclesiæ Armamentarium bene instructum, in quo asservantur parata virtutum omnium arma: *Mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.* Si vigiles desideras Custodes? Ecce, *super muros tuos Ierusalem constitui Custodes*, sanctos scilicet Patres & Doctores, præsertim verò ipsos Custodes Angelos. Abundat mystica hæc Civitas scaturientibus viventium aquarum venis, quæ in limpidissimos confluunt fontes, salientes in vitam æternam, *Prædicationem scilicet quatuor Evangeliorum*, uti notat Hugo Carensis, ut meritò de hac Civitate enuntiet Propheta Regius:

Arma, & custodes. Cant. 4. v. 4.

Isa. 62. v. 6.

Hugo Card. in Thren. c. 2. v. 1. Psal. 86. v. 1.

Gloriosa dicta sunt de te, Civitas Dei. Et siquidem Etymologiam nominis spectare velimus, Civitas dicitur, quasi *Civium unitas*, quam unitatem Civium testatur S. Lucas: *Multitudinis autem credentium, erat Cor unum & Anima una*, licet ex tam diversis hominum statibus, ac nationibus Civium numerus conscriberetur; ex omnibus enim terræ plagis ad hanc Civitatem confluebant populi, quorum nullus à municipatu fuit rejectus, sive servus, sive liber, sive incola, sive alienigena, sive Hebræus, sive Gentilis: *Ecce alienigenæ & Tyrus, & populus Æthiopum, hi fuerunt illic*: Reges & Principes mixti plebeis in hanc civitatem conscribendi, festinato properabant cursu: *Et ambulabunt gentes in lumine tuo, & Reges in splendore ortûs tui.* O Jerusalem, O magna Dei, & sacra Civitas, Ecclesia, *Leva in circuitu oculos tuos, & vide; omnes isti congregati sunt, venerunt tibi; Filij tui de longè venient, & filiæ tuæ de latere surgent: Tunc videbis & affluës, & dilatabitur cor tuum, &c.*

Act. 4. v. 32. *Civitas est quasi Civium unitas.*

Psal. 86. v. 4.

Isaiæ. 60. v. 3. & seq.

Ecclesia ex multis gentibus aucta.

O quantum tunc exultabat Ecclesia, Jerusalem civitas nova, tanquam sponsa ornata viro suo, & tam copiosis circumdata filijs, innumerisque aucta civibus. Sed eheu! quàm alia longè est modò facies rerum, O Ecclesia! O Sponsa! O Civitas! Quam hodie mentis oculis contemplando, ingemiscens cum Jeremia exclamo: *Quomodo sedet sola Civitas plena*

Iterùm capit decrescere.

plena populo, facta est quasi vidua, Domina gentium, copioso Civium numero viduata. Fælices se olim æstimabant Reges & Principes, si cum subjectis sibi populis, hac Civitate donari, & Romanæ Ecclesiæ Albo ascribi mererentur, jámque ob confluentium Regum & Principum copiam, Civitas Regum nominari poterat. At infælicibus nostris temporibus sedet sola Civitas sine populo, dum tot Reges, & Principes, tot Regna, Principatus, & Ducatus ab Ecclesia recisi, & avulsi ad detestandam modò Mahometis sectam defecerunt: *Luxítque Antemurale, & Murus pariter dissipatus.* *Ecclesiæ Murus* (ait Hugo Cardinalis) *est cætus Prælatorum Ecclesiasticorum, Antemurale Principes sæculares, qui Ecclesiam defendunt.* Maxima muri, & antemuralis, Prælatorum & Principum pars immanium Turcarum potentia (Christianorum Magnatum discordiâ patrocinante) defecit, totámque Ægyptum, Syriam, Palæstinam, Tyrum, Cyprum, Candiam, cum toto Archipelago, Macedoniam, Mediam, Græciam, totúmque Orientale imperium, cum Patriarchalibus, & Episcopalibus suis sedibus, florentissimis urbibus, Regionibus & populis, cum tota pene Hungaria subjugavit, alijs præterea Barbaris, ac Mauris totam ferè Africam Ecclesiæ Romanæ subtrahentibus, *quomodo sedet sola Civitas plena populo?*

Thren. 2. v. 8.

Hugo Card. hic.

Murus & Antemurale Ecclesiæ qui?

Quot regna defecerint?

Sed maximè funestum sæculo nostro spectaculum & ruinam Ecclesiæ irreparabilem, &c. fecit voluntaria Catholicorum Principum à fide Orthodoxa defectio, dum non armorum vi, sed Togatorum petulanti dissolutione, & lasciviâ, magna de nuo Muri, & Antemuralis, Prælatorum, & Principium pars, cum primarijs Civitatibus, Dynastijs & regnis ab Ecclesiæ unione abscissa est; Sueciæ, Daniæ, Magnæ Britanniæ Reges cum omnibus sibi subjectis regionibus, & Maxima Ungariæ, Bohemiæ, & non exigua Poloniæ pars, Holandia cum unitis sibi Provincijs, Electores imperij Saxo, Brandenburgicus, & Palatinus, maximæ, & opulentissimæ quæque Imperij civitates, status, Proceres, & Comites, ab Ecclesia recesserunt, & pene depopulatam (in partibus præsertim septendrionalibus) reliquerunt Ecclesiâ. Heu! *Quomodo sedet sola Civitas*, olim *plena populo!*

VII. *Novissimè.*

Per hæresim.

Hæccine est Urbs perfecti decoris, gaudium universæ terræ? Quę viduata filijs & civibus suis, in solitudinem versa, plurimis in locis, apparet? Bone Deus! In quantum se luctum convertit primitivæ Ecclesiæ exultatio, quæ ambulantes olim in splendore ortûs sui Reges, nunc terga vertere, & in jugulum Matris convertere gladios, lacrymantibus intuetur oculis. Sedet afflicta

flicta, sedet mœroce confecta, sola civitas, filiorum, & civium deplorans interitum: *Facta est vidua domina gentium.*

Noëmi, vidua a Mara.

Defuncto marito de Moabitide in patriam, (ex qua famis tempore migraverat) rediens vidua, Noëmi, excepta fuit cum gaudio à mulieribus patriotis, dicentibus: *Hæc est illa Noëmi:* Ruth c. 1. v. 20. Quibus *illa: Ne vocetis me Noëmi, (id est, pulchram) sed vocate me Mara (id est amaram) quia amaritudine valde replevit me Omnipotens. Egressa sum plena, & vacuam reduxit me Dominus.* Pulchræ, & sine ruga *Sic Ecclesia.* Ecclesiæ totus olim applausérat orbis, & in ejus stupebat pulchritudine, ac prosperitate: Hæc est illa Noëmi! (illa speciosa.) *Astitit Regina a dextris tuis in vestitu* Psal. 44. v. 10. *deaurato, circumdata varietate.* Sed modò pro nuptiali veste, lugubri vestita syrmate, quasi vidua nobis, ingemiscens, acclamat: ne vocetis me Noëmi, id est, pulchram, sed vocate me Mara, id est amaram, quia amaritudine replevit me Omnipotens. Egrediente de thalamo crucis suæ sponso sanguinum, egressa sum & ego ex aperto latere ejus, plena decore, plena gaudio, plena spe innumeræ prolis, sed modò vacuam reduxit me Dominus, filijs & civibus viduatam: *Facta est vidua Domina gentium, Non viro vidua,* (exponit meus Doct. Seraphic°) *sed vivente viro derelicta.* Derelicta à curatoribus & tutorib° suis, à Magnatib', qui tueri, & curare viduam obligati, *didicerunt viduas facere, & civitates earum in desertum adducere.* Quasi vidua vivente viro derelicta, & orbata filijs suis fuit Ecclesia. Ezech. 19. v. 7.

Vidua, vivente viro derelicta.

Bonav. in Thren. hic.

VIII.

De miraculosa illa Apocalyptica muliere (quæ typus fuit Ecclesiæ) legimus, quòd *in utero habens, clamabat parturiens, & cruciabatur, ut pariat,* magno enim dolore & labore, inter tyrannorum persecutiones, filios suos peperit, sed jam non meminerat pressuræ, cum peperit tot filios masculos. Quod autem eam maximè affligebat, erat, quòd *Draco stetit ante mulierem, quæ erat paritura, ut cùm peperisset, filium,* & partum *devoraret.* Per draconem ipsum humani generis hostem infernalem intelligi, certum est, licet non minus per draconem etiam hæreticos, & hæreses intelligat S. Thomas de Villanova cum sancto suo Patre Augustino. Hic ille Draco, qui novit viduas facere, qui tot devoravit filios: atq; Eccles. & civitates Orthodoxis civibus plenas, in desertum adduxit, & nuptiarum gaudium in luctum convertit. *Facta est vidua, domina gentium.* In hoc viduitatis statu, *Quiescere faciam de urbibus Iuda, & de plateis Ieruſalem, vocem gaudij, & vocem lætitiæ, vocem sponsi, & vocem sponsæ.* Facta est enim vidua domina gentium, & conversæ sunt nuptiæ in luctum.

Apoc. 12. v. 2. *Mulieris apocalyptica partus.*

Insidiatur Draco, id est, hæresis.

S. Thom. de Villan. Conc. 1. de S. Aug.

Ierem. 7. v. 34.

Ecclesia consolationem accepit.

Unicum quòd afflictæ viduæ, Ecclesiæ Romanæ accrevit gaudium, est, quòd filij ad ipsam moderno sæculo, & quidem satis numerosi de longè venerunt, ex Asia, Africa, & America, & quòd non paucos filios de latere natos, & à Dracone, hæresi, devoratos, ex ejusdem faucibus iterum eruit, *quomodo si eruat pastor de ore leonis duo crura, aut extremum auriculæ.* Illúdque non minimam consolationis materiam præbet, quòd nulla omnino inter Serenissimas Romani Imperij domos sit, de qua non aliquis ad Ecclesiæ sinum reversus, nuptiale gaudium Romanæ Ecclesiæ fecerit, uti fusè, & nominatim in festo Epiphaniæ deduxi. Emanet tamen interea major adhuc Principum & Magnatum eorum, qui actuale gerunt in subditos dominium, pars, cum suis regnis, & Ducatibus, qui licet hethorodoxæ suæ fidei fundamentis parum confidant, ad Ecclesiam tamen accedere, vel ex humano respectu detrectant, vel quòd veste nuptiali destituti, digni non habeantur admitti, aut admissi turpiùs ejiciantur, cum illis S. Evangelij verbis: *Amice, quomodo huc intrâsti non habens vestem nuptialem?*

Amos 3. v. 12.

Ex noviter conversis principibus.

Matth. 22. v. 12.

IX.

Exactè hæc Evangelij sacri verba perpendes Divus Gregorius, *Mirandum est*, inquit, *quòd hunc & amicum vocat, & reprobat? Acsi apertiùs dicat: Amice & non amice.* Quod contradictio in terminis esse apparet, hanc tamen idem S. Doctor demonstrat non esse circa Idem: scilicet. *Amice per fidem; sed, non amice, per operationem.* Amice per vocationem fidei, sed non amice per defectum bonæ operationis, quæ est vestis illa nuptialis.

S. Gregor. homil. 38

Amicus per fidem,

Non amicus, per operationē

Et quoniam hac veste nuptiali non solùm Principes, & populi Acatholici, sed etiam Catholici nostri parum ornati sunt, & ipsi Magnates politico moderni sæculi spiritu ducti dissolutā, Atheorum more, vitam ducunt, non solùm ulteriorem ad Ecclesiæ nuptias (pro consolanda ejus viduitate) Acatholicorum populorum & Principum sperare vix possumus, sed magis timere, ne etiam ipsi Catholici populi & magnates (qui sunt amici Sponsi, tantùm per fidem & non per operationem) ejiciantur, non habentes vestem nuptialem.

Principes Catholici & Acatholici.

Parum ornati vir tutibus.

Hinc afflicta mater Ecclesia, non tam tristitiâ (ob malum præsens) quàm timore (ob malum futurum, & imminens) plena, cum Thecuitide illa exclamare videtur: *Heu mulier vidua ego sum!* non marito, sed filijs viduata, *Et quærunt extinguere scintillam meam, quæ relicta est, ut non supersit viro meo nomen*, Christianum scilicet, à Christo dictum.

2 Reg 14 v. 5.

Implo-

Implorat divinam opem cum devota Iudith, Ecclesia, quasi vidua, *subveni, quæsote, Domine Deus meus, mihi viduæ.* Et nos filij, quid agimus in tanto Matris nostræ, quasi viduæ, luctu? *Sicut in diebus Noë, edebant, & bibebant, uxores ducebant, & dabantur ad nuptias,... emebant, & vendebant, plantabant & ædificabant, &c.* Sic & hodie Christiani ducunt in bonis dies suos, & cor viduæ non consolantur, nec illi subvenire, aut compati curant. O Christiani duri, & incircumcisis cordibus, compatimini Matri, & cum ea (quasi vidua) vos, (quasi pupilli) clamate ad Dñm *Non despiciet preces pupilli, nec viduam, si effundat loquelam gemitûs; Nonne lacrymæ viduæ ad maxillam descendunt, & exclamatio ejus, super deducentem eas? A maxilla enim ascendunt usque ad cœlum, & Dominus exauditor, non delectabitur in illis:* Sed absterget omnem lacrymam ab oculis ejus, & Matrem viduam cum filijs benedicens benedicet, ut videat filios filiorum suorum, pacem super Israël, Amen.

Luc. 17. v. 26. *Nos lugente Ecclesia, ludimus.*

Iudith. 9. v. 3. Eccli. 35. v. 17. *Compatiamur matri viduæ*

* * *

DISCVRSUS II.

Aleph.

Quomodo sedet sola Civitas, plena populo? facta est quasi Vidua Domina gentium? *Thren. 1. v. 1.*

DE ANIMA.

Anima amisso Deo, in multitudine, sola, & quasi Vidua est.

1.

Corpus anima non vivit sine

MAteria informis, & incompleta substantia, insatiabili, & innato, essentialique appetitu appetit formam, cui copulata completum suum esse, & venustatem accipiat. Constat homo ex materia & forma, scilicet corpore & anima rationali, arctis matrimonij legibus invicem copulatis, inter quæ si mors amarum faciat divortium, recedente animâ, quasi vidua, & vacua remanet corporis habitatio, sedet sola civitas plena populo, facta quasi vidua.

S. Petrus Chrysol. serm. 19.

Optimè S. Petrus Chrysologus: *Quod est anima corpori, hoc est animæ Christus*, sine quo anima, quasi informis est, vidua, vacua, imò mortua, si per privationem gratiæ à sponso fuerit separata. Pergit Antistes Ravennas. *Sine anima corpus non vivit, non vivit anima sine Christo. Recedente animâ, mox corpori fœtor, corruptio, putredo, vermis, cinis, horror, & omnia visu detestanda succedunt; Discedente Deo confestim venit in animam peccatorũ fœtor, corruptio criminum, vitiorum putredo, conscientiæ vermis, vanitatum cinis, infidelitatis horror, & fit in corporis sepulchro vivo, funus animæ jam sepultum.*

Anima non sine Deo.

Ad funus filiæ Principis comparuerant tibicines, & turba tumultuans, sed parum hi puellam mortuam, aut consolari, aut suscitare poterant, sed solus Jesus ejecta turbâ eam resuscitavit, vi-

Matth. 9. v. 23.

tam

tam & motum tribuit. Anima peccatrix mortua est, & quasi viduata, non quòd mortuo sponso ipsa sit viva, sed à vivente marito, separata, & peccatis immortua, ac vitâ gratiæ sit privata. Ad hanc puellã mortuã comparent tibicines, & turba tumultuans, nempe *turba amicorum carnalium*, (uti exponit Hugo) *Item cogitationum immundarum, affectionum libidinosarum; Item tibicines dæmones, delectationes suggerẽtes, &c.* hi omnes animare puellam, consolari, & excitare conantur ad vitam, & ad gaudium; sed frustra: Solus enim animam viduam, & gratiæ vitâ privatam consolari & excitare Deus potèst, sine quo Anima, licet plena populo, & turbâ tumultuante deliciarum ac voluptatum, sedet sola, & quasi vidua: Quomodo sedet sola Civitas plena populo! &c.

Puella nõ suscitatur per tibicines.

Hugo Card hic. *Nec anima per consolationes creaturarum.*

II.

Tantam Christus veneration-nem Civitati Jerosolymitanæ haberi voluit ut piaculum duxerit jurari per Jerosolymam, *quia Civitas est magni Regis, id est, ipsius Dei, qui est Rex regum*, exponit Lyranus. Civitas magni Regis, est ipsa anima rationalis, in qua non solùm suam sedem reginam Deus figere, sed etiam regiis eam gratiarum suarum thesauris exornare, & contra hostiles insultus firmiter munire parat. Et proinde per Jeremiam insinuat: *Ego dedi te hodie in civitatem munitam*; Et bene quidem (uti observat Hugo) Anima, Civitas vocatur. *Quia sicut in Civitate, in medio sunt cives nobiliores, & in suburbio vulgus ignobile, sic in mente, quæ est pars superior animæ, virtutes inhabitant, & in inferiori parte, sunt motus sensualitatis.* Tunc ergo sedet civitas, anima peccatrix afflicta, *quando mole vitiorum est depressa*; & desiderijs terrenis oppressa, sedétque sola, plena populo. Sed quomodo sola, si plena populo? Quomodo plena populo, si sola? Egregiè ad hoc respondet Cardinalis à S. Caro, quòd plena sit quidem tumultuoso, & confuso populo. *id est, Cogitationibus inutilibus*; & tamen sola. Nam *sæpe* (ait idem) *hoc contingit, quòd aliquis sedet solus à cõsortio hominum, cujus Civitas, id est, anima, plena est turbis nationum, id est, cogitationum, se invicem accusantium, & defendentium.* Interim tamen sola est *à Dei gratia*; sola, à Spiritu Dei vivifico deserta, qui cum tali tumultuoso, inordinato, & indisciplinato vanarum cogitationum, & perversarum desideriorum vulgo habitare meritò detrectat. Ita ut anima etiam magno amicorum, & consodalium numero stipata, Dei tamen gratiâ & spiritu orbata, sola sit. Et Rex, aut magnus mundi Monarcha, etiam numeroso aulicorum, famulorum, militúmque multitudine circumvallatus, so-

Matth. 5. v. 35.

Lyranus.

Ierem c. 1. v. 18.

Hugo Card. hic. *Anima Civitas.*

Hugo Card. hic.

Quomodo & plena populo?

lus sedeat, si gratia Dei, ac virtutibus careat. Sedet sola Civitas plena populo

Abradara Regis dictum.

Abradara Susorum rex, ob ereptam sibi morte charissimam Consortem cum amicis, & aulæ suę proceribus sedebat, tristitiâ pene absorptus, profundissimos è corde trahens singultus. Causam tantæ afflictionis, & altorum suspiriorum rogatus, dixit: Hoc animo suo tam grave accidere, quòd modò desolatus, & solus viveret. Non deerant pro viribꝰ aulici & amici consolando afflicto regi, replicãdo maximè, ne se desolatum, aut solum conquereretur, tot stipatũ fidelium amicorum, & famulorum manipulis. Quibus Rex, inconsolabilem gerens animum, & altùm suspirans ait: *Amans amatâ carens, in multitudine solus.* Junge, junge peccatrici animæ socias creaturas terrenas, ipsi (sicut in paradyso terrestri Protoparentibus) famulaturas, si tamen charissimo sponso, & Creatore suo orbata sit, & Amato careat, erit in multitudine sola.

Nulla creatura nos consolari potest

Junge animæ amicas voluptates, adde divitias, adjice dominia, appone honores, si tamen Amans amato careat Deo, in multitudine sola, cum Jeremia conqueretur: Aspexi terram, & ecce vidua erat, & nihili.

Jerem. c. 4. 23.

Da animæ affabilem amicorum societatem, amicis circumvallatæ; tamen ad amandum solum Deum creata, isto carens, erit in multitudine sola. Imò dicere non vereor; Pone animam inter innumeras angelorum cohortes, inter jubilantes tot spirituum cœlestium choros, sed Dei suppone consolatoris absentiam, & Anima, Amato carens, in Angelorum tripudiantium multitudine sola, lamentari non desinet de cœlo non minus, quàm priùs de terra: Aspexi cœlum, & ecce vacuum, & nihil. Horridum ipsi desertum, videbitur cœlum, Deo suo evacuatum, cum Propheta regio expostulaturæ: *Quid enim mihi est in cœlo, & à te, quid volui super terram?* Quid enim mihi in cœlo, si ibi Deum meum non invenero? Parum me ornatus siderum, & tectorum auratorum pompa consolabitur, parum afflictum animum suavissimi Angelorum concentus recreabunt, si Deo meo carens, sedeam in multitudine solus? Quia nulla major desolatio, quàm separatio à Deo, uti sanctus Bonaventura testatur.

Ps. 72. 25

Bonav. in Thren. c. 1. v. 12.

III.

Fulget quidem coruscantibus stellarum lampadibus distinctum affabrè cœlum, innumerũque siderum splendidè armatorum exercitum Luna singulis noctibus ad excubias ducit; suspice cœlum, & numera stellas, si potes. Nihilominus in tanta copioso

Gen. c. 15 v. 5.

Cœlum cum infinitus stellis videtur vacuum.

Gen c.15. v. 5. copioso stellarum numero nec cœlum, nec terra consolationem accipit, solâ solis præsentiâ recedente: Ad cujus occasum terra lugubri silentio, cœlúmque luctuoso indutum syrmate, abdicatis variis, distinctisque colorum deliciis, luctum omni creaturæ indicunt. Sed subitò procedente aurora, solis venturi nunciâ, cœlum festivali vestitur purpurâ, & terra volucrum, quadrupedúmque conclamantibus applaudit vocibus, &c. Ut verbo dicam cum Psalte Regio: *Vespere demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia. Quid est, vespere demorabitur fletus?* Quærit in hunc passum, magnũ illud Africæ Lumen, Augustinus, Quid est vespere? *Vespera fit* (respondet ipse) *quando Sol occidit.* Occidente sole, in universo tristitia oritur: Oriente rursus sole, occidit rursus tristitia, & oriens revivisscit lætitia. Et quidem sol, dicitur quasi solus; non tam quia unicus, & solus est, sed etiam quia solus illuminat, & recreat universum. Omnibus coruscantibus cœli facibus, adhuc demorabitur noctis tristitia, solo recedente sole: solo sole revertente, & extinctis quasi, cunctis aliis siderum lampadibus, jam læta apparet serenæ diei facies & lætitia. Vespere demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia: Hæc revertente, ille recedente, solo exoritur sole.

Cœlum cum infinitis stellis videtur vacuum.

Absente solo Sole.

Psal. 29. v. 6.

S. August. hic.

Quod cœlo, imò universo, sol, hoc animæ Deus, ad cujus vel ortum, vel occasum fit in anima, vel matutinum, vel vespera. O Vesperum, & noctem lugubrem, quando Sol iste occidit! *Occidit* (namque ait Augustinus) *Sol ab homine, id est, Lux divinæ Justitiæ, præsentia Dei. Ideo, quando expulsus est Adam, quid dictum est in Genesi? Cùm deambularet Deus in paradyso: Ad vesperam deambulabat Deus: Occiderat illi sol Justitiæ.* Idem insinuare videtur Hugo Carrensis, sed breviùs: dũ Vesperum *statum peccati*, Matutinum, *statum gratiæ* appellat.

IV. *Quod Sol universo.* S. August. hic.

Gen. c. 3. v. 8.

Hugo Card. hic.

Hoc Deus Animæ.

Ad matutinum, dum adhuc in statu gratiæ, & lumine solis Justitiæ versaretur Adam, omnis apud eum erat lætitia, consolatio plena, gaudium perfectum, conscientia tranquilla, animus serenus, sed mox ad vesperum, in statu peccati, dum occidit illi sol in meridie, & Sol Justitiæ, & gratiæ ab illo recessit, demorabitur fletus: Mox omnis Adæ consolatio conversa est in fletũ, in omnes omnino posteros derivandum, dulcedo in amaritudinem, paradysi voluptas in dolorem, conscientiæ tranquillitas in conturbationem, animi serenitas & securitas in tremorem fatalem transiit, & hoc ad vesperum, quando occiderat illi sol Justitiæ, & gratiæ divinæ. Solo hoc recedente sole, in multitudine creaturarum omnium, & paradysi deliciis, solus, & desola-

Recedente Deo.

solatus, tanquam in deserto morabatur Adamus.

Conqueritur subinde anima Christiana, se afflictam, desolatam, omni consolatione orbatam, angustiatam, & quasi solam in fletu morari. At quid mirum? cùm anima peccatrix (quæ civitas solis esse debuerat) per statum peccati ad vesperum declinaverit, amisso Sole Justitiæ; &c. Quid mirum, O Anima, si afflicta es? Ubi vesper, ibi fletus: quæras licet, & invenias mundi voluptates, honores, & divitias, & quidquid delectamenti mundus habet, semper adhuc manebit vesper, & fletus, & in multitudine creaturarum sola eris, & desolata, donec denuò Sol Justitiæ, & gratiæ affulgeat; & redibit ad matutinum lætitia. Et siquidem universum, cum omnibus suis incolis tam ardenter orituri solis adventum suspiret, & expectans matutinum expectet crepusculum, cur non ardentiori desiderio anhelans suspiret anima (Civitas solis & soli Deo consecratum habitaculũ) ortum Solis Justitiæ, & gratiæ, cum quo omnia illi bona pariter eveniunt? Exurge, Exurge dormitans ad vesperum (in statu peccati) anima, excutere de pulvere, ad Solem Justitiæ animos, & oculos converte. *Quoniam oportet prævenire solem ad benedictionem tuam, & te adorare ad ortum lucis.*

In anima fletus.

Sap. c. 16 v. 28.

Ad occasum properantem solem, Josue, ut sisteret, conjuravit: *Sol contra Gabaon, ne moveris; steteruntque Sol, & Luna, donec ulciscereretur se gens de inimicis suis*, et Josue plenâ potitus esset victoriâ, & tu, ô Anima, si æstimare nosti præsentiam Solis Justitiæ, conjura illum, ne gratiæ suæ radiis à te deflectens te solum inter inimicos desolatum relinquat; conjura solem, occasum prohibe, manere coge: *Mane nobiscum Domine quoniam advesperascit, &c.* quoniam per tuam absentiam advesperante die, demorabitur fletus, eróque Amans Amato carens, in multitudine, sola.

Josue c. 10. v. 12.

Cum Josue solem conjurat.

Luc. c. 24 v. 29.

Solum esse, non tam lugubre, quàm periculosum est. *Væ soli* (uti testatur Sapiens) *quia cùm ceciderit, non habet sublevantem se.* Ad literam quidem hæc de homine ab aliorum consortio separatim, ac cum singularitatis spiritu habitante intelligunt Expositores; non desunt tamen alij, qui hunc passum moraliter ad animam à Dei amicitia separatam trahant, Væ soli! nempe, *Sine Christo*, uti Familiæ Dominicanæ Purpuratorũ Antesignanus, Hugo explicat: Væ animæ, quæ sola, & à Christo, ejusque gratia derelicta est. Hac enim miserabilius, infelicius nihil, cùm nemo sit, qui prolapsam erigat. Væ soli! *Solus namque est* (ait S. Gregorius) *qui à Deo relinquitur, hunc certò cadentem, nullus erigit, quia relictum à Deo, sanctorum aliquis non assumit.*

Eccle. c. 4 v. 10.

Væ soli!

Hugo Card.

Sine Deo S. Greg.

assumit. Qui relinquitur ab homine, qui ab amicis rejicitur, qui à mundo exosus, expellitur, solus non est, habet enim adhuc Deum, sublevantem se, sed væ soli! Qui sine Christo, qui sine Deo est: hæc planè anima in amicorum, in patronorum multitudine, sola, omnibus deploranda proponitur. Quomodo sedet sola Civitas, plena populo! væ soli!

VI. Genes. c. 2 v. 18. Creato homine Protoplaste, *dixit quoque Deus; non est bonum, hominem esse solum. Faciamus ei adjutorium simile sibi.* Hoc adjutorium, erat Eva, ex costa dormientes Adami formata: quæ Evæ formatio adumbrabat mirabilem Ecclesiæ Dei structuram. *Hîc describitur* (teste Lyrano) *formatio mulieris de latere Adam dormientis in figura, quòd Ecclesia erat formanda in futuro, de Latere Christi, dormientis in Cruce.* Sponsa hæc à Christo in adjutorium electa est, ad pariendos sibi Dei filios, gloriæ suæ cohæredes: non enim bonum reputabat Dei Filius, hominem, humanitatem suam glorioſissimam, solam esse gloriæ cœlestis hæredem. Hinc Dei Filius de cœlo descendens, humana carne assumptâ, hanc in cœlum aliter reducere noluit, nisi futuros gloriæ inveniſſet consortes: non est bonum, hominem esse solum. Sed quomodo solus in cœlesti gloria futurus erat Christus tot Angelorum millionibus associatus, quomodo solus in tanta spirituum cœlestium multitudine? Nempe Amans Amato carens in multitudine solus. Quoniam fatetur Dei Filius delicias suas esse cum filijs hominum, quos charitate perpetua dilexit, quamdiu illorum privatus erat consortio, in multitudine innumera Angelorum, se solum reputans interpellabat Patrem: Ecce ego, mitte me, ad quærendum scilicet, & reducendum hominem in peccatorum suorum ignorantia deperditum, & à cœlesti gloria aberrantem.

Lyranus h. c.

Christus in cœlo solus esse noluit.

Hoc ardens suum, quærendi hominis, desiderium, Dei filius sub parabola Pastoris explicat, qui ad quærendam ovem deperditam, *dimittit nonaginta novem in deserto, & vadit ad illam, quæ perierat, donec inveniat illam: & cùm invenerit, imponit in humeros gaudens.* Per nonaginta novem oves, novem Angelorum choros, per ovem unam deperditam, humanam creaturam designari, communis est Expositorum consensus. Sed hinc non modica oritur difficultas, quid per desertum innuere, divina Sapientia voluerit? Si enim per 99. Oves Angelos intelligamus, ubi & quomodo eos

Dei erga hominem amor.

Luc. 15. v. 4.

Apud Hugonē hic.

tanquam in deserto reliquit Dei Filius? In quo deserto? *In cælo,* respondet venerabilis Beda. At cœlum qua ratione, Dei Filio, desertum dicitur? Desertum enim est, quod ab omni habitatore desolatum, & desertum, horridam denotat solitudinem. At quomodo desertum, quomodo solitudo, Dei Filio cœlum, tot cœlestium Incolarum habitatione jucundū? An solitarius inter tot gloriæ consortes Angelos Deus? Imò verò, quandiu homine consorte carebat in cœlo Dei filius, solitarium se quasi, & solum reputabat: nam Amans Amato carens, etiam in Angel rum multitudine solus. Adjutoriu n, seu potius co nsortium glor æ suæ, quæsivit Incarnatus Dei Filius, simile sibi, non enim judicaverat bonum, hominem etiam Deum, esse solum in gloria, sine Adjutorio simili sibi. Et quoniam ad illam gloriam solus homo peccator pervenire non poterat, factus est ei Adjutorium Dei filius, desponsata sibi per unionem Hypostaticam humanâ naturâ. Quoniam non est bonum, hominem esse solum.

Quasi sine homine solus esset

Agnosce (ô Anima) inexhaustam Dei tui, erga te sympathiam, & amoris excessum imperceptibilem, dum sine te, se solum & viduum reputans, nec sine te in gloria regnare voluit: Et tu pulvis & cinis, & omni bono vacua, solóque tuo repleta & inflata nihilo, sine spōso Deo tuo, nec solam te nec sine illo te viduam desolatam agnoscis? Nec ad illius adjutorium suspiras?

VII. *Viduæ sunt desolatæ.*

Mulier à viro suo derelicta, & per divortium separata, quasi vidua est. Et quid viduâ, in hoc orbe, magis desolatum, & derelictum? Majora mala Israëlitis minari Deus non poterat, quàm ut viduitatem annuntiaret eorum conjugibus: *Erunt uxores vestræ viduæ, & filij vestri pupilli.* Nemo enim majores angustias, tribulationes, persecutiones in hoc mundo patitur, quàm cum pupillis desolatæ viduæ, quas, deperdito prioris conjugij splendore, & auctoritate, despectas, & in bonis famæ & fortunæ, impugnare cuivis liberum est. Ponamus tamen viduam, raro exemplo, non minus in sua viduitate splendidam, à civibus honoratam, & clientibus circumvallatam, hæc tamen forte sua parum contenta, præponderante omni felicitati, & amicorum fidelitati, unicâ mariti jacturâ, vel in hoc uno amarè statûs sui infelicitatem deplorabit, quòd sedeat amans amato carens in multitudine, sola & desolata.

Exodi. c. 22. v. 24.

Quare meritò desolatam & affli-

Anima peccatrix vidua.

afflictam & urbis Hierosolymitanæ, & Ecclesiæ ab hostibus impugnatæ, & animæ peccatricis conditionem sub viduæ miserandæ titulo Propheta deplorat: Facta est vidua, Domina gentium. Vidua utique desolata, sola, & misera, est anima peccatrix, extincto amoris vinculo, de sponso suo separata, quæ uti priùs apud omnes Dei fervos, ac beatos, apud omnes cœlestis curiæ magnates, Angelos, imò ipsum Deũ, in summa erat veneratione, sic ab omnibus, viduitatis suæ tempore erit despecta, meritò cum paupercula illa vidua Thecuitide exclamatura: *Heu mulier vidua ego sum!* Et cum S. Augustino: *Malo non esse, quàm sine IESV esse:*

2. Reg. 14 v. 5.
S. August medit. 39

VIII. *Væ vidua! væ soli!*

Væ huic viduæ! væ soli! væ animæ, cui in hoc viduitatis statu, soli esse contingit. Verè non est bonum, animam esse solam, nam cùm ceciderit, non habet sublevantem se; cùm impugnata fuerit, non habet defendentem se; cùm vulnerata fuerit, non habet curantem se; cùm afflicta fuerit, non habet consolantem se; cùm mortua fuerit, non habet resuscitantem se: cum sponso suo omnem consolationem, subsidium, præsidium, curam, & ipsam vitam perdidit. O lugubris viduitas! Væ animæ, quæ in pulvere sedet sola, facta est quasi vidua.

IX. Glossa Interlin.

Optimè Glossa Interlinearis observat, animam peccatricem, sub typo urbis sacræ repræsentatam, non absolutè, & simpliciter viduam, sed solam, & quasi viduam appellari, *non verè.* Qualis illa est, quæ ob demerita sua divortium à viro passa, non viro vidua, sed vivente viro derelicta, uti superiùs ex seraphico Doctore allegatum est. Quem statum, quasi vidualem, animæ, clariùs explicat ordinaria, quæ sic ait: *Non verè vidua, nam etsi à sponso ad tempus despicitur, sponsalitatis tamen jura retinentur, ut si redire per pœnitentiam voluerit, sponsus recipiat, cùm satisfecerit.* Felix saltem, in hoc, anima vidua, quòd de sponsi immortalitate secura, illo penitus ita orbari non possit, quin ad pœnitentiam reversa, sponsum semper & sibi superstitem, & ad veniam dandam propitium habeat. In nullo magis tartareus hostis desudat, quàm in faciendo inter Deum & animam divortio, quem in finem omnes sedulus captat occasiones, commoditates venatur, tempus observat, insidias struit. In hoc enim totum callidi serpentis studium versatur, quòd *didicit viduas facere, & civitates in desertum adducere.*

Non verè, sed qua si vidua. Glossa Ordin.

Ezech. 22. 19. v. 7.

In viduitatem ergo anima deducta, hoc sibi præcipuum, imò unicum habet solatium, quòd

quòd non verè, sed tantùm quasi, sit vidua, vivum adhuc habens sponsum, Dei Filium, primam semper redintegrare fidelitatẽ & charitatem paratum, ut animam, per peccatum, vel repiditatem separatam, ad se per pœnitentiam redire volentem, sponsus recipiat.

X. *Isaiæ, c. 52. v. 1.* Ejaigitur Anima, quæ sedes in pulvere, peccatorum mole depressa, sola, & quasi vidua, revertere; *depone vestimenta viduitatis tuæ* (malos, & sordidos vitiorum habitus) *Consurge, consurge, induere fortitudine tua Sion:* Consurge, & animum à terrenis ad superna elevans, *induere vestimentis gloriæ tuæ*, virtutum scilicet, & gratiæ ornamentis; revertere ad amabilem, & charitativum sponsum tuum, terga verte mundi vanitatibus, carnis illecebris, honorum culminibus, & non tergum sed faciem ostende Dilecto, in Cruce suspenso, & expansis brachiis te recipere, inclinato capite te deosculari, aperto corde te sibi unire paratum; deplora commissam à te infidelitatem, perpetrata peccata defle in hoc tempore acceptabili Quadragesimalis expiationis, & in gratiam recepta, cave, ne pertranseat per te, incircumcisus & immundus. Renuntia adultero, rejice adulteras cupiditatũ pedissequas, in ordinatum ad terrena amorem rescinde, & toto novo ardore, toto corde, totâ animâ, totis viribus Deo tuo adhære, ab illo non separanda in æternum.

At vos mœstæ mundi fallacis viduæ, quæ non Deo, sed mundo, non divino, sed humano favore viduatæ, tribulationes & angustias persecutiones & oblocutiones patimini, in multitudine hominum solæ, & tanquã mundi peripsema, abjectæ, consolamini, consolamini; persequentium multitudinem contemnite, mundi fallacis minas ridete, bonorum jacturam sustinete, oppressionem tolerate, & solum quærite Deum; hoc solo contentæ, eo solo eritis consolatæ, qui absterget omnem lacrymam ab oculis vestris. Solum igitur & unum quærite, omnes cæteros relinquite, & invenietis requiem & consolationem animabus vestris,

Amen.

DISCUR-

DISCVRSUS III.

Beth.

Plorans ploravit in nocte. *Thren. 1. v. 2.*

DE ECCLESIA.

Deplorat noctem hæresum, & errorum exortorum.

1. TRistem, ac lamentabilem Jeremias noctem commemorat, à filia Sion continuis lacrymarum rivis perfusam: Plorans, inquit, ploravit in nocte & lacrymæ ejus in maxillis ejus. Sed quænam hæc nox lacrimabilis, ô Propheta? Si cum afflicta filia Sion insomnem ducis, ut Custos, noctem, edic nobis tristem noctis conditionem & causam? Quippe non sine ratione te hodie illius Isaiæ verbis interpellare præsumo; *Custos quid de nocte? Custos quid de nocte?* Quænam hæc nox? quam dura? & quàm diu duratura? *Dixit Custos; venit manè & nox.* Manè scilicet *liberationis duarum tribuum* (uti Glossæ Ordinariæ conformiter exponit Hugo) *Et nox, tempus tribulationis vestræ, quia remanebitis in captivitate.*

Isa. c. 21. v. 11.

Nox, tribulatio.

At si tristem, ac longam passa noctem fuit plebs Israëlitica, non minus tristem, formidabilem ac longam noctem experta est Domina gentium, Ecclesia Dei; longa, & cruentis torrentibus inundans nox, fuit persecutio, & adversitas per aliquot sæcula à Principe tenebrarum protracta. *Plorans ploravit in nocte, & lacrymæ ejus in maxillis ejus.* Tam formidabiles, & obstinatæ erant hæ persecutionum tenebræ, ut eas vix aliquando serenâ tranquillitatis luce superari posse speraret. *Custos quid de nocte? Custos quid de nocte?* Num sempiternis involuar persecutionum tenebris?

An nullum, tribulationis nocti, succedet serenum diei crepusculum? Ne desponeas animũ: Venit manè & nox; Veniet manè liberationis & tranquillitatis, quando excussâ tenebrarum, & gentilitatis potestate, lucida prosperitatis ac tranquillitatis dies Hemispherio nostro militantis Ecclesiæ, orietur.

II. Sed neque hæc dies & manè suis carebunt nubibus & nocte, Venit enim manè, & nox, qua Dei Ecclesia angustietur; Nam teste Doctore mellifluo, *nox, est Iudaica perfidia; Nox, ignorantia paganorum; Nox hæretica pravitas.* In ista nocte & tenebris, lucem deesse noluit Deus: Sed *Lux in tenebris lucet*, in medio scilicet erroris, vel, in tenebris, *id est, in cordibus tenebrosis*, ait Hugo Cardinalis. Noluit enim Deus, qui solem suum oriri facit super bonos & malos, suos tenebrosis cordibus subtrahere radios gratiarum, *& tenebræ eam non comprehenderunt.* Ex versione græca legitur: *non apprehenderunt.* Vatablus: *non susceperunt.* Præsertim autem hoc de Judæis intelligit Hugo, Tenebræ eam non comprehenderunt, *id est, Iudæi tenebrosi lucem istam non perceperunt, quia non sunt illuminati, non propter defectum lucis, sed propter vitium eorum, quia noluerunt oculos aperire ad lucem.* Licet enim toto orbe lucidissimos suos radios sol diffundat, si tamen quis vel oculos aperire negligat, fasciis obnubat, aut domi suę recluſus valuas & januas luci occludat, parum solarium radiorũ claritate fruetur, voluntariis conclusus tenebris: Haud secus licet Sol Justitiæ Christus, qui est Lux hominum, gratiæ & veritatis radios diffundat, tamen tenebræ, *cæcitas, ex parte contigit in Israël*, eò quòd Judæi obstinati mentis oculis occlusis valuas atq; januas exorienti luci oppoſuerint. *Posuisti tenebras, & facta est nox*: nempe posuisti tenebras, *cæcitatem Iudæis, & facta est nox in eis, id est, obscura mentis obstinatio.*

Nox hæreses.

S. Bern. serm. 73. in Cant.

Ioa. 1. v. 5.

Hugo Card.

Lux in tenebris lucet.

Sed Iudæi eam non comprehenderunt.

Rom. 11. v. 25. Psal. 103. v. 20. Glossa Ord.

III. Nox quidem obstinatæ perfidiæ Judaica, & ignorantiæ paganorum sunt foris, extra Ecclesiam, eámque aforis circumdant; Sed nox perversitatis hæreticæ intra ipsam clausuram & gremium exorta est, ab iis scilicet, qui portam Ecclesiæ per sacramentum Baptismi sunt ingressi, detestandas in ea tenebras, & noctis umbras suscitare per errorum suorum caliginem conati, has ergo maximè deplorat Mater Ecclesia; Plorans ploravit in nocte & lacrymæ ejus in maxillis ejus.

Exodi c. 10. v. 21.

III. Horrendam noctem, atque ab orbe condito inauditas, nec unquam porrò audiendas tenebras indurati patiebãtur Ægyptij,

tij, tam densas, ut palpari possent, tam horribiles, ut per totum illud triduum, non tantùm nemo videret fratrem suum, sed omnes metu, quasi tabescentes movere se de loco non auderent, totum mundi ordinem aut perversum, aut dissolutum rati: Quin tam densis tenebris quasi vincti, & tenebricoso carcere recluſi gemebant, uti in libro Sapientiæ innuitur his verbis: *Unâ enim catenâ tenebrarum omnes erant colligati.* Summè verò hisce tenebris admirandum venit, quòd ubicunque habitabant filij Israël, lux erat; & quidem non tantùm in illis vicis, plateis ac domibus, ubi ab Ægyptiis separati habitabant Israëlitæ, sed in eadem civitate, vico, platea, domo, & cubili, ubi Ægyptij simul juncti erant Israëlitis, clara diei lux recreabat Judæos, & Cimmeriæ, noctis tenebræ affligebant Ægyptios.

Sap. c. 17. v. 18.

Tenebræ Ægypti.

Horribiles succeſſivè in Ecclesia Dei obortæ sunt tenebræ errorum, & hæresum. Fuerunt enim, qui catenâ tenebrarum colligati Christum Dei Filium, Patríque consubstantialem negarent, uti cum suis Arius: Sacratissimum summæ Trinitatis mysterium cum asseclis suis, non agnovit Sabellius: Originale peccatum negavit Pelagius: Deiparam, Mariam, agnoscere recusavit Manichæus, eidémque, saltem interveniendi pro nobis facultatem, negant novellantes nostri Sectarii, qui pariter flammas expiatorias, seu purgatorias tanquam vanum Catholicorum figmentum explodere, S. Missæ Sacrificium quasi Idololatriam abrogare, non erubescunt, Calvini præsertim asseclæ, qui spiritu vertiginis obvoluti, & umbrâ mortis circumfusi, realem Corporis, & Sanguinis Dominici præsentiam in Venerabili Sacramento, in umbram & figuram convertunt. Ut verbo absolvam, factæ sunt tenebræ horribiles, quas plorans deplorat Ecclesia, eò, quòd tantum filiorum suorum numerum Ægyptiis hisce tenebris involutum conspiciat.

Tenebræ Hæreses.

De Ægyptiis testantur Expositores in locum suprà citatum, eos triduo illo non tantùm cœlesti solis luce, sed etiã omni domestici luminis sive candelarum, sive ignis solatio fuisse orbatos, ob tenebrarum palpabilium densitatem.

Luminâ sunt Deo, Ecclesiæ.

Præter clarissimos Solis divini, ac æternæ Sapientiæ radios, clarissima insuper lumina super Candelabrum Ecclesiæ, Deus posuit, clarissimos inquam, ac non tam sanctitate, quàm doctrinâ Illustrissimos viros, ac doctores; Nunquid

Lumen

Lumen ardens Ambrosius? Nunquid Lucerna lucens Augustinus? Nunquid candela rutilans Hieronymus? Nunquid Fax præfulgens Gregorius, Basilius, Athanasius, Chrysostomus, Nanzianzenus, Hilarius, Cyprianus, Chrysologus? Ut innumeros alios, unà cum iis, qui propriùs ad sæcula nostra accesserunt, præteream, qui lucidis, & claris luæ irrefragabilis doctrinæ radiis, etiamnum per totum militantis Ecclesiæ Hemisphærium rutilantibus, errantes in tenebris, & umbra mortis Sectarios, ad claram fidei lucem perducere sufficerent, sed ita tenebris suis obvoluti, & colligati jacent miseri, ut neque hæc lucentia Ecclesiæ lumina respicere, eorúmque ductum sequi dignentur, malintque cum fuliginosis suis, & vitiorum fumo, ac caligine obscuratis auctoribus, horrendis tenebris immori, quàm ad veram fidei claritatem perduci, eò planè minùs commiseratione digni, quò voluntariis excæcati tenebris, *dilexerunt magis tenebras, quàm lucem*, hinc gravius sibi paraturi judicium, uti insinuat æterna veritas: Hoc est autem judicium, *id est ratio condemnationis reproborum* (juxta moralis glossæ expositionem) quia Lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quàm lucem, nempe (uti ex venerabili Beda, eadem glossa exponit) *Illi magis tenebras, quàm lucem diligunt, qui suos Prædicatores bene docentes odijs, & detractionibus insequuntur*: Quæ persecutione Hæretici non contenti, igne ferróque persequuntur filios lucis, qui suâ sanâ, & clarâ doctrinâ, ac prædicatione ipsos ad fidei lucem perducere laborant. In tam insanam mentis cæcitatem, voluntariæ illos tenebræ præcipitant, non tam detestandos, quàm deplorandos ab affectuosa Matre Ecclesia, quæ plorans ploravit in nocte.

Hos oderunt hæretici.

Joann. c. 3. v. 19.

Glossa Moralis

Et siquidem miraculo accidit, quòd inter tenebras obvolutis olim Ægyptiis, *ubicunque habitabant filij Israël, ibi lux erat*, non minùs etiam admirandum, quòd inter hæreticos passim commixti, in hisce partibus, veri Orthodoxi, unàque regione, civitate, vico, imò & subinde domo, & cubili cohabitantes, solares tamen fidei radios, & invariatum fidei articulorum lumen semper conservent, nullis unquam tenebrarum obstaculis obscurandũ, aut perturbandum, sed fixis fidei oculis intuendum. IV.

His tenebris non obscuratis Ecclesia.

Magnum aquilas inter, & noctuas, discrimen esse constat, aquilæ namque lucis amantes

Aquilæ lucem amant.

antes fixis, solis rotam, oculis intuentur, dum è contra amicæ noctis, noctuæ, ac diei, lucísque inimicæ, claritatem diei refugiunt, qua oculi earum vitiosi offenduntur, & cæcutiunt, circumvolantes inter nocturnas tenebras, quæ debilem oculorum aciem fovent, ita ut caligantibus oculis melius, quàm aquilæ tenebrosa noctis objecta perspiciant

Noctuæ, noctisque infestæ, & horribilis, incolæ, sunt Hetherodoxi, qui licet rebelles lumini, fidei, divinorúmque mysteriorũ lucem abhorreant, neque ea cognoscant, aut aspiciant, nec etiam tenebras suas, licet palpabiles advertant, caligantibus tamen oculis inter ipsas suas tenebras mundana negotia acutissimè dispiciunt. Hæ quippe noctuæ, & bubones (uti bene Hugo Carensis advertit) *Cæci in spiritualibus, vident in temporalibus*, de quibus & illud æternæ veritatis oraculum probè intelligi potest, *Filij hujus sæculi prudentiores filijs lucis in generatione sua sunt*, *filijs hujus sæculi, id est, tenebrarum*, glossatur Ordinaria prudentiores sunt, nempe (juxta mentem Lyrani) *Magis assuti sunt & fervidi in temporalibus negotijs agendis*, & in operibus tenebrarum harum. Acutè hunc passum inspicit Hugo Cardinalis, & quæstionem movet: *Sed quomodo vident clariùs filii tenebrarum, quàm filii lucis, cùm nihil videri possit, nisi in luce? Respondeo: Bubo & Murilegus clariùs vident in nocte, quàm homines, non literas ad legendum, sed mures, ad capiendum. Sæcularia enim grossa sunt, & palpari possunt etiam de nocte; spiritualia autem subtilia sunt, & vix videri possunt etiam in luce.* O quàm agiles & perspicaces in capiendis temporalium lucris exercitati sunt Hethorodoxi nostri? quàm dextri ad Intereſſe politicum? Non invenias felem tam indefessè & subdolè furtivo pede muribus insidiantem, & cauto saltu unguibus mures comprehendentê, quàm isti ad quævis lucra temporalia, & mundana, ac politica negotia sunt vigilantissimè intenti, & dexterrimè exercitati. Totam vitam in horum murium industriosa venatione insumũt, quibus caliginosi oculi ad materiales istas, & temporales causas abundè deserviunt, sed infirma nimis eorum acies oculorũ est, ad spiritualia, & reconditũ spiritualem sensum, qui latet sub tenui scripturæ litera; Hinc subtilis S. Scripturæ litera accurratè inspicienda, ne superficialiter aspecta occidat, hinc ad ejus intelligentiam clara dies exigitur, & Lucifer exoriens in cordibus nostris. Hæretici verò dum in nocte, & nocturnâ

Noctuæ Hæretici. Videhant Controversiam. fer. 3. Pent. f. 505.

Hugo Card in Isa. c. 42. v. 18.

Luc. c. 16 v. 8.

Glos. Ord.

Lyranus hic.

Hugo hic. Sicut bubones & feles in nocte vident.

Vide Conc fer. 2. Paschæ fol. 332.

Esdræ 13. v. 2. nâ mundi prudentiâ, tanquàm Noctuæ, literam Scripturæ inspiciunt, eam non modò non satis dispiciunt, sed seipsos decipiunt & occidunt, semen Verbi Dei adulterando.

V. Vetitum erat lege antiquâ, Deut. 23. v. 3 & 2. Esdræ. 13. v. 1. ne Ammonites, & Moabites intrarent in Ecclesiam Dei in æternum, & primò quidem, Glossa Moral. *Ammonitæ & Moabitæ, hæreticos denotant.* *eò quòd non occurrerunt filiis Israel cum pane & aqua.* Per istos Ammonitas, & Moabitas significari asserit glossa moralis hæreticos, & Schismaticos, *qui repellendi sunt ab Ecclesia Dei. Tales enim non occurrunt populo Dei cum spiritualibus alimentis, nomine panis & aquæ significatis*, nempe quia non occurrunt cum pane *Verbi Dei*, ut breviter Interlinearis exponit. Alia ratio, quare Moabites & Ammonites excluſi fuerint à templo, est, quia ex damnato & incestuoso coitu filiarum Loth fuerunt procreati, hæ enim cum patre inebriato per noctem dormientes conceperunt; & prima quidem vocavit filium suum Moab, id est, ex Patre; altera, vocavit filiū, Ammon, id est, Filium populi, vel generis mei: Voluit ergo Deus manere incestûs hujus paterni tam infamis memoriam apud Hebræos, ne illorum connubiis aut societate, prætextu cognationis, contaminarentur. Genes. 19. v. 35. *Incestuosè nati.*

Monet autem glossa ordinaria, bene observandum esse Moabitarum, & Ammonitarum typum, & figuram: Nam (ait illa) *Hi, quia de incestu nati sunt, hæreticos exprimunt, quorum auctores, cùm doctrinam patrum, de qua eruditi sunt, male intelligendo corrumpunt, quasi filiæ Loth, semine paterno furtim, & in tenebris & non legitimè utuntur, ideóque eorum proles, id est, sectatores, nunquam in Ecclesia Dei partem habere possunt;* quoniam ex seminè quidem paterno, & Verbo Dei, sed adulterato & furtivo nati sunt, non filij lucis, sed noctis & tenebrarum, *tenebris obscuratum habentes intellectum*, & tamen nox nocti indicat scientiam, dum in peccatis nati toti, & in tenebris enutriti, alios suâ doctrina & scientiâ erudire præsumunt, & ad agnitionem veritatis perducere. Glossa Ord. in Esd. *Ex furtivo semine patris de nocte.* Ephes. 4. v. 18.

VI. Hi, qui ita in nocte, & tenebris oberrant parietum angulos, & obcæcati, palpando veritatem apprehendere casualiter conantur, pueris similes sunt, qui obvelatis oculis, latentes in angulis socios inquirunt, & si quem eorum offenderint, nomē & personam, cæcè palpantes, divinant, hic est Petrus, hic est Jacobus, &c. Haud aliter æternna veritas aliquos pseudo-Christos, & pseudo Blinden-Mäuß-lein. *Hæretici tenebris oberrãtes.*

pseudoprophetas exurrectores
Marci 13 v. 21. prædixit, qui tenebris obsuratum habentes intellectum, palpando inter tenebras Christum divinabunt: *Et tunc si quis vobis dixerit, ecce hîc est Christus, ecce illic, ne crediderit is. O apertissimam horum temporum Propheti am,* (Exclamant S. Thomas de Villanova) *Quid enim aliud recentiores hæretici clamant, nisi hîc est Christus, illic est Christus!* Hic est, illic non est. Palpant in tenebris oberrantes Noctambulones Canonica Ecclesiæ statuta, & quid divinant? *Non est, inquiunt, Christus in Canonicis statutis.* Offendunt Ecclesiæ Sacramenta: Nonne hîc est Christus? *Non in Ecclesiasticis Sacramentis.* Incidunt in observantium Religionum instituta: Et quid de his? Non est hîc Christus, *Non in variis Religionum observantijs.* Et quid de incruento SS. Missæ Sacrificio? *Non in usitatis missarum sacris* Christus est. Sentiunt ordinatas Ecclesiæ cæremonias, frequentatas diu noctúque laudes divinas, *non est Christus in exterioribus divini cultûs cæremonijs, non in frequentatis horarum laudibus.* Odorant cibos quadragesimales, degustant jejunia, palpant frugales Religiosorum mensas. Et quid ad hæc? *Non in carnium neglectis epulis, non denique in hac vivendi Ecclesiastica norma, quæ ab Apostolorum tempore, usque nunc per omnium fidelium nationes ubique terrarum in Ecclesia perseverat,* non inquiunt hîc est Christus. Palpant Basilium jejuniis, Franciscum Seraphicum pœnitentiâ macera- *Displicet illis vitæ Sanctorũ,*
tum, & stigmatizatum vulneribus Crucifixi, palpant Augustinum divino amore exustum, Antonium vigiliis exhaustum, Eremitas sanctos catenis, & loricis ferreis constrictos. Non est hîc Christus exclamant, non est hæc vita Christiana.

VII. Sed paulò ulteriùs movete gressum, cæci noctambulones, declinate ad angulos, palpate, an non helluonem tangitis saginatum? pinguem & trementem? cum vino obscœnos eructantem super convivia jocos? qui non nisi carnem, & carnalia sapit? Quis est hic? Hîc est, inquiunt, Christus, hîc est vitæ Christianæ & Ecclæsiæ Romanæ reformator Lutherus, hîc *Placet autem vita Lutheri.*
Calvin⁹, hîc Zvvinglius, Oecolampadius &c. O quàm pulchri hi Christi, & Christiani! Homines nobis Christum indigitant, & monstrant, sed diversâ quærendum viâ, & doctrinâ. *Ecce hîc, ecce illic Lutherus ait. Ecce hîc Oecolampadius ait: ecce illic; quisque pro suo libitu propriam vivendi formam Christi fidelibus statuit. Sed ne crediderit is; nolite re, neq; sectemini.* Nam sicut à luce & veritate aberrant, ita etiam inter-

De Christo divinant.

Et de rebus fidei.

S. Thom. de Villan. Con. 2. S. Aug.

se non consentiunt, sed alius huc, alius illuc in tenebris oberrat & impingit. Ut meritò de illis illud Deuteronomij impletum dici possit: *Percutiat te Dominus amentiâ & cæcitate, ac furore mentis, & palpes in meridie, sicut palpare solet cæcus in tenebris.* Et tamen tot, maximè in miseranda nostra inveniuntur Germaniâ, qui hos in tenebris oberrantes homines, doctores sibi elegerunt, & tanquam lucernas in caliginoso loco lucentes sequuntur. Quare alto suspirio exclamans concludit, S. Antistes Valentinas: *O infelices Germani! quis vos fascinavit, non obedire veritati? Quis gentem nobilem à principio orthodoxam tam fraudulenter, & immaniter decepit?* Relinquite bubones, & aquilam sequimini matrem Ecclesiam Romanam Catholicam, quæ tanquam Aquila provocans ad volandum pullos suos, & super eos volitans, filios lucis ad claram scripturæ intelligentiam, solisque Justitiæ contemplationem evehit, hanc ergo sequamur aquilam aquilæ, ut filij lucis, nec Noctuis & Bubonibus nos sociemus, ne eâdem cum istis involuti obscuritate & tenebris, in locum tenebrarum, & æternæ noctis caliginem devoluamur, ubi umbra mortis, & nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat, ubi nullus solis justitiæ splendor, aut diei crepusculum, sed perpetuus occasus, & noctis formido cernitur, ubi infelices tenebrarū filij sine fructu & veniæ spe, æternum plorant plorantes in nocte, & lacrymæ in maxillis eorum, nec est qui consoletur eos, ex omnibus caris suis, quin imò omnes amici ejus spernent eos, & fient eis inimici. *O surdi audite, & cæci intuemini ad videndum*, ne aliquando serò nimis in loco tenebrarum, tenebras vestras agnoscituri clametis: *Ergo erravimus à via veritatis, & Justitiæ lumen non luxit nobis, & sol intelligentiæ non ortus est nobis.* Igitur dum tempus est, invocate Patrem luminum, qui solem suum oriri facit super bonos & malos, ut oculos mentis vestræ aperiat, & illuminet, ut sic lumine fidei illuminati, videatis lumen gloriæ in sæcula sæculorum, Amen.

Deut. 28. 29. v.

Cæci duces cæcorū

Catholici, Aquila.

Isaiæ c. 42. v. 18.

Sap 5. v. 6.

DISCUR-

DISCVRSVS IV.

Beth.

Plorans ploravit in nocte- *Thren. 1. v. 2.*

DE ANIMA.

Lamentabilis, & deploranda nox animæ peccatricis.

I. VTi auroræ purpurâ nubes depingens, suisque erumpentibus radijs orbem illustrãs phœbus, omnes recreat, & ad lætitiam excitat creaturas, dum serenum mundo invehit diem, ita etiam dum ad ejus recessum atra nox terræ cœlóque incubat, ad tristitiam, & luctum componuntur omnia, vivus rebus deficit color, & nigro syrmate, quasi luctuosum tegitur universum, quare si lętitiæ congrua dies, luctui meritò commoda nox est, & nutrix tristitiæ; Hinc meritò Filiæ Sion lacrymabilis luctus nocti reservatus describitur: *Plorans ploravit in nocte, & lacrymæ ejus in maxillis ejus*, nempe (uti moraliter cum Paschasio exponit Glossa Ordinaria) plorans plorat in nocte, *Anima, scilicet in cæcitate peccatorum, de qua dicitur: Sit nox illa solitaria, nec laude digna.* Quàm ergo periculosa hæc nox, ac tenebrosa cæcitas, sit animæ peccatrici, ac proinde incessantibus deploranda lacrymis, in præsenti exponam.

Nox est cæcitas mentis.

Glossa Ordin.

Iob. c. 3. v. 7.

II. Optimè cum Hugone Victorino observat Doctor meus Seraphicus, *Quòd sicut oculus corporalis habet diem, & noctem suam, ita quoque oculus cordis habet diem suam, & noctem suam... Et ideò pluries sit, quòd quando nox est corpori, dies est menti; & quando est dies menti corpori, pluries est nox menti.* Quæ quidem nox, mentalibus oculis, ab ipsis peccatorum tenebris inducitur; De obscuris hisce tenebris vehementer Da-

S. Bonav. de 7 donis spi. S. c. 3.

Oculus corporis, & mentis

Psal. 142. v. 3. vid conqueritur: *quia persecutus est inimicus animam meam, & humiliavit in terra vitam meam, collocavit me in obscuris, sicut mortuos* Glossa Interl. *sæculi*, nempe in obscuris, id est, *tenebris vitiorum*, uti Interlinearis glossatur. Non minùs flebiliter idem deplorat peccatrix anima Thren. c. 3. *In tenebris* Thren. c. 3. v. 6. *collocavit me, quasi mortuos sempiternos.* Denotant hæc verba duram, & obscuram animæ captivitatem, qua Ægyptiorum instar (uti supra memoratum) quasi colligata & vincta, tam tetro, & tenebroso carceri mancipata est, tanquam cadaver fœtido, & obscuro sepulchro, ita ut sæva, & obscura captivitas non viventis hominis custodiam, sed potiùs mortui repræsentet sepulchrũ; In tenebrosis collocavit me quasi mortuos sempiternos.

Et bene demortuo cadaveri comparatur anima peccatrix, non solùm animæ suæ animâ, id est, Deo suo privata; mordente conscientiæ vermè corrosa fœtore vitiorum tabida, sed etiam quàm maximè, quia tanquam mortua, oculorum mentalium lumine orbata, ac tenebris, obscuráque noctis caligine circumdata, tota conturbata & confusa, nec propriæ miseriæ abyssum agnoscit. Appositè simul mors, cæcitas, tenebræ, & nox junguntur, quia in tenebris, & obscura nocte ambulans, licet aliàs acutis præditus oculis, æquè tamen parum videt, ac cæcus; nam, *qui ambulat in tenebris, nescit quò vadat*; cæcus è contra etiam clara die, & sereno cœlo plateas obambulans, nihilo tamen meliùs videt, sed tanquam in obscura nocte, vel tenebroso carcere, & sepulchro conclusus, cœlesti luminis beneficio privatur. Joann. c. 12. v. 35.

Mors cæcitas, nox tenebræ.

Vita peccatorum dolorosæ morti, molestæ cæcitati, densis tenebris, obscuræ nocti simillima; In tenebrosis collocavit me, quasi mortuos sempiternos.

Anima quippe, ait glossa, *Amisso lumine in tenebris collocata, nec seipsam, quàm sit misera, quàm infelix, quibus oppressa malis, aut nudata bonis videre potest.* Privatur anima peccatrix divinâ gratiâ, Imago Dei in ipsa dedecoratur, omnis pulchritudo ac species in turpitudinem & dæmonum similitudinem convertitur; nec tamen ipsa infelix & cæca, quàm sit misera & turpis, videre & agnoscere potest. Ambulat quasi in fune (& quidem in nocte) super ipsum æternæ damnationis abyssum extenso peccatrix anima, solo quatuor humorum & primarum qualitatumę quilibrio se sustentans, imò quid dico in fune? In filo vel supra tenue filum ambulat, nam. Gloss. hic *Anima cæca non se agnoscit.*

Omnia sunt hominum tenui pendentia filo.

In hisce tamen periculosis saltibus

bus, nullum sui periculum agnoscit anima, *nec quàm sit misera, quàm infelix, videre potest.* Internis inspirationibus acclamat Deus: Revertere, revertere Sunamitis: Æternæ damnationis minis intonant divini Verbi præcones: Derelinquat impius viam suam Nec tamen periculum apprehendere aut videre cæca vult anima, ambulans enim intenebris nescit quò vadat. Monent amici, urgent propinqui infamem peccatorem, ut se à vitiosis consortiis retrahat, quæ ipsum non tantùm Dei gratia, & gloriâ, sed etiamnum in hac vita bonis corporis, sanitate scilicet, ac longioris vitæ spe, bonis fortunæ, & bonis famæ totaliter privatura sint, sed pergit ad hæc audita peccatrix anima obcæcata, non videns, nec apprehendens, quibus sit oppressa malis, aut nudata bonis.

Admoniones non admittit.

III.

Dum ipsam Mundi creationem sacræ paginæ describunt, statim in principio commemorant, quòd creavit Deus cœlum & terram, *terra autem erat inanis & vacua, & tenebræ erant super faciem abyssi.* Egregiè ad propositum nostrũ super hunc scripturæ passum moralizat Hugo Carensis, Filius (inquit) *est creator cœli, id est, bonorum; & terræ, id est malorum. Isaiæ 45. Formans lucem, & creans tenebras ... Cœli, sunt sancti: Terra, mali.* Terra autem erat inanis & vacua: *Mali sunt inanes, & vacui à bono*, ait Hugo. Et tenebræ, *peccatorum, & ignorantiæ*, erant super faciem Abyssi, *id est, super cor peccatoris.* Licet autem terra, id est, terrenus homo, & peccator sit inanis & vacuus ab omni bono, omnibúsque virtutibus, bonisque nudatus, nihilominus, quia tenebrę ignorantiæ, & peccatorum obducunt faciem abyssi, & oculos peccatoris, in abyssо scelerum profundati; suam nuditatem, & (ut ita dicam) vacuitatem & inanitiem, in tenebris collocatus, videre non potest; neque inter Ægyptias tenebras, statûs sui dejectionem apprehendit, quam amici cæcitatem, ac occulorum mentalium privationem imprimis Tartareus Pharao intendit; *Hoc enim maximè conatur inimicus, ut anima lumen amittat, nec amissum recipiat*, uti glossa testatur.

Genes. c. 1. v. 2.

Cœli, sunt boni.

Terra, mali.

Vacui & obscuri.

Glossa ordinaria Thren. c. 3. cit.

IV.

Invincibilis ille Philistinorum domitor Samson, dolosis propriæ uxoris blanditiis superatus, dum in illius sinu sine metu recubuit, proditoriâ falsæ amasiæ manu, capillis simul, & suâ fortitudine privatus in Philistinorum potestatem devenit, indignus liberate, qui se sponte mulieris mancipium fecerat, & captivum. Quem cùm apprehendissent Philistim, statim eruerunt oculos ejus, & duxerunt Gazam vinctum catenis,

Iudith. c. 16. ve 21.

Samson rasus & excæcatus

nis, & clausum in carcere molere fecerunt. Dolosum hoc erat Philistinorum stratagema, quod imprimis eruendos hosti oculos statuerunt, ut excæcatus, sibi defendendo, aliisque feriendis inutilis, omnem insuper aufugiendi, aut evadendi spem amitteret, sed molendino instar mancipii aut bestiæ alligatus, in circulum ageretur, ex terrore hostium, factus iisdem ludibrii spectaculum.

Est Anima peccatrix.

Quòd Philistæi mediante Dalila adversus Samsonem, hoc idem contra miserlam animam peccatricem perpetrant hostes Tartarei, mediante carnis & oculorum cupiditate, quæ subdolè languidam, & somnolentam in spiritu animã invadens, septem illi capillos, ut Samsoni, radit, *qui septiforme lumen designabant gratiæ*, teste S. Ephrem. Amisso hoc lumine, ac Nazareis crinibus, anima tota debilis, & imbellis, à maligno hoste facilè devincitur, & vincitur; eruuntur oculi, dum nempe *intellectus obtunditur* (uti cum magno Gregorio Glossa affirmat) *ut cæca mens, quò ducitur nesciat, & carnis illecebris se libenter subdat* sub jugo voluptatis semper in circuitum agenda, meritò apud Jeremiam ingemiscens: *In tenebris collocavit me, quasi mortuos sempiternos. Hoc enim maximè conatur inimicus* (glossatur in hunc passum Ordinaria) *ut anima lumen amittat, nec amissum recipiat. Hinc Philistæi Samsoni oculos eruerunt, deinde ad molam mittunt, ut ambulans in circuitu, nunquam viam vitæ inveniat.*

S. Ephrem tom. 1. ser. adus. improb. nuptiarum. — Glossa hic. — Threm. c. 3. v. 6. — Glossa hic. — *Ad molã ligatur.*

Licet enim peccatrix anima vias difficiles se ambulare advertat, & grave vitiorum jugum & onus sentiat, per contractam tamen malam consuetudinem & cæcitatem cum impiis *in circuitu ambulat*, & de peccato in peccatũ maligni spiritus impetu agitur, ut (quamvis in via iniquitatis lassata) eam tamẽ relinquere, aut viam vitæ aggredi non valeat. Nam mundi vanitas, concupiscentia oculorum, apparatus vestiũ, &c. *Sic excæcant oculos animæ, & rationis, quòd dulcius videatur, stare cùm Samsone ad molam curæ mundialis, quàm cum Sponsa Ecclesiæ ad dispensationem curæ pastoralis.* Hæc quidem verba ad quendam Episcopum monendo edixerat S. Brigitta, qui magis curiæ, quàm propriæ Episcopalis curæ labores amabat, quæ tamen etiam de quavis peccatrice anima applicari possunt, & intelligi; dum hæc magis amat inter mundi labores & inquietudines cæcâ cupiditate agitari, quàm cum sacra Sponsa in suavi contemplationis divinarum rerum lectulo requiescere. Adeò excæcata in peccatis anima nusquam

Psal. 11. v. 9. — S. Brigitta l. 4. Revel. c. 126.

quam viam vitæ invenire, & nec seipsam, quàm sit misera & infelix, videre potest.

V.

In tali animi cæcitate, & mentis tenebris ambulabat, qui de seipso ingemiscens fatetur: *Involvebar in tenebris, filius tenebrarum: Tenebras meas amabam, quia lumen non cognoscebam; Cæcus eram, & cæcitatem amabam, & ad tenebras, per tenebras ambulabam.* Videtur hæc Augustini cæcitas & tenebræ, ab Ægyptiis illis tenebris multùm esse diversa, dum in his *nemo vidit fratrem, nec movit se de loco, in quo erat*; Movebat se verò Augustinus in obscura sua nocte, & animi cæcitate, dum ad tenebras per tenebras ambulabat. Sed notandum, quòd motus alius est rectus, alius circularis; Motus rectus se abstrahit & recedit à termino à quo, & tendit ad aliud punctum & terminum ad quem, à priori recedens, sed motus circularis in eadem semper remanens circumferentia, nunquam propiùs ad punctum suum accedit, sed in orbem circulariter se movens in fine æquè ac in principio, à centro suo elongatus est, quapropter, ratione centri, motus circularis pro motu quasi non est reputandus. Ægyptii, id est, peccatores obcæcati, & obstinati, non se movent loco, quia inter tenebras suas nec longiùs à malo suo recedunt, nec ad Deum propiùs accedunt, sed in circuitu ambulantes centrum suum, nempe Deum, nequaquam attingunt, nec motu recto à malo ad bonum, vel de virtute in virtutem progrediuntur, sed motu obliquo & circulari *per tenebras ad tenebras ambulant*; Et in his tenebris nemo videt fratrem suum, qui à malo retrahere, & ad centrum, Deum suum, & semitam suam se dirigere intendit, sed in profundum, & abyssum tenebrarum veniens, directionem contemnit, ita excæcatus, ut nec ipsas suas palpabiles & à cunctis perspectas tenebras agnoscat, ut probè de isto illud Poëtæ sacri, memorari possit:

Et neque (quod miseris unum solet esse levamen)
Ipsa suam noctem mens miseranda videt.

Dum ergo noctem suam non videt, & advertit, consequenter neque noctis periculum, & laqueos tenebrarum, dolosásve principis tenebrarum fascinationes, quæ durante noctis internæ cæcitate detegi nullatenus possunt.

VI.

De Patriarcha Isaaco memorat sacer textus, quòd senuit, & caligaverunt oculi ejus, & videre non poterat, quare filio suo primogenito Esau (qui aliàs pilosus homo, & asper erat,

S. August Solil. c. 33.

Exod. c. 10. v. 23.

Movetur tantùm motu circulari.

Noctem suam non agnoscit.

Genes. c. 27. v. 1.

venationique deditus) mandat, ut sumptis armis & pharetrâ egrediatur, cúmque venatu aliquid apprehenderit, faceret sibi inde pulmentum, sicut velle se noverit, egressum in agros fratrem materno consilio subornatus prævenit Jacob, coctósque hœdos solito pulmento, ac condimento præparatos, pro carne ferina, comedit cæcus, ac senex pater, quin imò Jacobo secundogenito, germani sui fragrantibus vestibus induto, ac rudi pelle (qualis fratris sui erat) contecto paternam impertitus est benedictionem, dum secundogenitum cæcitate ductus, primogenitum reputavit.

Isaac senex ac cæcus.

Magna quidem in cæco ac sene, pióque Isaaco mysteria nobis denotantur, quem tamen ob cæcitatis defectum Hugo Cardinalis ad figuram peccatoris jam inveteratâ consuetudine excæcati trahit. *Quidam* (ait ipse) *excæcantur longâ peccatorum consuetudine, & significantur per Isaac, &c.* cui malignus supplantator loco ferinæ carnis, & prædæ nobilis, opponit fœtentes hœdos peccatorum, & immanium vitiorum, quorum fœtorem meritò justus & sensatus quisque abhoret, hæc tamen tam bene condito, & ad gustum peccatoris cocto pulmento præparat infernalis Nabuzardan, id est, Præfectus coquorum, sicut velle cùm novit, ut cæco appetitu inter mentis tenebras, sine horrore, tabidos, ac fœtidos bolos deglutire non vereatur, & insuper vitiosis hominibus ac sodalibus quavis gratæ conversationis, ac politicæ affabilitatis pelle contectis, ac furtivo simulatæ virtutis vestitu fragrantibus benedicat, eos amplectatur, & foveat, longâ scilicet peccatorum consuetudine excæcatus, vel hoc ipso infelicior, quòd miseriam ac infelicitatem suam non agnoscat, multò minùs deploret.

Peccator consuetudinarius

Hugo Card. in Ioan. c. 9. v. 1.

VII.

Hoc planè primum abigendæ noctis & cæcitatis remedium, ipsam suam noctem agnoscere, agnoscendo deplorare, & deplorando divinum lumen implorare, quare in hoc commendabilis est valde peccatrix illa anima, quæ apud Jeremiam in nocte quidem & cæcitate vitiorum versabatur, sed tamen plorans ploravit in nocte, noctis tenebras agnoscens, & cum cæco illo sedente secus viam, & mendicante illuminatorem ingeminans: JESU fili David miserere mei. Cæcus iste, juxta communem expositorum consensum, est genus humanum, vel (ait Hugo) *peccator quilibet, veræ cognitionis lumine carens, & tenebras culpæ, & ignorantiæ patiens;*

Agnoscere cæcitatem principium conversionis.

Luc 18. v. 35.

Hugo Card. hic.

tens; in hoc tamen laudandus, si sit mendicans: *Id est, rogans, qui ideò rogavit, quia cæcitatem, & paupertatem suam cognovit.* Unde etiam bene advertit glossa, quòd quærenti Salvatori: Quid tibi vis faciam? Aliud non respondit mendicans, nisi: Domine, ut videam. *Non petit cæcus aurum, vel aliquid temporale, sed tantùm lumen. Imitemur ergo eum, quem mente & corpore audivimus sanatum, petamus à Domino lucem æternæ visionis.* Glossa Ord. hic. Acclamemus illi: *Anima mea desideravit te in nocte*, scilicet *in nocte peccati*, glossatur Hugo, in hac nocte, anima illum desiderat, qui tanquam lux in tenebris lucet, *Id est in peccatoribus, quia Verbum* (teste Lyrano) *quantum est in se, illustrat eos luce gratiæ*, semper ad nos illuminandos paratum. Isa. c. 26. v. 9. Hugo hic Lyran in Ioan. c. 1.

VIII. Ad propositum nostrum bene advertendum, quòd super Abyssum tenebris obductam (quo cor peccatoris obcæcati designatum, superiùs memoravimus) spiritus Domini ferebatur: *Quia quocunque fluant homines per peccata, semper superfertur Dominus, sicut avicula super nidum, cum pulli ejus rapiuntur, clamitans: Tu fornicata es cum amatoribus multis, nunc saltem revertere & ego suscipiam te*, uti in hunc locum scribit Carensis. Scimus quàm ferverter, quàm sollicitè Hugo Card. hic Ierem c. 3. v. 1. Deus sicut Avis pullos peccatores congregare gestit. avis circumvolet nidum, raptos, vel saltem dispersos congregans pullos, quàm anxiâ, curâ quàm lamentabili voce illos convocet; Non minùs sollicitè congregandis pullis dispersis & raptis (peccatoribus scilicet) circumvolat spiritus Domini. Sed qua ratione, quo medio congregat? Dixitque Deus: fiat Lux. Hoc primum congregandis & convertendis peccatoribus medium adhibet Deus, ut lucem faciat, & immittat in abyssum, id est, *cor peccatoris*, qua pulsis ignorantiæ & cæcitatis tenebris revertivaleant sub alas benignissimi sui creatoris: nam quamdiu non est, ambulandi, & revertendi non datur copia: *Qui ambulat in tenebris, nescit, quò vadat. Væ! Væ! cæcitati illi, in qua videre non poteram lumen cœli!* exclamat Augustinus. Ioan. c. 12. v. 35. August. Solil. c. 33.

Quare, ô peccatrix anima, sedens in tenebris, & umbra mortis, plorans plora in nocte, & ex intimis ingemiscens præcordiis, clama, & invoca Spiritûs sancti gratiam; Fiat Lux: Domine, ut videam.

Sic suspirabat, sic ingemiscebat, sic clamabat Augustinus: *Et tu quidem Domine lux mea, illumina oculos meos, ut videam lumen, & ambulem in lumine tuo, & non impingam in laqueos ejus. Quis enim evadet laqueos istos multos, nisi* S. August Solil. c. 27.

videat eos? Et quis videbit eos, nisi quem illuminaveris lumine tuo? Qui enim ambulat in die, non offendit, qui autem in nocte ambulat, offendit, quia Lux non est in eo. Tu Lux Domine, tu Lux filiorum lucis, tu dies qui nescis occasum, in qua ambulant filij tui sine offensione, &c.

Posthac summo animi jubilo sibi congratulabatur, dum illius influxum sensit. *Vocasti enim* (ait) *me nomine tuo, intonasti desuper voce grandi in interiorem aurem cordis mei: Fiat Lux, & facta est Lux: & discessit nubes magna, & liquefacta est nubes tenebrosa, quæ operuerat oculos meos, & vidi lucem tuam, & dixi: Verè Domine tu es Deus meus, qui eduxisti me de tenebris & umbra mortis & vocasti me in admirabile lumen tuum, &c.*

Solil. c. 33.

Intona & tu Domine super abyssum cordis nostri, peccatorum tenebris obductam; intona: *Fiat Lux*: Liquefac nubes tenebrosas ignorantiæ, & cæcitatis nostræ, ut videamus lumen, ut *quia eramus aliquando tenebræ, nunc autem Lux* fiamus *in Domino*, quo adducamur in admirabile lumen gloriæ tuæ, Amen.

Ephes. c. 5. v. 8.

DISCUR-

DISCVRSUS V.

Ghimel.

Migravit Judas propter afflictionem, & multitudinem servitutis. *Threni 1. v. 3.*

DE ECCLESIA.

Hæretici præceptorum Ecclesiasticorum multitudinem ferre nolentes, libertatem vitæ in libera fide quærunt.

I.

Ierem. c. 2. v. 24. *Onager Lascivus.*

ONager, animal lascivum, ferum, & indomitum, nec jugo, nec fræno se subjicit, sed libertati assuetus, & solitudini, *in desiderio animæ suæ attrahit ventum amoris sui, nullus avertet eum.* Homo lascivus & dissolutus tanquam onager indomitus, & recalcitrans, domari se non patitur, nec jugo nec oneri præceptorum se subjiciens, contineri nescit, sed dissoluta libertate, & liberà dissolutione venatur concupiscentias suas, & attrahit ventum lascivi amoris sui, excurrens, quò illum impetus bestialis concupiscentiæ impellit, ruptisque omnibus honestatis vinculis, cunctos modestiæ terminos transcurrit. Talem dissolutum in solitudine onagrum dum contemplatur Patiens Propheta, ait: *Quis dimisit onagrum liberum, & vincula ejus quis solvit?* Et rursus: *Quasi pullum onagri, se liberum natum putat.* Hæc dissoluta libertas non decet animal rationale, scilicet hominem, hic namque, *quasi domesticum animal* (inquit Gregorius) *loris vinctum serviat: nam qui implere cuncta, quæ desiderat, per effrænatam libertatem quærit, quid aliud, quàm pullo onagri esse similis concupiscit, ut disciplinæ hunc lora non teneant, sed audenter vagus per silvam desideriorum currat.*

Job. 39. v. 5. Job. c. 11. v. 12. S. Greg. l. 10. Moral c. 15.

Homo dissolutus.

Libertas dissoluta, hominem non decet.

Vult divina Majestas, & cum illo

illo S. Mater Ecclesia, fideles suos non, onagrorum instar, in mundi deserto indomitos, & effrænes discurrere, sed ut discretis disciplinæ, & præceptorum loris vincti, se suavi Christi, & Ecclesiæ jugo, ac oneri subjiciant, quod non bestiale, & asininum, sed humanum & leve est.

Jugum abhorrent hæretici.

Ab hoc tamen onere, tanquam onagri libertati ac dissolutioni assueti, abhorrent Sectarii, præsertim verò Assectæ Calvini, qui non tam Ecclesiæ, quàm ipsiusmet etiam Dei præcepta, insupportabile jugum proclamant, utpote cùm ea observare penitus sit impossibile, quapropter contra hoc servitutis genus excipientes, multúmque se, ultra vires, gravatos conquerentes, resiliunt *propter multitudinem*, (ut ajunt) *servitutis*; Et hinc migravit Judas Calvinus, migravit Judas Zvvinglius, migravit Judas Lutherus cum suis sectariis, migrarunt, inquam, omnes ab Ecclesia, propter multitudinem servitutis.

II.

Jugum Matrimonij.

Grave & insupportabile jugum, ac servitus ipsis videbatur, taliter matrimonij vinculo ligari, ut nemo inter conjuges, nisi mors, absolutum divortium facere posset, quò alteri jungi liceret. Hinc migravit Judas Calvinus ab hoc non solum Ecclesiastico, sed etiam per divinum & infallibilis veritatis oraculum, confirmato præcepto: *Quod Deus conjunxit, homo non separet*, dum in matrimonio (utpote non Sacramento, sed tantùm, uti ait, contractu politico) absolutum divortium, & ad alium thorum transmigrationem concedit. Major adhuc sectariis videbatur servitus emisso in Religione Castitatis voto stare, qui quasi pullos onagri se liberos natos putant, quare migravit Judas, Lutherus, Calvinus, Zvvinglius, & cum iis etiamnum omnes, qui sub signo Crucis ad Religiosa Asceteria conscripti, ac emissis solemnibus votis, conscribentibúsq; Angelis, Religioni astricti, ab ea, ad libertatis vexillum Novellantùm, transfugiunt, ut attracto amoris vento liberiùs per desiderium suorum silvam excurrere valeant, non attento divino oraculo: Redde altissimo vota tua?

Matth. c. 19. v. 6

Religionis & votorū

Psal. 49. v. 15.

Multitudinem servitutis esse apprehendunt peccata sua confitendi, & Sacerdoti aperiendi obligationem. Magnam servitutis umbram ipsis faciunt, injunctæ fidelibus à S. Matre Ecclesia, abstinentiæ, & jejunia, & hæc sunt plerumque, quæ multis facilem ab Ecclesia discessum, & ad eam regressum difficilem faciunt, propter multitudinem servitutis. Adeò ut multi

Confessionis auricularis.

Ieiuniorū

Vide conc. 2. de S. adobo. fol. 78.

multi tanquam equi umbratici, ex quovis volantis folij strepitu, & umbrâ obterriti, se suavi, ac levi jugo Ecclesiæ & Christi subjicere detractent, propter multitudinem (sicuti æstimant) servitutis; migrant itaque de luce in tenebras, de veritate ad errores, de via cœlestis patriæ, ad viam perditionis æternæ, quos proinde meritò altis deplorat singultibus & lacrymis, S. Mater Ecclesia: *Migravit Iudas, propter multitudinem servitutis, habitavit inter gentes, nec invenit requiem*, ob stimulantis conscientiæ motum, & remorsum; accedit sententiæ meæ Cornelius, qui tropologicè hunc locum sic exponit: *Multi ab Ecclesia fugiunt ad hæreticos, propter arctam servitutem mandatorum Ecclesiæ, sed & ibi in majores incidunt perturbationes animæ, & conscientiæ.* Et quid tandem talis expectare poterit Apostata, nisi quòd omnes persecutores ejus apprehendent eum inter angustias: Nempe *in morte* (glossatur Hugo) *Quia neque ad dexteram potest transire, id est, ad vitam æternam, nec in sinistra potest remanere, id est, in vita præsenti.* Intelligite hæc, qui obliviscimini Deum, qui nauseatis servitutem Professionis vestræ, has altè, & maturè considerate angustias, & à servitute Dei migrare non sustinebitis, sed sub jugo Christi perseverantes, cum longanimitate expectabitis retributionem servituris vestræ.

Apostata maiores incurrit angustias.

Cornelius sic.

Hugo Card. hic.

At non omnes capiunt verbum hoc. Nam Acatholici quique, præsentium tantùm studio occupati, & sensibilibus allecti objectis, oculos ad tam longinqua, futura, alta & sublimia non attollunt. Hinc est, quòd subinde hi videntes, viros atque juvenes pinguioris fortunæ, atque illustris prosapiæ, mundo nuntium remittere, ac liberè vili, atque aspero Religionis habitu indutos, omnibus deliciis, atque divitiis, corporísque commoditatibus renuntiare, fatentur candidè, quòd tales habeant in derisum, vitam illorum æstiment insaniam, finemque illorum sine honore.

Acatholici non capiunt.

Contigit paucis abhinc mensibus, cùm vir quidam ex protestantibus Consularis, aliàs inter illos vitæ ac morum honestate conspicuus, in gravissimo Illustrium virorum consessu, contemplaretur præsentes Religiosos, omnes ex prima nobilitate selectos, quorũ consanguinei ut plurimùm, splendidè ad modernum mundi genium compositi, ad solemnem illum actum comparuerant, ut ille, germanè, & confidenter animum suum detegeret, fatendo candidè, capere se non posse, quòd viri isti Religiosi, nulla urgen-

gente aut inopiâ, aut adversâ fortunâ, elegerint abjecti esse in domo religiosâ, magis quàm habitare in commodis parentum ædibus, inter delicias & divitias, à Deo sibi concessas. Unde avidum se non parum contestatus est, percipiendi motiva, quæ juvenem quemvis illustrem, ac divitem à propinquorum consortio abstrahere, atque voluntariæ paupertati, ac Religionis servituti mancipare valeant?

Cur Religionem ingrediantur Catholici.

Arridebat quidem optata elucidandæ, hujus controversiæ commoditas, sed quoniam repentina à confessu emigratio, & colloquium, & socios dissolvit, saltem propositam quæstionem non omninò oblivioni tradendam, sed potiùs breviter examinatam, publicæ luci dandam multi censuerunt, nempe,

Quibusnam motivis, ac rationibus viri Illustres, de mundo Religiosam vitam apud nos Catholicos trahantur?

IV. In hujus quæstionis elucidatione, observandus imprimis est terminus à quò, & terminus ad quem, vir Religiosus migrat. Terminus à quo est ipse Mundus, *in maligno positus, cujus amicitia, inimica est Dei*, cujus leges divinis præceptis sunt contrariæ, & ejus sapientia Sapientiæ Dei opposita. Nisi ergo Dei Sapientiam erroneam judicare velimus, sapientiam hujus mundi stultitiam esse concludamus, cùm non judicet de rebus sicuti sunt, sed tantùm sicut apparent, prout in Concione de S. Catharina V. & M. fusè demonstravi. Dictat igitur nobis sapientia mundi, ut ea sapiamus, quæ mundi sunt, & magni æstimemus, quæ suis mundus proponit amatoribus, præmia, & oblectamenta.

Ioan. 5. v. 19. Iacobi. 4 v. 4. *Terminus à quo, est mundus.*

In Festivali. fol. 944.

Et quænam ista? Quales in ærario suo mundus thesauros asseclis suis recondit? Hos ad tria genera reducit dilectus Christi discipulus; *Omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ.*

1. Ioann. 2. v. 16.

Magna hæc videntur amatoribus mundi, & magnam præseferunt quantitatem molis, sed rarefactione tument, & sub magna extensione, exiguam continent substantiam, ut meritò de istis illud Psalmistæ dici possit: *Infixus sum in limo profundi, & non est substantia.* Vel, ut alij vertunt, *non est status, non est substantia.* Quæcunque enim apparentia bona mundus promittit, stabiliter subsistere non possunt, *quæ* (teste Doctore meo Seraphico) *cum labore acquiruntur, cum timore possidentur, cum dolore amittuntur.* Fatetur his, se olim vinctum vanitatibus S. Augustinus, & gemens excla-

In rebus mundanis non est substantia.

Psal. 68. v. 3.

S. Bonav. Solil. c. 2.

exclamat: *Miser eram, & miser est omnis animus vinctus amicitiâ rerum mortalium; & dilaniatur, cùm eas amittit; & tunc sentit miseriam, qua miser est, & antequam amittat eas.* Semper enim amittendi timore cruciatur homo, & sic est malum ante malum, ob instabilitatem boni caduci amittendi, quam in singulis quasi momentis ipsâ experientiâ magistrâ discimus. *Volue igitur* (ait S. Augustinus) *semper & revolue non tantùm ex auditis, sed etiam ex expertis, non tantùm ex dictis, sed etiam ex factis, quàm instabilis sit mundana opulentia, quàm mutabilis mundana excellentia, quàm falsa, & mirabilis mundana gloria.*

S. Augustin. Conf. l. 4 c. 6.

Mundus instabilis.

Idem apud S. Bonav. cit.

V. Falsam vocat eximius Doctor mundi gloriam, quæ non tantùm in se ipsa est fallax, multósque, spe prægnantes, decipit, sed etiam mirabilis, quia mirabilem habet genium, irrationabili ducta impetu, & liberâ aut nocendi aut favendi facultate, sine meritorum, aut virtutum respectu. Unde meus Seraphicus vel maximè in Passione Christi mundum sensibilem, ejusque fallaciam, ac mirabilem, impiumque genium detectum fuisse commemorat, dū ipsam divinam Sapientiam Dei Filium, tanquam stultum, ipsum sanctitatis fontem, tanquam peccati reum, ac pacis disturbatorem judicavit, & ignominiosissimâ morte affecit,

Mundus fallax.

S. Bonav. Incend.

nullo excusationi relicto loco, quam in aliorum justorum condemnatione, ac persecutione prætendere, suámq; fallaciā, ac impietatem colorato titulo obvelare solebat. O magna inanis ac periculosa mundi, servitus! Optimè ergo concludit præfatus Doctor: *Vincula huius mundi habent asperitatem veram, iucunditatem falsam, certum dolorem, incertam voluptatem, durum laborem, timidam quietem, plenam miseriam, nullam beatitudinem, & inanem spem.* Et tamen miseri mundani falsâ jucunditate, incertâ voluptate, timidâ quiete, & inani spe lactati, mundi genio lascivienti, & mirabili se tanquam mancipia submittunt, ac instabilitatis rotæ, tanquam malefici alligari non detrectant, membratim potiùs contundi, quàm liberari eligentes.

S. Augustin apud eund.

Deceptorius.

Sed ponamus mundi prosperitatem (quod tamen paucissimis contigisse constat) ad finem usque vitæ inter varietatum timores constanter perseverare, eam saltem cum vita brevi & fugaci, evanescere necesse est. *Nonnulli* (probè notat Gregorius) *dum quorundam gloriam cernunt, magnum aliquid existimant, atque ut talia mereantur, exoptant. Cùm verò eos morientes aspiciunt, eorum quàm vana sit gloria, cum gemitu fatentur, & dicunt: Ecce quàm nihil est homo!* Revolue Cæsares, recogita Reges per-

VI. *In morte finiuntur. mundi felicitates.*

S. Greg. apud eund

perlustra Principes, inquire Heroës, & potentes hujus sæculi, quò abjerunt? Appositè respondet mirus mundi contemptor P. Jacoponus:

Tot mūdi Principes, tanta potētia,
In ictu oculi, clauduntur omnia.
Heri fuerunt, hodie non sunt: heri
quasi flos apparuerunt, hodie quasi
fœnum aruerunt, ait S. Hieronymus. Transierunt omnia tanquam umbra, evanuerunt tanquam vana somina; Mors *ultima linea rerum*, unâ liturâ omnes inanes vanæ mentis conceptus delet, & corrigit: Nam *cogitanti vilescunt omnia*, uti fusè in Dominica 15. Pent. declaravi. Hæc mortis ponderosa ac seria meditatio mundum suis amatoribus evacuat, & Monasteria Religiosis replet, quibus & voluptates & divitiæ, & nobilitas & honores viluerunt.

Mors detegit mundi vanitatem.

Dominicale fol. 766.

Narrat Cardinalis à S. Caro, quòd *quidam Iuvenis nobilis respondit Patri suo, volenti eum extrahere ex Religione: Pater, faciam, quòd dicitis, si unam consuetudinem malam, quæ in terra vestra est, auferatis, aliter non. Et quærente patre, quæ esset illa consuetudo, promisit se non solùm, illam, sed alias ad nutum filij ablaturum. Tunc dixit juvenis: Hæc est consuetudo, quòd æquè cito ibi moritur juvenis, sicut senex: si hanc potestis auferre, faciam quod dicitis, aliter non. Et ad hoc verbum pater compunctus, ædificatus recessit.* Imò verò, addit auctor thesauri novi, etiam patrem se filio in Religione socium junxisse, ut eò securiùs mortem obiret, nam bene Senenca: *Nescio quomodo omnis mortem timet, quàm qui nihil deliciarum in vita habuit.*

Hugo Card. in Thren. c. 4. v. 2.

Vide Dominicale. fol. 856. *Exemplū de iuvene.*

Casus huic non absimilis fuit ejus, qui dialecticis studens argutiis, dubias anteactæ vitæ præmissas, secuturam periculosam mortis conclusionem considerans, mundo valedicere statuit, his, post se relictis versibus:

Linquo coax ranis, cras corvis, vanaq; vanis,
Ad Logicam pergo, quæ mortis non timet ergo.

Ecce quomodo cogitāti mortem mundus vilescit, cuiq; vanitatem maximè morientium cineres detegunt, & nihil in eò dignum, aut securum esse demonstrant, in quo anima rationalis quietum ponere affectum possit, cui accedit ipsum deperdendæ æternæ vitæ periculum; *Gravis enim* (si Bernardo fidem damus) *& nimis periculosa est mundana conversatio, quia periclitatur castitas in delitiis, humilitas in divitiis, pietas in negotiis, veritas in multiloquio, charitas in hoc nequam sæculo.*

Mundus periculosus est.

S. Bern. serm. de Convers. ad Cleric. c. 39.

Cùm ergo mundus ita sit salutis animæ periculosus, fallax, vanus, & instabilis, quid magni est terminum istum (à quo) relin-

relinquere, & terga vertere? *Fuge ergo* (hortatur Bernardus) sed quis erit fugæ terminus? ad quem confugiam? *Et confuge anima ad urbem Refugii* (subnectit Doctor mellifluus) *hoc est, ad vitam Religiosam.*

S. Bern ibid.

VII. *Terminus ad quem est status Religiosus.*

Terminus iste ad quem, multam videtur habere asperitatem, nam ut privativas molestias taceam, privationem scilicet omnis voluptatis per castitatem, divitiarum per voluntariam paupertatem, propriæ libertatis (quæ auro venditur) per votum obedientiæ positivæ etiam vigiliarum, jejuniorum, habitûs rigidi, aliæque asperitates accedunt, ac mortificationes, ut cum psalmista dicere valeant, *propter te mortificamur totâ die, æstimati sumus, sicut oves occisionis.*

Psal. 43. v. 22.

Hortatur tamen Doctor mellifluus Tyronem cœlestis militiæ; *Non pœnitentiarum austeritas te deterreat.* Hæc enim triplici maximè ratione non tam superatur, quàm mitigatur. Ac primò quidem interna animi consolatione, ac quiete, deinde mercedis magnæ nimis consideratione, ac demum ardenti divini amoris impulsu.

S. Bern. cit.

Eius austeritas ex tria mitigatur.

Internam animi consolationem quod attinet, inexpertis eam persuadere perdifficile est, cùm ignoti sit nulla cupido. Unde bene Augustinus monet: *Da amantem da desiderantem, da ferventem, da in ista solitudine peregrinantem, atque sitientem & fontem æternæ patriæ suspirantem, da talem, & scit quid dicam; si autem frigido loquor, nescit quod loquor.* Quare difficile est Acatholicis spiritualium consolationum inexpertis, & frigidis hæc demonstrare, qui vident externas tantùm passiones, non autem internas unctiones nostras. Attamen si vel modicum veritati aures præbere velint, nolintque ipsi lumini naturæ rebelles esse, fateri omnino debebunt, quòd sicut mundus molendini instar per affluentes divitiarum, & delitiarum, ac honorum inconstantes aquas, semper voluitur, agitatur, & curarum, solicitudinum, passionúmque inordinatarum strepitu, ac metu continuò concutitur, & inquietatur, ita è contra, qui mundo, omnibúsque temporalibus se abdicavit, soli adhærens Deo, (ad cujus & non ad mundi, fruitionem, & amorem creatus est) veram animi quietem & Sabbatum obtinebit, liber ab omni inordinatarum passionum tumultu, qui ab inordinata temporalium rerum cupiditate excitatur, quod ipsi ei amantiqui Philosophi ex lumine naturæ erant edocti, unde & Crates Philosophus & alij sponte divitiis renuntiarunt, ad

S. August tract. 26. in Ioann. 1. *Interna consolatio*

Mundus tumultuosus sicut molendinum.

Anima quies & Sabbatū.

quietem & Sabbatum mentis adipiscendum, quod in hoc mundo, & inter mundi cupiditates non datur, uti in discursu decimo quinto demonstrabitur. Quamvis in hoc aberrarint insani, inflatæ sapientiæ venatores, Philosophi, quòd centrũ animæ rationalis ipsum Deum verum ignoraverint, in quo solo anima & cor hominis quiescit, unde Augustinus: *Inquietum cor meum Deus, inquietum cor meum, donec veniam ad te, qui factus sum ad te.* Cùm igitur vincula Religionis, hominem trahant, ac dirigant in ipsum suum Centrum, hinc est, quòd etiam dura hæc & arcta vincula, (non ferrea, sed aurea amanti) non habeant asperitatem, sed jucunditatem veram, certum solatiũ, apparentem dolorem, dulcem laborem, securam quietem, tranquillam beatitudinem, atque plenam spem.

Deus Animæ centrum.

Ad hoc dirigit status Religiosus.

VIII. Matt. 19. v. 27.

Quam quidem spem ipsa divina Veritas indubitatam fecit, ipsi Apostolorum Principi scisscitanti: *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te, quid ergo erit nobis? Amen dico vobis, quòd vos, qui secuti estis me, in regeneratione cùm sederit filius hominis, in sede majestatis suæ, sedebitis & vos, super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel; Et omnis, qui reliquerit domum, vel fratres aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.*

2. *Æternæ mercedis consideratio.*

Quid his verbis clarius? Quid consolabilius? Hæc planè sunt verba, quæ teste S. Bernardo *Ægyptum spoliant, Monasteria replent*; nam licet magnæ sint Religionum asperitates, tamen cùm non sint condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis, omnes quantumvis graves præsentis vitæ asperitates, atque mortificationes, æternæ gloriæ contemplatio alleviat, & ad passionem magnanimos facit. De quo vide Conc. de Ascensione Domini, &c.

Dominicale. fo. 420.

IX. 3 *Amor. Dei.*

Verùm enim verò, sincerum, & strenuum Dei servũ non decet esse Mercenarium, qui magis amore, quàm spe mercedis ad serviendum Deo incitari debet, ut cum Apostolo dicere possit: *Charitas Christi urget nos.*

2. Corint. 5. v. 14.

Erit fortè, qui objiciat, amorem Dei non in Religiosis solùm, sed æquè etiam in viris sæcularibus & conjugatis radices agere posse. Sed negat hoc Apostolus, nam, *qui cum uxore est, solicitus est, quomodo placeat uxori, & divisus est.* Cùm ergo divisum sit cor eorum in amorem conjugis, temporalium, rerúmque mundanarum, & in amorem Dei, in tantum in amando Deo tepescit, in quan-

1. Corinth 7. v. 33.

Sæcularis Cor divisum.

quantum ad diligendas creaturas inardescit. *Per contemplationem quippe colligimur, & redigimur in unum, à quo in multa defluximus*, (testatur ex propria experientia S. Augustinus) *Minùs enim te amat, qui tecum aliquid amat, quod non propter te amat.* Idem etiam confirmat S. Gregorius, *Tantò* (inquiens) *quis abillo supernò amore disjungitur, quantò inferiùs delectatur, & citiùs ad Deum convertitur, qui non habet in hoc sæculo, unde delectetur.* Concludit ergo Seraphicus Bonaventura: *Cætera igitur tibi Creatura vilescat, ut creator tuus in corde solus dulcescat*, cujus amor tantæ dulcedinis est, & efficaciæ, ut de eo affirmare non vereatur S. Antonius noster Paduanus: *Amor Dei omnem amaritudinem vertit in dulcedinem: Spiritus meus super mel dulcis, & hæreditas mea super mel, & favum; Spiritus scilicet paupertatis, & hæreditas, id est, passio Christi, sunt dulciora super mel, & favum cordi verè amanti.*

Augustin. Confess. l. 10. c. 29

Non plenè potest amare Deum.

Gregor. hom. 30 in Evang.

S. Bonav. Solil. c. 1.

S. Anton. Pad. Dom. 1. Pasc. a. Eccli 24. v. 27.

Amor omnia alleviat.

X. Idémque amor ex meditatione amorosæ Dominicæ Passionis exardescens præcipuus stimulus & calcar est, quo anima contemptis vanis, fallacis mundi, illecebris cruenta Salvatoris vestigia, & asperam paupertatis viam in statu Religioso, sequendam excitatur, *Charitas Christi urget nos*, indignum enim videtur & indecorum militi, delicatam, ac delitiosam agere vitam, cum in duro ac aspero certamine, ac passione Ducem suum conspicit laborare.

Amor ex meditatione passionis Domini exardescit.

Vocatum è castris Uriam hortabatur Rex, ut corpus labore & itinere defatigatū refocillaret, *Vade in domū tuam, & lava pedes tuos*, quem è domo Regis egressum secutus est cibus regius. Accepto autem nuncio David, quòd Urias non descenderit in domum suam, ante portam domûs regiæ cum aliis servis Regis dormiens, rursus ad se vocato dixit: *Nunquid non de via venisti? Quare non descendisti in domum tuam?* Cui ille generoso animo: *Arca Dei, & Israël, & Iuda habitant in papilionibus, & Dominus meus Ioab, & servi Domini mei super faciem terræ manent, & ego ingrediar domum meam, ut comedam, & bibam, & dormiam cum uxore mea? per salutem tuam, & per salutem animæ tuæ non faciam rem hanc.*

2. Reg. 11. v. 8.

Virus voluptatem recusat.

v. 11.

Considerans Ducis sui labores, & incommoditates.

Si ita ad omnem contemnendam etiam licitam voluptatem, & corporis commoditatem exarsit Urias ex Arcæ, & ducis sui Joabi exemplo, quantò magis Christianus quisque cruentum, & Cruci infami confixum cernens, aut contemplans Dei Filium, erubescere debet de vita voluptuosa, commoda, & delicata? *Quid enim abominabilius*

Sic Christianus.

S. Bonav. in stimulo. p. 2. c. 9. (exclamat meus Seraphicus) *quàm pro me stercore, videre Dei Filium in assumpta humanitate mortem turpissimam, & gravissimam tolerare, & me velle frui delitiis huius mundi? O homo, non homo! sed stercus, & plus quàm stercus.*

XI. Hic, hic est ille generosi, & Divino amore accensi animi stimulus, quo agitati tot mundi magnates & proceres, non ex pusillanimi dejectione, sed generoso cruenta Ducis sui Crucifixi vestigia sequendi animo incitati, omnibus mundi deliciis sponte relictis, voluntariæ se paupertati, & asperæ Religiosi instituti vitæ se devoverunt, animo secum volventes; quòd Arca Dei & Israël, Dei Sapientia, & Dei Filius, Dominus meus manet super faciem terræ, nudus, ac cruentus duro hæret affixus stipiti, felle & aceto potatus, & ego comedam & bibam, & dormiam cum uxore mea? Per salutem tuam, & per salutem animæ tuæ, non faciam rem hanc.

Christi cogitans passionem.

Hoc igitur ardens cruenta Christi vestigia sequendi desiderium & amor, Religiosas ascetarum, præsertim S. Patriarchæ Benedicti, Francisci, Dominici, Ignatij ac aliorum familias, personis nobilitate, ac divitiis floridissimis, imò & Regibus, Ducibus, Principibus, & Marchionibus cohonestavit, & etiamnum modernis nostris temporibus, nec Duces, nec Marchiones & Principes defuerunt, qui purpurâ cum obscuro, aut cinericio habitu commutatâ, quò profundiùs illustrissimæ prosapiæ splendorem absconderunt, eò clariores exemplaris vitæ radios emiserunt, & tanquam *Stellæ dederunt lumen in custodijs suis, lætatæ sunt & vocatæ sunt, & dixerunt adsumus, & luxerunt ei cum iucunditate, qui fecit illas.*

Exemplū Christi.

Monasteria replevit magnatibus.

Barruch. c. 3. v. 34

Et meritò cum jucunditate tales stant in custodiis die ac nocte, summum enim felicitatis genus judicant, illi famulari, cui servire regnare est, *Beati viri tui, & beati servi tui, qui stant coram te semper, & audiunt sapientiam tuam. Vere beati sunt,* (glossatur ordinaria) *quorum Rex est Christus*, non solùm, quòd ejus gloriâ & visione perfruentur in cœlo, sed etiam quòd in terra adhuc ad ejus admittuntur servitutem, quæ ab excæcato quidem, & stolido mundo despecta, à veris autem Sapientibus honorabilis æstimatur, nam, uti bene nobilissima Christi famula ac Martyr, S. Agatha, tyranno objecit, *summa ingenuitas ista est, in qua servitus Christi comprobatur.*

Qui se honoratos ex servitute hac iudicauit 3. Reg 10 v. 8.

Vide Fegatha stivale. fol. 228.

XII. Quòd autem sacra hæc servitus probrosa, ac dura, imò insupportabilis visa sit modernarum

narum sectarum choriphæis, & quòd migraverit Judas, ob multitudinem, & asperitatem (uti sibi imaginabatur) monasticæ servitutis, causa est, quòd hæc cruenta Christi vestigia contemplari, multò minùs sequi intenderit, sed *qui vescebantur voluptuosè, interierunt in viis*, nempe (uti Interlinearis glossatur) *Qui vescebantur Sacramentis scripturæ*, interierunt in viis, *sæculi*; addit S. Bonaventura, *in vijs latis sæculi. Qui nutriebantur in Croceis, id est, meditatione Dominicæ passionis, amplexati sunt stercora*, id est, *Carnales delitias*, ait idem Doctor Seraphicus.

Religio apostata insupportabilis.

Thren. 4. v. 5.

Glossa interi.

S. Bonav. in Thren. hic.

Cum his concordat Hugo Cardinalis, qui vescebantur voluptuosè, *Clerici scilicet, & Religiosi, qui solebant in spiritualibus deliciis vivere, scilicet in S. Scripturæ meditatione*, interierunt in viis, *quæ sunt superbia, avaritia, invidia, & luxuria*: Qui nutriebantur in croceis, id est, *in delitiis Scripturæ, per passionem Christi rubricatæ*, amplexati sunt stercora id est, *temporalia, Item mulieres*: nam *mulier fornicaria, quasi stercus in via ab omnibus conculcabitur.*

Hugo Card. hic

Quia non eorum amant, nec spiritualem habent conjugationem.

Eccli. 9. v. 10.

Quo stercore croceus Dominicæ passionis odor illis fuit suffocatus, cœlestis, & æternæ retributionis spes sepulta, & gustus cœlestium consolationum corrupus, impossibile enim cœlestibus simul, & terrenis refici consolationibus, nec balsamum illud purissimũ, huic fœtidissimo stercori misceri potest, sicut fusè infra Disc. 12. demonstrabitur. Maximè autem hoc stercore purissimus charitatis ignis in eorum cordibus hac sorde repletis fuit extinctus, neque unquam auditum fuit, Sectariorum Primicerios, unquam, tractatus de divino amore, stimulum, aut incendium Amoris, aut Amatorium, aut Alas ignitas Seraphin, ad instar Seraphici Doctoris scripsisse, utpote, qui terreno, & carnali affectu pleni, nec divini amoris incendium, nec dulcorantem ejus virtutem senserint.

Mens & venter simul impleri non possunt.

Nullus Acatholicus de amore Dei scripsit.

XIII.

Unde mirum non fuit, quòd tales Religionis servitutem, gravem apprehenderint, & quòd migravit Judas propter afflictionem & multitudinem servitutis, nempe juxta Hugonis expositionem, migravit Judas, id est, *claustralis ad sæculum*, habitavit inter gentes, *Laicos scilicet*, nec invenit requiem, scilicet *Conscientiæ bonæ, sed magis turbationem*, (exponit glossa moralis) *Ideò sequitur*: Omnes persecutores ejus, *id est, dæmones*, apprehenderunt eam inter angustias, *id est inter strictas religionis observantias, quas transgrediuntur, & sic à dæmonibus capiuntur.*

Hugo hic

Glossa moralis.

In morte habebunt angustias.

Ne

Luc. 9. v. 62.

Ne ergo has anguſtias, horum perſecutorum manus incurramus, vocationis noſtræ celſitudinem conſiderantes, nõ reſpiciamus retrò cum uxore Loth; *Nemo* enim *mittens manum ad aratrum, & reſpiciens retro, aptus eſt regno Dei.* Ut autem in finem uſque perſeverare poſſimus, divinum imprimis imploremus ſubſidium, ſicut enim ſine ipſo nihil valemus, ita in, & cum eo, qui nos confortat, omnia poſſumus, eritque ex Dominicæ paſſionis, ſanctorúmque exemplorum meditatione, ex amoris dulcedine, ſupernæ conſolationis confortatione, ac æternæ retributionis conſideratione, ſervitus noſtra levis, ſuavis, ac conſolatoria, guſtabimus, & videbimus, quoniam ſuavis eſt dominus, donec, peracto fidelis ſervitutis noſtræ curſu, intrabimus in gaudium Domini noſtri, qui erit merces noſtra magna nimis, Amen.

DISCUR-

DISCVRSVS VI.

Ghimel.

Migravit Judas propter afflictionem, & multitudinem servitutis. *Thren. 1. v. 3.*

DE ANIMA.

Anima peccatrix rarò in primo peccato sistit, sed cadere incipiens, de peccato in peccatum migrat.

1. MAgno, & lento labore ad ardua tenditur; simons aut scala ascendenda, gradatim & pedetentim proceditur, nec periculum, quòd uno saltu scalæ ascensum quis superet. At facilis descensus, & præceps, uno sæpe saltu, aut potiùs casu per scalam descenditur, nec in uno sistitur gradu, sed de gradu in gradum, usque ad fundum, cadens præcipitanter devolvitur.

Arduus ascensus, & lentus,

Via ad virtutem ardua est, violenter ascendendum, & eluctandum est, unde non properanter, sed pedetentim de virtute in virtutem pede lento ascenditur. At via vitiorum, &

Descensus præceps.

semita ad interitum tendens deorsum vergit; hîc sine lege & per saltum, non observato graduum ordine descenditur, sed uno sæpe casu multos simul emetitur gradus, & in plenitudinem vitiorum peccator præcipitatur. Versus iste, quem exponimus, Ghimel intitulatur, id est, *Plenitudo*, uti etiam Hugo Cardinalis observat; *Ghimel, interpretatur plenitudo, quia pro plenitudine peccatorum captivati sunt*; quod efficaciùs exponens glossa, ait: *Migravit Iudæa propter multitudinem peccatorum*: Migravit scilicet populus Judaicus non tantùm inter Babylonios, sed etiam inter alias gentes, *de loco in locum*, teste Hugone.

Glossa in Hugo Card. Glossa Ordin.

Moraliter hîc describitur miserabilis, animæ peccatricis, status, quæ semel à Deo recedens, ubi cadere cœpit, plerũq; nõ uno lapsûs gradu contenta, per plures præcipitatur gradus, uno verbo, *de vitiis migrat ad vitia*. nec cadendi finem facit, donec in plenitudinem devolvatur. Persuadet in principio dolosus tentator, unicum ruinæ gradum, quo adepto, nullum ulterioris casûs pertimescendũ sit periculum; Mitte te deorsum, inclamat tentator; Ne verearis? Præfixus est certus ruinæ terminus, in primo casûs sistetur gradu; quid dubitas? quid hæres in passu unico, quem revocare licebit pro mentis arbitrio? Mitte te deorsum. Sed vix unquam in uno passu, in uno gradu subsistet casus, sed ubi semel, subtractâ pedum firmitate, ruinæ factum est initium, jam omnia uno aguntur impetu, & præcipiti per gradus casu, de vitiis migratur ad vitia, & in plenitudinem & multitudinem peccatorum, celeriùs, quàm quisque sibi imaginari poterat, devenitur.

Gloss. Ordin. — *Successivum descensum suadet tentator.*

II. Magno animi fervore in peccatores invehitur Regius Psaltes: *In corde iniquitates operamini in terra.* Quæ cogitationi morosæ enormitas? Quæ, tantâ invectione digna turpitudo? ait tentator; facilè expiatur leve cogitationis piaculum, facilè hæc subducitur, & emendatur macula cordi soli inhærens. Sed (dato, non concesso, quòd noxæ in exterius opus non egredientes, & in solo recluſæ corde, sint de leviori peccatorum genere) nunquid restringes, & continebis (ait Augustinus) *iniquitatem forte in corde solo?* Non: non: vult dicere magnum Africæ Lumen; *Audi quid sequitur. & cor suum, sequuntur manus*, à cogitationibus devenitur ad opus consummatum: *Iniquitates manus vestræ concinnant* hoc est, *connectunt*, juxta Augustini versionem. *Quid est connectunt? De peccato peccatum, & ad peccatum, peccatum propter peccatum*, respondet egregiè præfatus Doctor. *Quid est hoc?* Ipse se declarat exemplo. *Furtum fecit? peccatum est. Visus est? Occidere quærit eum, à quo visus est. Connexum est peccatum peccato. Permiserit Deus occulto judicio occidere eum, quem voluit occidere: Sentit sciri; quærit & alterum occidere; connexuit tertium. Dum ea molitur, fortè ne inveniatur, aut quia fecit, ne convincatur, consulit Mathematicum: additum est quartum. Respondet forte aliqua dura & mala Mathematicus, curritur ad Aruspicem, ut expietur; respondet aruspex, non se posse expiare, maleficus quæritur. Et quis omnia possit numerare, quæ connectuntur peccata peccatis?* huicunsque D. Augustinus.

Psal. 57. v. 2.

S. August. lib. c.

Exemplificatio in furto.

Ex

Iudas de peccato in peccatum migravit

Ex quo apparet, quàm periculosè Judas, peccator, cùm semel cadendi fecit initium de peccato in peccatum migret. Migravit Judas! Et planè si ipsum proditorem Judam inspicere velimus, clarum ille nobis exemplo suo testimonium perhibebit, de quo testatur Evangelista, *quia fur erat, & loculos habens, ea, quæ mittebantur, portabat*: A furto crevit pecuniarum cupido, quibus cumulandis proditorem se obtulit coram principibus Sacerdotum, ad tradendum, & vendendum innocentem Filij Dei sanguinem, à proditione migravit Judas ad indignam & sacrilegam Corporis Dominici sumptionem, quo indignè accepto, introivit in eum Satanas, ut ad Principes Sacerdotum pro capiendo mundi Salvatore properaret, ipse dux reproborum effectus, quibus proditorio fictæ amicitiæ osculo signum dedit; Demum à nefaria proditione ad ipsam desperationem & laqueum migravit, de vitio ad vitium, de peccato in peccatum præcipitatus. Quis unquam sibi persuasisset Apostolicæ dignitatis, & sanctitatis consortem ex uno avaritiæ lapsu ad tam enormes scelerum casus devolvendum? Sed hæc est cadentium miseranda conditio, ut in uno gradu & casu non subsistat, sed casum casu cumulet, & multiplicet.

Ioan c. 12 v. 6.

Attendite Religiosi.

III.

Vidit in suo excessu Apocalyptica Aquila, Angelum de cœlo descendentem, in fortitudine clamantem, ac perversæ Babylonis ruinam de prædicantem: Cecidit, cecidit Babylon magna, & facta est habitatio dæmoniorũ, & custodia omnis spiritus immundi. Advertit glossa, Lyranus & Hugo Carensis, quòd Angelus *geminato verbo geminat ruinam*, animam namq; peccatrix, Babylonicâ confusione perversa cecidit, cecidit, hoc est cadendo cadit, *propter peccata carnalia & spiritualia*, id est, de carnalibus peccatis præcipitatur in spiritualia, de abysso in abyssum, donec fiat abominanda habitatio dæmoniorum, & custodia omnis spiritûs immundi: Cecidit, cecidit talis anima miseranda, nec firmũ amplius, solidumque in plano pedem, aut gressum figere potest, quoniam (ait Job) *involutæ sunt semitæ gressuum eorum*. Et quid sibi volunt involutæ semitæ, & involuti gressus? Probè magnus respondet Gregorius, *cùm culpa culpæ adjungitur, quid aliud, quàm involutæ semitæ, atque innodatis vinculis prævorum gressus liganter?* Pedes enim ligati, quid nisi iteratam ruinam, gressus involuti, quid nisi repetitos casus præsagiunt? *Unde bene* (pergit

Apoc. 18. v. 2.

Babylon anima peccatrix

Hugo Card. hic.

Cadendo cadit.

Iob c. 6. v. 18.

S. Greg. l. 7. Moral. c. 15.

Gregorius) *contra perversam mentem, sub Iudeæ specie per Isaiam dicitur: Erit cubile draconum & pascua struthionum... & pilosus clamabit alter ad alterum.* Et quisnam pilosus iste Faunus, & horridus Onocentaurus? *Pilosi nomine* (replicat præfatus Doctor) *cuiuslibet peccati asperitas designatur:* Itaq; Pilosus alter ad alterũ clamat, *cùm perpetrata nequitia ad aliã perpetrandã provocat, & quasi quadam cogitationis voce commissa iam culpa, culpam adhuc, quæ committatur, invitat ...* Quippe *perversam mentem culpa subsequens, ex occasione culpæ præcedentis illaqueat, ... Sicque fit, ut semper se gressuum semitæ deteriùs involvant, dum mentem reprobam culpa per culpam ligat.*

Isa. c. 34. v. 13.

Pilosus est peccatum.

Qui vocat aliud peccatum.

Quod sub pilosi ad alterum clamantis nomine Isaias innuit, hoc idẽ sub Abyssi nomine declarat Regius Propheta: *Abyssus abyssum invocat:* Id est, *culpa culpam,* glossatur moralis: *Unde,* dicit Gregorius, *peccatum, quod per pœnitentiam non deletur, mox suo pondere ad aliud trahit.* Nã abyssus, abyssum, Faunus pilosum, pilosus onocentaurum invocat. Hoc est, (juxta expositionem Hugonis) *peccatum peccatum; Sicut superbia avaritiam; gula luxuriam: ira homicidium. &c. Matt. 12. Assumit septem spiritus, nequiores se, ut fiat habitatio dæmoniorum,* & custodia Spiritûs immundi. In summa, abyssus abyssum invocat, & peccatum in peccatum, culpa in culpam trahit: Migravit Judas de vitio in vitium.

Psal 41. v. 8.

S. Greg. super Ezech. c. 3.

Hugo Card in Psal. hic.

Proprio id ipsum damno abundè expertus fuerat David, qui eo tempore, quo solent reges ad bella procedere, misso, cum exercitu, contra hostem Joabo, ipse quieti interim, & animo domi suæ indulsit; Subinde Regiis cibis ad prandium bene saginatus in tumultuariũ sese lectulum prostraverat, ac post meridiem de strato surgens, desidiosus, ac otiosis vacans cogitationibus super solarium deambulaverat. Indecens tanto heroe ac Prophetâ culpa, erat otium, eúmque, qui galeâ & loricâ cinctus, formidabilis debebat esse hostibus, molli recumbere pulvinari, eum, qui levâ clypeum, dextrâ vibrare hastam debuerat, complicatis manibus, & somno adhuc ligatis incedere pedibus. David, qui fixis priùs vestigiis alacris & indefessus vijs mandatorum Dei institerat, moveri cœpit, & vacillare pedibus ex otio, mei autem penè moti sunt pedes, ut in otii vitium prolaberentur. Sed nunquid in primo ruinæ gradu vacillantes gressus Davidis subsiterunt? En migrat Judas, & Leo de stirpe Juda, David mox ad alterum

IV.

2. Reg 11. v. 1.

Lapsus David de peccato in peccatum.

Primum peccatum otium.

Ps. 72. v. 2

terum gradum & vitium: Otiosus curiositati oculorum fræna laxat, è solario prospicit, mulierem se lavantem conspicit, pulchram valde, cujus specie haustum per oculos venenũ mox ad cordis intima penetrat, delectatione inficit, ad consensum cor trahit. O vir secundùm cor Dei! quò te oculorum incauta concupiscentia? quò te otij desidiosa lues trahit? ut cor nocturnis vigiliis attritum, orationibus succensum, lacrymis pastum & confortatum, ad concupiscentiæ & adulterij consensum rapi patiaris? Verè & tu iniquitatem operaris in corde! Sed nunquid (ut verbis Augustini utar) *in corde solo?* Cor suum sequuntur manus; iniquitates manus tuæ concinnant, consensum opus ipsum subsequitur. An fortè in ipso opere ac consummato enormi adulterij peccato unctus Domini subsistit? Imò verò nullus adhuc migrandi, ac cadendi de peccato in peccatum finis.

2. *Adulterium.*

Quoniam ex adulterio se concepisse Davidi nuntiaverat Bethsabee, ille de castris per expressum avocat Uriam, humanissimè excipit, dura cubantem humo regiis dapibus munificentissimè recreat, ac vino cor ejus, laboribus, ac curis aggravatum, sublevat, & inebriat, ut maritali thoro castrensibus curis sepositis fruatur, hortatur, omnia hæc gerens sub humanitatis ac benevolentiæ specie, revera autem intendens, ut dormienti cum uxore, partus adulter injustè marito, & non sibi adultero adscriptus, perpetratum tegat adulterij peccatum. En quanta Davidis injustitia, ut non solùm legitimo marito violare uxorem, sed etiam læso marito alienum hæredem, & legitimis liberis illegitimum jungere cohæredem attentet. *Vide hic ut unum peccatum trahat aliud?* monet Cornelius. Vide, quomodo ab otio ad adulterium, ab adulterio ad tam enormem, & adulteris valde usitatam injustitiam prolapsus sit, ut marito, filius ex adulterio susceptus, supponatur, isque cum magno verorum filiorum damno alendus, reliquis legitimis hæredibus justam hæreditatis partem surripiat. *Ut hanc* ergo *fœtûs suppositionem David adornet, Uriam inebriat* (notat Cornelius) *quod tertium fuit ejus peccatum.*

Tertium Inebriatio Uriæ.

Cornel. v. 13.

Iniustitiæ in suppositione prolis.

Sed neque hîc sistunt effusi in lapsum Prophetæ gressus, e lusos enim supponendi fœtûs consilio, cum falsis, ac proditoriis literis ad Joabum in castra ablegatur fidelis Urias, deserendus in acriori conflictu,

Psal. 72. v. 2.

4. *Homicidium.*

& Ammonitarum gladiis sacrificandus. Dictum, factum. Advolat è castris nuncius, uti credebatur, Regi ingratus, cecidisse scilicet de servis Davidis viros non tantùm gregarios, sed ipsum etiam Uriam Hethæum, Regi imprimis carum. Dissimulat David, politicorum more acceptum nuncium, varios belli eventus prætexit; interim non tantùm de perpetrato feliciter, & tectâ dexteritate homicidio, sed etiã copulandâ in matrimonium viduâ sibi gratulatur. Introduxit eam in domum suam, & facta est ei uxor.

Altùm ad hæc suspirat Isidorus, gravem Davidis de peccato in peccatum casum considerans: *Sic ex vitio vitium gignitur; Sicut David non evitavit adulterium, perpetravit & homicidium.*

& Isidorus apud Cornel.

Concludunt hos enormes Davidis lapsus his verbis sacræ paginæ, & displicuit verbum hoc, quod fecerat David coram Domino, nempe quòd David non contentus perpetrato adulterio & homicidio, etiamnum cadere & de peccato in peccatum migrare non destiterit, ductâ scilicet in uxorem adulterâ. *Fuit ergo* (attestatur Cornelius) *hoc quintum Davidis peccatum, Iudæis enim vetitum erat, ducere illam, quam adulterio pollussent*, quare summopere Deo displicuit hæc adulteræ copulatio, cùm quia novum in hoc perpetravit David peccatum, tum quia adulteram ducendo approbavit priùs adulterium, & homicidium, teste eodem Cornelio.

3. Copulatio adulterea.

Cornelius hic.

Sistite hîc doloso tentatori nimis creduli, & incauti mortales, & cum tremore enormiter de peccato in peccatum cadendo cadentis Prophetæ ruinam contemplamini. Heu cecidit, & cecidit! cecidit vir Dei, non uno, sed iterato, & reiterato lapsu miserè in abyssum peccatorum. Discite alieno damno, non facilè in lapsum gressus effundere, non facilè in uno ruinæ gradu substituros. Nolite vobis persuadere, parum saluti vestræ præjudicare, in unam levem cogitationis aut morosæ delectationis culpam prolabi, non ulteriùs vos de corde ad manus, de cogitatione ad factum processuros, hîc terminũ culpæ vestræ ponendum & finem lapsui: Credite mihi, & si non mihi, aliorum exemplis & experientiæ credite, malitiam certus non terminari finibus, & peccato ad peccatum viam sterni, ut verbo dicam: de vitio migrari ad vitium. Nemo dicat, nemo sibi promittat, seq; securum reddat: Huc progrediar, & non ampliùs.

Solet subinde hyberno tempore: V.

In glacie discedi ter sistitur.

pore ad relaxandum animum licentiosa juventus stagna, lacus, aut flumina, glacie congelata, tentare, ubi in hoc continenti vitreo, certatim velocissimo cursu vehuntur, excipiunt tamen subinde periculosi casus, & casualia pericula hanc animorum relaxationem, dum vel pedibus vacillantibus, aut non observato justo corporis æquilibrio prosternuntur, vel etiam nimium ad eas partes & extremitates, ubi glacies nondum firmè satis & solidè condensata est, excurrendo, miserè rupta glacie demerguntur. Licet enim hoc casu periculum finaliter advertant, cursum tamen cœpto semel impetu sistere repentinè nesciunt, neque qui glaciei semel se impetuosè credidit, promittere sibi potest, huc progrediar & non amplùs. Sic etiam ille, qui semel glaciali cursui voluptatis, alteriúsve mali se credidit, sibi promittere non præsumat, quòd post unum, alterúmve malitiæ passum, post unum peccatum, statim pedem firmare valeat, sed semel in vitiorum glaciem provectus, viam semper magis lubricam in glaciali hac palæstra reperturus, de vitiis, migrabit ad vitia.

Sic in peccatis.

VI. Videbis subinde juvenem, aut puellam, qui licet dehortantibus amicis lubricas tamen occasiones, ac societates evitare negligunt, nihil magni, nihil scandalosi in animo volventes, in lubricam tamen glaciem descendunt, confidentioribus colloquiis, nutibus, aspectibus, & subinde levibus oscul is cõtenti, ad majora scelera, & turpitudines progredi non intendunt. Sed in lubrica hac glacie nondum sistitur; ab osculis ad tactus enormes, ab his ad ipsam prolabuntur fornicationem; Ingravidatâ complice consilia aguntur de contegendâ infamiâ, & suffocando partu, quæruntur medicinæ damnabiles, aut iis optatum effectum non consecutis, ad ipsum proceditur immane infanticidium, quo non tam vitâ, quam cœlo miser partus, baptismi subsidio destitutus, privatur; primo scelere fœliciter peracto, atque contecto, priores repetuntur lasciviæ, attentantur antiquæ infanticidiorum immanitates, si metus sinistri successûs accedat, ad maleficos, ad magos, ad ipsam dæmonum opem recurritur, & in subsidium famæ, anima infernali hosti oppignoratur, Deo, omnibúsque Sanctis renuntiatur, & in hoc maligni hostis mancipatu miserè peritur. Sic de peccato in peccatum, de abysso in abyssum migratur.

Luxurius semper ulterius fertur.

Suspe-

VII. *Adulter.* Suspecta consortia fortè frequentabit ligatus cum ligata, gravis subsequitur casus, accrescet marito hæres illegitimus, animis lascivo amore succensis, maritalis erga consortem affectus extinguitur, hîc de conjuge è medio tollendo consultatur, parantur venena, araneæ è domûs pendentes parietibus conquiruntur, jusculis, ac cibis ingerendæ; ad secundas illegitimas nuptias proceditur, interim ne fama jacturam patiatur, externus devotionis habitus simulatur, ad sacrum pœnitentiæ tribunal acceditur, enormi tamen scelere semper altùm dissimulato, à sacrilega Confessione, ad indignam proceditur Cõmunionem, & dum usque ad vitæ finem in hisce detestandis sacrilegiis, ac illegitimo thoro perseveratur, miseri inter mortis angustias concluſi, ac de spe veniæ desperabundi, æternùm pereunt.

Ebriosus. Alii gulæ, ac compotationibus addicti, dum popinas accessuri de meliori capessendo consilio admonentur, de omni excessu sanctè fidejubent, sed vino in vitro flavescente, & dulciter per gulam descendente, vapores ascendunt de stomacho ad caput, turbulentum jam aliàs, & tumultuosum cerebrum perturbant, ex levi quovis verbo captatâ occasione excitantur rixæ, de verbis devenitur ad verbera; provocantur ad duella compotatores, aut ex subitis motibus ad arma concurritur, ad cædes & homicidia, uno verbo, de peccato ad peccatum.

VIII. Alii à vino non in leones, sed in porcos conversi, à gula migrant in agnatum illi vitium luxuriæ, lascivis verbis & jocis viam majori malo parantibus. De Israëlitico populo testatur Scriptura: *Sedit populus manducare & bibere*: sed nunquid in gula substitêre Hebræi? Quin imò de vitio migrarunt in vitium: *Et surrexerunt ludere, id est, fornicari*, juxta aliquorum expositorum mentem. Exod. 32. 6. *Sic & Loth. Gen. c. 19.*

Lusor. Sed posito, quòd lusus in genuino suo sensu intelligendus sit, an fortè putamus, ab hoc in aliud vitium non migrari? Docet planè experientia, eos, qui ludendo, & (quod illi communiter jungitur) potando dediti sunt, dum ex tenui substantia sumptus, & jacturam prosequi non possunt, parentibus, & patribus familias suffurantur pecunias, vinum, frumenta, quibus nutrire possint bibendi, & ludendi cupidinem, imò subinde pupillorum substantias, publica æraria, aut creditas sibi ratione officii publici pecunias subtrahunt, quibus quotidianum compotadi, & inludendi usum foveant.

Ambi-

IX. Ambitiosus, conquirendis officiis, & dignitatibus magnas facit expensas, lege ambitûs aliàs prohibitas, si spe & expectatione suâ defraudetur, implacabile concipit odium, nullam præterit occasionem se vindicandi, & omnem lapidem movet ad scandalum æmulo suo parandum, nam injuria accepta, manet altâ mente, reposita, & imprimit characterem quasi indelebilem. Quòdsi verò desiderata ambitiosus dignitate potiatur, jam sumptuosus & pomposus, familiam ad vestium luxum, conviviorum, apparatum parat & instruit, sed dum luxui privati redditus non sufficiunt, pauperibus sudorem, & ærario sanguinem exprimit, & sic de peccato in peccatum migratur, & abyssus abyssum invocat.

Ambitiosus.

Non igitur fidem demus dolosis callidi serpentis inspirationib s, qui persuadere animæ conatur, mitte deorsum, ad unum tantum peccati consensum, descende ad unicum tantùm culpæ gradum, ulteriorem non prætendo casum, cavebo de ulteriori ruina, &c. sed cave ô anima, si vel semel cadere cœperis, si vel semel facto impetu glaciei te credideris, tam facilè non subsistes. Fige igitur firmiter gressus tuos, & cum Propheta constanter propone; Nom movebor in æternum, Amen.

DISCVRSUS VII.

Daleth.

Viæ Sion lugent, eò quòd non sint, qui veniant ad solemnitatem *Thren. 1. v. 4.*

DE ECCLESIA.

Luget, quòd inter omnes Christianorum status tam pauci sint, qui per viam virtutum ad sanctitatis solemnitatem veniant.

1.

Matt. c. 22. v. 2.

Regnum cœlorum simile factũ est homini Regi, qui fecit nuptias filio suo, testatur Veritas æterna; Et ille quidè misit servos suos vocare invitatos ad nuptias, hi tamen, licet iteratò vocati, neglexerunt venire, ad sua quique commercia distracti: inter quos aliqui magis temerarij, & ingrati, tenuerunt servos ejus, & contumeliis affectos occiderunt. Regnum cœlorum, *Præsens Ecclesia dicitur*, teste glossa Interlineari, cui Pater æternus festivam instituit solemnitatem, dum *per Incarnationis mysterium Ecclesiam Filio copulavit.* Ad hanc solemnitatem Deus non tam populum Judaicum per Prophetas prænuntios Incarnationis, quàm gentes per Apostolos suos & Evangelicos Prædicatores vocavit. Major Judæorum pars non tantùm ad solemnitatem comparere recusavit, sed etiam servos ad se missos malè excepit, & vulneravit, nec meliùs servi, & delegati Concionatores à gentibus excepti, quæ sanguineis persecutionum procellis aditum Ecclesiæ penitus præcludedere videbantur, licet ex mira divinæ providentiæ dispositione ex ipso copioso Martyrum sanguine, exitus viarum largiùs fuerint aperti inducendis gentium populis, qui demum in tanta confluxêre copiâ, ut impletæ

Ecclesia est regnũ cœlorum.

Glossa Interl.

Nuptiæ cum Christo per Incarnationem.

pletæ fuerint nuptiæ discumbentium, & quemadmodum in principio, viæ Sion, & militans Ecclesia lugere, eò quòd

Isaiæ c. 60. v. 4. & 5. non essent, qui venirent ad solemnitatem, ita demum videbatur exultare, dum filios suos, & de longè venire, & de latere surgere turmatim, conspexit: adeóque viæ Sion gaudent,

Virtutes sunt viæ ad cœlum quòd tanta filiorum copia veniat ad solemnitatem. Verùm quidem est, quòd multi ad Ecclesiæ sinum veniant, quòd multi undique inveniantur Viatores Christiani, sed non ambulant per vias Sion ad solem-

Cornelius hic. nitatem; Per has vias intelligit Cornelius *virtutes*: *Hæ lugent, quia ab hominibus desertæ, & neglectæ sunt.* Ut verè illis Isaiæ verbis uti possit Ecclesia: *Multiplicâsti gentem, non magnificasti lætitiam*,

Isa. c 9. v. 3. quia summopere multiplicato Christianorum numero, pauci ssimi tamen ex omnibus Ecclesiæ statibus sunt, qui cum Zelo, & ardenti perfectionis studio per vias virtutum ad solemnitatem sanctæ vitæ properent, eámque attingant.

II. Multos invenimus urbiũ & populorũ institutores; Mercurius Trismegistus instituit Ægyptios, Feroneus Græcos, Lycurgus Lacedemonios, Solon Athenienses, Numa Pompilius Romanos, hi omnes, viros vel fortes, vel sapientes & doctos fundare intendebant. Fundavit & suam Christus rempublicam & Regnum, militantem scilicet Ecclesiam, in hac cives & fideles suos, non doctos, non nobiles, non divites, non sapientes, non facundos & Philosophos, sed sanctos fieri instituit, eósque per vias Sion ad solemnitatem venire desiderat. Unde benè advertendum, quòd cum Christo Ecclesia non luget, eò quòd non sint, qui veniant, sed quòd non veniant ad solemnitatem. Et quidem, teste glossa ordinariâ, *solemnitas ejus, est vitæ cœlestis intima contẽplatio, sed nõ sunt, qui veniant ad solemnitatẽ affectûs*, séq; pleno affectu ad virtutes & perfectiões sanctitatis applicẽt: Hinc in tanta à Christo institutâ solẽnitate, sola videtur sedere Ecclesia, *propter paucitatem bonorum* (glossatur Hugo) licet plena populo, *propter multitudinem malorum.* Hoc ergo est, quòd in præsenti deplorat Ecclesia, quòd in tanta multitudine filiorum tam pauci reperiantur ex omnibus statibus, qui ad solemnitatem sancti affectûs, & vitæ perfectæ accedant.

Christus suos non vult doctos, sed sanctos.

Gloss. Ordin.

Hugo hic v. 1.

In primitiva Ecclesia magno cum ardore viam virtutis terebant Christiani, exultantes instar gigantum ad currendam viam perfectionis. Erat tunc plena populo sancto Ecclesia,

III. *Olim abundabat sanctus Ecclesia.*

florebat sanctorum Episcoporum abundantiâ, redundabat fragrantiâ beatorum Confessorum, & Virginum, innatabat sanctorum Martyrum fœcundo sanguini, at modò viæ Sion lugent raritatem sanctorum in Ecclesia.

Sancti modò in Ecclesia rari.

Nam (ut præteream magnum hæreticorum numerum, qui magnas & vastas possident regiones & regna, nullamque veram, ac supernaturalem tenent virtutem, sed aliquas tantùm naturales politico colore, & splendore deauratas, etiam vera & sancta Ecclesia deplorat, quòd non sit justus, & diligens Deum, non quidem quòd absolutè nullus omnino sit, sed rarus, respectu temporis primitivi.

Vide Bellarm. tom. 1. l. 4. c. 13.

Nec ideò cessat Ecclesia Catholica Romana esse sancta, quæ à suis incunabulis in hunc usq; diem non solùm habuit doctrinam sanctam, & efficacem, sed etiam doctores sanctos, & viros signorum gloriâ clarissimos, uti per omnia successivè sæcula accuratissimè probare ac tales fideles & sanctitate, & miraculis post obitum, & etiamnum hodie in vita claros nominare licet, cùm è contra apud sectarios, sicut eorum doctrina non ab Apostolicis, & sanctæ, sed lascivæ, & dissolutæ vitæ auctoribus cœpit,

Apud sectarios nulli.

ita nulla etiamnum sanctitas reperiri potest; licet ergo deploret Ecclesia nostra Catholica, quòd in ea plurimi sint mali, hęc tamen adhuc apud sectarios est differentia, *quòd ex illis nullus omninò sit bonus*, & sanctus. Non ergo omnem omnino absolutè sanctorum defectum deplorat Ecclesia, sed raritatem, unde cum Michæa exclamat: *Væ mihi quia factus sum, sicut quæ colligit in autumno racemos vindemiæ, non est botrus ad comedendum, &c.* Deplorat enim Propheta (ait Cornelius *aut potiùs Spiritus sanctus*) ac in proposito nostro S. Mater Ecclesia) *raritatem virorum proborum, eámque suam æstimat miseriam.*

Mich. 7. 1. *Sancti sicut pauci racemi.*

IV.

Licet autem etiamnum moderno tempore viros probos, ac sanctos reperire sit, hi tamen antiquis illis, ac magnis Dei servis comparari nequeunt, hoc modernus, quamvis verè sanctus Thomas de Villa nova humiliter deplorat his verbis: *Ut Martyres omittamus, ubi nunc unus Nicolaus? unus Augustinus? unus Hieronymus, vel Ambrosius, quem populo Dei videndum obiiciamus? Iam non est sanctus, iam non Propheta, iam nos non cognoscet amplius. Quomodo namque cognoscet gregem deformem, nihil penitus pulchritudinis, aut varietatis habentem? Hodie si quis non furatur, si quis non adulteratur, si quis non perpetrator*

S. Thom. Villan. Con. 1 de S. Nicol.

Sanctitas moderna, quasi in tium negativa.

petrator est criminum, sanctus habetur. Illos optimos reputamus, quos olim velut tepidos evomeret accurata perfectio. Exilem, atque tenuem virtutum fabricam hodie magnificant, qui templa illa Spiritûs sancti splendida non noverunt. Sic enim etiam in ædificatione templi contigit, ut lacantibus junioribus, qui amplissimum Salamonis templum non viderant, qui viderant senes, lamentarentur, quia fabricæ antiquæ dissimilis nova surgebat, & quasi pro nihilo videbatur ad illam.

Vltimum templum mirabantur. Esd. l. 1. c. 3. v. 12.

Qui priùs Salomonis non viderant.

Observat idem sanctus, quòd populo, terræ promissionis appropinquante, Moyses exploratores miserit, qui mira retulerunt de terræ illius potentibus incolis. *Vidimus monstra quædam filiorum Enac, de genere gigantæo, quibus comparati, quasi locustæ videbamur.* Versamur hic quasi peregrini & exules in deserto hujus sæculi, anhelantes ad supernã illam promissionis terrã, ad quàm, tanquã exploratores, prædicatores per contẽplationem debent præcedere, & supernorum illorum civium gloriam, ac sanctitatem nobis nunciare. Qui ergo (affirmat præfatus antistes Valentinus) *ascenderit, & merita sanctorum, qui ibi morantur, vobis narraverit, quid aliud potest dicere, nisi, vidimus monstra quædam bonitatis, & sanctitatis, gigantes potentissimos opere & sermone. Quibus comparati nos, qui aliquid esse videmur in populo, quasi locustæ videbamur.* Compara *doctores, prædicatores nostri temporis ad S. Augustinum, Hieronymum, Ambrosium, quid sunt nisi locustæ? Compara Religiosos ad S. Benedictũ, Franciscum, Bernardum, Dominicum, quid sunt nisi locustæ?*

Num. c. 12. v. 34.

Thom. Vill. Con. 2. de S. Ioan. Bapt.

Antiquis sanctis comparati.

Et tamen nos locustæ, nos magnos subinde reputamus, ac sanctorum fundatorum ac Patriarcharum æmulos, dum in eorum vestigia regendis eorum familiis succedimus, cùm tamẽ (prô dolor) tales simus, quos olim tepidos, evomeret accurata perfectio, ac stricta fundatoris observantia Regularis.

Locustæ sumus.

Si modò de Religiosis & Ecclesiasticis ad populum transeas, eadem nobis apparebit improportio, uti ulterius memoratus sanctus Villanova observat, *Compara Christianum populum ad illum populum, locustæ videbuntur. Unde auditâ eorum magnitudine meritò populus turbatur, & confunditur*; meritò igitur luget Ecclesia, & viæ Sion lugent, eò quòd non sint, qui veniant ad solemnitatem affectûs, & plenæ sanctitatis.

V.

Et planè si per omnes Ecclesiæ status discurramus, inveniemus, quod declinat jam dies ac advesperascit, ac rariores sint, qui viam Sion & Sanctitatis cum fervore spiritûs terant. Et siquidem cum Jeremia á san-

Thren. c. 1. v. 4.

Gemitus decet Sacerdotes.

Joël c. 2. v. 17.

Golssa Interl.

Manipulus quid significet?

ctuario incipiamus, inveniemus, ut plurimùm, Sacerdotes ejus gementes, per quos non tam presbyteros Clericos, quã nos Religiosos, & ipsos etiam antistites & Prælatos intelligere licet. Sed nunquid lugere & non potiùs gaudere debet Ecclesia, quòd Sacerdotes suos inveniat gementes? Quid enim magis nobis sacerdotibus & Religiosis, quàm, gemitus & fletus convenit? quibus fletus præscribitur per Joëlem: *Inter vestibulum & altare plorabunt Sacerdotes Ministri Domini, & dicent: Parce Domine, parce populo tuo.* Si unquàm flendi tempus nobis fuit, planè modò est in tantis Ecclesiæ & patriæ angustiis, & afflictionibus, in quibus Sacerdotes (uti bene notat Interlinearis) *debent flere cum flentibus, & alios ad fletum movere.* Affirmat etiam Baronius tantam olim lacrymarum abuntiam inter SS. Missæ Sacrificium effudisse Sacerdotes, ut iis abstergendis linteolum sinistro brachio appendere solerent, in cujus locum hodiéque Sacerdotes Manipulum (uti vocant) portent, quem lævo brachio applicantibus hæc verba recitanda præscribuntur: *Merear Domine portare manipulum fletûs, & Doloris, &c.* Si igitur planctus & gemitus Sacerdotem decent, quare modo Ecclesia per Jeremiã deplorat Sacerdotes suos gementes?

Ponderosè ad hoc respondet Doctor meus Seraphicus, fletũ hunc & gemitum Ecclesiæ gravem ac molestum, intelligendum esse *Allegorice*: dum *non jam pro peccatis, sed gemunt præ magnitudine curarum, & inquietatione divitiarum, quæ sunt spinæ pungentes, & gemitum provocantes*, de quibus bene illud patientis Prophetæ intelligi possit, *Gigantes gemunt sub aquis.* Illi scilicet, qui quasi gigantes orbem portare, & mundum vitiis aggravatum, ne rueret, vindicante irâ divinâ, sustentare suis precibus, & gemitibus deberent, ipsimet aquis curarum temporalium oppressi gemunt, ac succumbunt, *Petrus non sic* (addit Seraphicus) *sed super aquas ambulavit*, opem omnipotentis sui Magistri in hunc finem implorans: *Domine si tues: jube me ad te venire super aquas*: nam vir Religiosus, & Deo dicatus non se mergit aquis, sed *calcat aquas, id est, divitias temporales*, ait Hugo. Sed periculosum valde est, & singularis miraculi privilegiũ, ita super has aquas ambulare, ut subinde in iis non mergantur, quare talis cum Petro clamet, necesse est: *Domine salvum me fac.* Notat Seraph. noster Ulissiponensis, quòd in creatione mundi Spiritus Domini fe-

S. Bonav. hic.

Ecclesiastici subin de gemũt

Iob. c 26. v. 5.

Sub aquis divitiarum.

Math. c. 14. v. 28.

Hugo Card. hic

S. Anton. Pad. in expositione mystica.

reba-

ebatur super aquas, quod mysticè sic ad nostrum propositum exponit: *Spiritus, id est, anima, quæ Spiritum amoris jam concepit, fertur super aquas, id est, super temporalia.* Hæ aquæ non affluebant primitivæ Ecclesiæ, quæ apparebat arida, inanis & vacua per paupertatem, sed à Constantino magno ad fidem conversо magnis redditibus, ac dominiis dotatæ Ecclesiæ, affluere cœperūt divitiæ, & pinguescere beneficia, & Prælaturæ, sub quorum pondere gemere cœperunt gigātes, & quasi sub aquis mergi cœpit spiritus ferventis amoris, *incrassatus* scilicet *& impinguatus per superabundantiam bonorum temporalium*, ubi ulteriùs testatur glossa moralis ex Magistro Henrico de Gandavo: *Quando Constantinus dedit Ecclesiæ bona temporalia, vox fertur audita fuisse: Hodie cecidit venenum in Ecclesia Dei*, quo scilicet sanctitatis radix infecta, Spiritum amoris refrigeravit, & in aquis passim supernabundantium bonorum temporalium submersit, ut magna ex parte Gigantes gemerent sub aquis: Sacerdotes ejus gementes!

Divitiæ Ecclesiæ in sanctitate tem mergut

Deut. c. 32. v. 15.

Glossa moralis *Inficiunt*

Idem refert Hugo inserem. c. 9. v. 11. & Gen. 20 v. 16.

VI. Si modò a statu Clericorum, & Religiosorum, ac Præsulum progrediamur in Ecclesia Dei ad statum sæcularium, non minùs vias Sion virtutum lugentes deprehendemus, eò quòd non sint, qui veniant ad solemnitatem, & pro adventu Sponsi sanctitatis decore se exornent. Ac imprimis occurrunt *Virgines ejus squalidæ*, vel (uti Bonaventura glossatur) *incultæ*. Non videtur moderno tempore Ecclesia conquerendi causam habere super Virgines squalidas & incultas, si unquam mundus muliebris, moderno planè tempore observatur à virginibus. Æmulantur pompam & luxum, si non superant, Romanæ juventutis, confundunt vestium apparatu filias Sion inclytas, studentluxui, & adinventionibus novitatum, auro & argento, purpurâ, & byssо procedūt *circumornatæ, ut similitudo templi*; quid ergo squalidas, quid incultas virgines suas deplorat Ecclesia?

Virgines incultæ.

S Bonav. Thren. c. 1. v. 4.

Nō quoad vestes.

Psal. 143. v. 14.

Lyrano virgines squalidæ dicuntur *deformatæ ex fame & labore*. Sed neque de hoc querela Ecclesiæ est de virginibus modernis, non enim virgines nobiles, & potentes jejuniis macilentos, aut pallidos gerunt vultus, cerussâ potiùs eos depicturæ. Multò minùs squalidæ & exhaustæ sunt laboribus, fusum erubescunt apprehendere manus earum, acum vix, nisi subinde ad pingendum, attingunt, imó discriminandis crinibus, & ad legem capillis ordinandis ita speculo judice occu-

Lyranus hic.

Non deformatæ ex fame.

Aut labore.

occupatæ sint, ut nec brachiis, nec collo, nec pectori tegendo tempus ipsis suppetat, seminudo pectore in publicum procedentes, discalceatarum utique reformationem etiam facilè susceturæ, modò inveniretur, quæ nudipes reformationi initium facere attentaret, nec ergo labore, nec fame squalidæ sunt virgines, & matronæ modernæ, etiam ad solemnitates, & chorearum frequentiam properare non detrectant, sed hoc de illis conqueritur, & plangit Ecclesia, quòd interior illis desit ornatus virtutum, & externa compositio honestatis, & quòd non veniant per viam Sion, id est virtutum ad nuptias agni, sed totæ vanitatibus intentæ Babylonicam sapiant prostitutionem quantùm exornatæ foris mundo muliebri, tantùm squalidæ intus à fumo concupiscentiæ, *qui in domo fit*.

Sed nuditatis inhonestate.

Baruch c. 6. v. 20.

VII. Et siquidem de statu in statum progrediamur in Ecclesia, experiemur undique, quòd viæ Sion, viæ virtutum (eò quòd non sint, qui veniant ad solemnitatem) lugeamus. Si subintremus aulas principum, ubi Nereos & Achilleos, ubi Joannes & Paulos aulicam vitam sanctitati copulantes reperiemus? Numerabat olim Ecclesia Legiones integras sanctorum militum, sed ubi nunc unicus Sebastianus, Georgius, aut Martinus, qui dimidiatâ cum mendico chlamydem partiatur, & non potiùs indusium cum pelle pauperculo detrahat? Ubi simplices & sancti Isidori, rustici? qui sorte sua contenti, dominis suis obediant, tanquam potestati à Deo datæ? Ubi Reges sancti? ubi Ludovici, Caroli conquirendæ tantùm terræ sanctæ, & fundendo immanium Saracenorum sanguini, intenti? Ubi Juones, & Ivdices pupillorum & viduarum causis devoti? Viæ Sion lugent, eò quòd non sint! *Perijt* planè *sanctus de terra, & rectus in hominibus non est*. Exemplificat Michæas propositionem suam; *Omnes in sanguinem insidiantur; vir fratrem suum ad mortem venatur; malum manuum suarum dicunt bonum. Princeps postulat, exactiones*, glossatur moralis, & iterum Lyranus; *Levari extorsionem à subditis*. Adhuc plenius explicat Cornelius: *Princeps postulat à Judice sibi adjudicari iniqua tributa, bona, vel vitam innocentium, similéve rem impiam, & injustam*. Et quid Judex? *In reddendo est*, ait Propheta, versio hebræa legit: *Judex pro retributione: scilicet judicat*, annectit Cornelius. Verbo concludit Propheta: *Quis optimus in eis est, quasi paliurus, & qui rectus, quasi spina de sepe*. Idem sentire videtur de mortalium licen-

Vbi Sancti Aulici?

Vbi milites?

Vbi rusticci!

Vbi Reges?

Mich. c. 7. v. 2.

Vbi Principes?

Lyranus hic.

Vbi Judices?

Cornelius hic.

licentiosa vita regius psaltes: *Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt, non est, qui faciat bonum, non est usque ad unum.* Quem Psalmistæ planctum etiamnum in Ecclesia Dei perseverare affirmat devotus noster Franc. Titelmañus: *Tanta est enim* (ait) *malorum copia, ut vix ullus videatur numerus iustorum, si cum illorum conferatur immensa multitudine. Et ex ijs ipsis, qui bonum facere videntur, vix unus est, qui solum, ac semper faciat, quod bonum est: qui non frequenter admodum declinet ad malum, qui non subinde agat aliquid, quod sit minùs rectum, quandoquidem in multis offendimus omnes.* Et siquidem paucitatem bonorum à malorum multitudine separemus, non aliter comparebunt illi, *quomodo si paucæ olivæ, quæ remanserunt, excutiantur ex olea, & racemi cùm fuerit finita vindemia.* Eâdem fermè Isaiæ metaphorâ utitur Micheas citato capite: *Væ mihi! quia factus sum, sicut qui colligit in autumno racemos vindemiæ; non est botrus ad comedendum.*

Pſal. 13. v. 4.

Franc. Titelmanus hic.

Solum, & semper facere bonū, sanctorū est.

Isa. c. 24. v. 13.

Mich. c. 7. v. 1.

VIII. Meritò indignatur Deus, & justè commovetur, dum in Ecclesiæ vinea experitur diabolo vindemiam tribui, utpote qui uvas omnes colligat, ideóque plena habeat torcularia uvis & vino, sibi verò tantummodo ascribi racemationem, (ut ita cum Cornelio loquar) utpote qui paucos à diabolo relictos, quia ejus oculos, manúsque fugerunt, colligat. Maxima enim pars hominum diabolo servit, ejúsque fit esca & præda, exigua verò cedit Christo; *multi enim sunt vocati, pauci verò electi.* Diabolo ergo cedunt illi magni botri, & plurimi, ut vindemiatori, Christo, non nisi reliquiæ, pauci & pauperculi, sicut Racematori; quasi dicat, Christo nõ supereſt botr', & vix pauculi acini, & granula pauca, quæ botri nomen nõ merentur; botri enim illi magni, & pingues, vulpium partes facti sunt. Et sic *inimici eius locupletati sunt.* Quocirca bene advertit memoratus Expositor, quòd Doctor, & Concionator si post multos docendi, & concionandi annos & labores, paucos convertat, non miretur, non enim melior est Michæa, non Christo. Sorte ergo illorum contentus sit, & à Deo plenam, imò pleniorem expectet mercedem; Deus enim non fructum, sed laborem remunerat, qui sine fructu major, & molestior est, eáque ratione majus præmium meretur.

Cornelius hic.

Diabolus vindemiator.

Math. c. 20. v. 16. Christus Racemator.

Thren 1. v. 5.

Interim tamen amarè plangere & plorare non cessat meritò afflicta, & quasi vidua Mater Ecclesia, & viæ virtutum desolatæ cum ea lugent, dum non sunt, vel saltem pauci sunt, qui veniant ad solemnitatem. Age ergo, ô Anima, revertere à viis tuis pessimis! *Quid tibi vis in via*

Ierem. c. 2. v. 18.

in via Ægypti, ut bibas aquam turbidam? Ingredere vias Sion,
Prov. c. 3. viam virtutis, & sanctitatis, *viæ enim ejus pulchræ*: Exulta &
ut gigas ad hanc currendam viam, festina ad solemnitatem
Isaiæ 33. v. 20. cœlestis Jerusalem, *respice Sion civitatem solemnitatis nostræ*, ad eam curre per viam virtutum, & sanctitatis, digna enim est, pro qua curramus & laboremus, in ea post modicos labores magnam & æternam inventuri requiem, Amen.

DISCVRSVS VIII.

Daleth

Omnes portæ ejus destructæ, Sacerdotes ejus gementes, virgines ejus squalidæ, & ipsa oppressa amaritudine. *v. 4.*

DE ANIMA.

Intrant per portas sensuum externorum inimici, qui Animam devastant, & squalore replent.

1. CAstrum, seu fortalitium, quod ad conspectum vicini hostis situm est, vel actualiter hostili obsidione cinctum, cautè custodiendum, maximè autem observandæ, & claudendæ de nocte portæ, quibus reclusis, aut dejectis, facilè in potestatem hostis castrum deveniet, licet aliàs optimè aggeribus, & muris munitum, & circumdatum. Optimè observat S. Vincent. Archi Prædicator Vincentius: *Corpus, ad instar Castri, consistit in medio inimicorum, in quo Deus mittit spiritum, tanquam militem, ad custodiendum, ne per portas sensuum corporalium intrent inimici.* Nam hisce effractis portis, facilè intrat

Corpus est Castrũ

S. Vincent. Ferr. serm. 2. in Sept.

trat hostis ad urbem spoliandam; iisque destructis aut exustis, nulla securitatis spes concipi potest, donec reparentur. Hinc in devastatione Jerusalem Civitatis sanctæ, sumoperè portarum ruinam deplorat Prophetha; *Omnes portæ ejus destructæ!* Et moraliter quidem Portæ Civitatis sanctæ, & Deo consecratæ, scilicet animæ, sunt *quinque sensus*, uti Hugo testatur; Quibus destructis, hosti plenus patet aditus, & extremum imminet exterminium, ut prostrati jaceant *Sacerdotes gementes, id est Ratio, quæ debet gemere, quæ est per peccatum obfuscata, & virgines squalidæ, per gloriam inanem, & ipsa, Anima oppressa amaritudine, id est, peccatu.* Ecce quantum in portis sensuum destructis, & apertis periculum.

Porta, quinque sensus.

Hugo Card. hic.

II. Muris Jerusalem undique reparatis, atque extructis, primam habuit curam Nehemias portarum civitatis, quibus de nocte claudendis solidos, & fideles adhibuit custodes, quibus etiam serio mandato præcepit: Non aperiantur portæ Jerusalem usque ad calorem solis. Observat Glossa Ordinaria, meritò ob hostium vicinorum pericula portas Jerusalem terrestris fuisse de nocte clausas, cùm tamen de cœlesti illa, & superna civitate Jerusalem testetur in sua Apocalypsi Joannes: *Portæ ejus non claudentur per diem.* At quid de nocte? *Nox non erit illic.* Unde neque claudendi ratio, nec irruptionis, de die, periculum. Ex hoc deducit glossa, *quòd etiam tota nocte hujus sæculi, Custodes animarum debent vigilanter agere, ne illis negligenter agentibus, diabolus cohortem fidelium turbans irrumpat, vel quemlibet perditurus rapiat. Apparente autem sole justitiæ, & clarescente luce beatitudinis futuræ, jam non erit opus clausuris continentiæ, quia nec adversarius dabitur ultra facultas impugnandi, vel tentandi. Unde & portæ ejus non claudentur per diem, non enim nox erit illic.*

2. Esdræ c. 7.

In cœlo porta nunquam clausa.

Apoc. 21. v. 25.

Quia semper dies.

Glossa Ord. hic.

In hoc sæculo nox.

Ideò portæ claudendæ.

Ab allegorico de Ecclesia, ad sensum moralem de anima transit glossa moralis, *Secundum sensum moralem Civitas Jerusalem signat animam fidelem.... Hujus autem Civitatis portæ sunt exteriores sensus animi, qui non debent aperiri de nocte, id est, ad opera mala perpetranda quia sunt opera tenebrarum.... Sed portæ prædictæ ad calorem solis sunt aperiendæ, id est, ad faciendum opera charitatis.* Sed neque hîc sollicita vigilantia subsistat, sed ipsum diem, & lucem exactè examinet, an non princeps tenebrarum sub incursu, & dæmonio meridiano præpropere portas aperiri suadens, dolosè irrumpat. Quarè *propter timores nocturnos* studiosè portæ sensuum custodiendæ, per quas

Glossa Moral.

Portæ animæ quinque sensus.

maximè hostis ignita sua tela in cordis residentiam immittit, quod bene advertens Mellifluus, *non intrat* (inquit) *sagitta diaboli ad interiora mentis, nisi per sensus corporis.* Sollicitus admodum in harũ portarum custodia erat patiens Propheta: *Pepigi fœdus cum oculis meis.* Et quis inde fructus? *Ut ne cogitarem quidem de virgine:* Portis enim sensuum externorum bene obseratis, non facilè cogitationibus impuris aditus datur. Prudenter ergo & vigilanter has portas custodivit Job, *ut enim cogitationes cordis castè servare posset, fœdus cum oculis pepigit* (uti magnus testatur Gregorius) *ne priùs incautè aperiret, quod postmodum invitus amaret.*

S. Bern. lib de modo bene vivendi. serm. 59.

Iob. c. 31. v. 1.

Iob cautus.

Greg. l. 21 mor. c. 2.

III.

Quàm cautus in istis portis sensuum custodiendis, fragilitatis suæ sincerus Judex, Job, tam incautus fuerat David, temerarius virium suarum æstimator. Miles exercitatus & cordatus erat David in spiritualibus æquè, ac corporalibus pugnis; ipse provocandis, & irritandis inimicis intentus & ad omnem certaminis occasionem prurienti dextrâ avidus: *si consistant adversum me castra, non timebit cor meum; si exurgat adversum me prælium, in hoc ego sperabo.* Laudanda in milite audacia, & animi fortitudo, sed non temeritas. Execranda & periculosa nimis temeritas est, si militiæ, & castri præfectus adeò suæ confidat fortitudini, ut etiam de nocte apertas relinquat hosti portas, hunc irrupturum, aut jam ingressum facilè repulsurus.

David præsumens sui.

Psal. 26. v. 3.

Hac temeritate laborabat David, qui jam plenum calorem Justitiæ, & sanctitatis consummatæ splendorem sibi illuxisse ratus, de nullis sibi metuebat noctis, ac tentationis periculis, victoriis clarus. Unde portas sensuum claudere parum curabat, hostem etiam irrumpentem facilè ejecturus. Accidit ergo, ut post sumptas regales epulas somno & otio vacans sub meridiem, apertas hosti, non curaret portas, in solario deambulans, liberum muliebri speciei ad oculos concedendo accessum; *vidítque mulierem se lavantem.* Meridies erat tunc mundo, neque tentationis tenebras sibi Rex imaginabatur, sed nox erat David, somno & otio animæ gravis & periculosa, dæmonióque meridiano ad tentandum exoptata. Patuit accessus hosti per apertas oculorum portas, & antequam illi repellendo se accingeret, jam cordis castrum occupaverat: *Sic intrat* (ait Bernardus) *sagitta Satanæ per ianuas oculorum ad animum.* Et antequam pene ingressum hostis adverteret, jam se ab illo occupatum sentiens, deditio-

2. Reg. 11. v. 2.

S. Bernard. Hostis per oculos ad animum penetrat.

ditionem cordis, consensu, fecit. Hostem adhuc extra muros, & à longè credebat David: De longè vidit illam David, in qua captus est, notat Augustinus. At quomodo captus, si hostis de longè fuit? Alia longè ratio cum hoc hoste meridiano: *Mulier longè; libido prope*, concludit sanctus Doctor. Mulier dolosus & periculosus hostis est, etsi corpore de longè sit, modò species intret per oculos, jam libido prope est. Captus est David, antequam se obsessum, aut oppugnatum sciret.

Aug. hom 21. de Cassig. filiorum.

Mulier longè, libido prope.

IV. Nihil mali intendebat Propheta Regius, sed testatur de seipso: *Perambulabam in innocentia cordis, in medio domûs meæ, non proponebam ante oculos meos rem iniustam.* Quid est (quærit magnum Africæ lumen) *non proponebam ante oculos meos rem iniustam? Non diligebam.* Ante oculos enim habere, quid aliud quàm *diligere*? ubi enim oculus, ibi cor, & objectum, quod quivis amat, in illud continuò rapiuntur oculi. Testatur itaque David, nullum se in animo erga adulteram gessisse affectum, sed perambulâsse in solario in innocentia cordis sui, nec ante oculos proposuisse rem injustam, aut amorem, qui se, ad oculos in adulteram conjiciendos, urgeret, néque oculorum portas reserâsse, ut hostem intromitteret, sed ideò irrupisse, quia reseraverit: Attestatur illi meus Seraphicus, *non quia concupivit, vidit, sed quia vidit, concupivit.* Non ex instituto & industriâ actum est: Non proponebam mihi rem injustam.

Psal. 100. v. 3.

S August. hic.

David nil mali proponebat.

S. Bonav. in Speculo novit.

Si ergo David, qui coram Deo semper sicut in die ad calorem Justitiæ ambulavit in innocentia cordis sui, ex animo semper noctis opera & tenebrarum detestans, nihilominus ex incauta oculorum recluse tam miserabiliter cecidit, quàm temerarij ergo illi censendi sunt, qui tali cordis innocentiâ ac sanctis propositis muniti non sunt, sed ad malum, & tenebras proniſſimi, tota tamen nocte, & vitæ suæ tempore portas hosti semper apertas tenent, non tantùm incautâ inadvertentia, sed voluntaria curiositate, ad species objectorum lubricorum intromittendas? Gratis sibi tales promittunt, hostem (qui statim cordis penetralia occupat) levi, & facili labore eiiciendũ, eóque ejecto portas cautiùs posthac claudendas. Serò sapiunt tales cum Phrygibus; pari enim laborant insipientiæ vitio, qui ostium claudunt, cùm præda jam avolavit, & illi, qui portas obserant, cum hostis jam tenet cordis regiam, in animæ jugulum mox venenata tela conversurus.

Concupivit.

Voluntaria curiositas periculosior.

Sero claudunt portæ hoste iam intromisso.

V.

2. Reg. 4 v. 5. Narrat Regum Historia Isboseth filium Saulis, infaustâ quadam die sub meridiem, superstratum somno indulsisse, & ne quid incuriæ deesset, etiam ostiariam domûs, purgantem triticum, obdormîsse: hanc occasionem commodissimam nacti duo latrones Rechab, & Baana fratres, latenter domum ingressi, percusserunt eum in inguine. Casus planè fuit hic lamentabilis, & quem ipse etiã David, quamvis hostis, non inultum reliquit. Sed quæ tanti mali, & casûs tam horrendi causa? succinctè & nervosè respondet Doctor Seraphicus:

Isboseth occisus.

Quia ostia non erat clausa.

S. Bonav. in ps. 100 *Nonne Isboseth mortuus est? quia ostiaria ancilla non bene servavit ostia?* Non sufficiebat constitutam fuisse ancillam purgando tritico, & mundandæ domui, quæ magis ostio invigilare debebat: Nam moraliter loquendo, requiritur (prosequitur Bonaventura) *Ad hoc, ut aliquis quiescat in domo, quòd intus sit munda, & quod ostium sit clausum.*

Sic anima.

Multi sibi persuadent, se satis securè dormire in domo conscientiæ mundæ, & tutè ambulare in innocentia cordis sui, sed errant, si enim ancilla ostiaria, id est, ratio, (quæ triticum purgare, & malùm à bono discernere debet) non vigilanter ostia sensuum externorum custodiat, subintrant facilè latrones animam interfecturi, uti contigit incauto, & nimiùm viribus suis confidenti David. Quapropter optimè moralizat Lyranus, *Per hoc, quòd David sanctus & devotus ex impudico aspectu incurrit adulterium; nobis ostenditur, quanta diligentia debeat adhiberi in custodia sensûs visûs quia dicitur* Thren. 3. *Oculus meus depræda-* Thren. 3. v. 51. *tus est animam meam: Et idem videtur de custodia aliorum sensuum*, Hierem. 9. *Ascendit mors per fenestras. Sensus enim exteriores, sunt quasi quædam corporis fenestræ, per quas tentationes, quasi latrones ad interiora ingrediuntur, bona gratiæ rapientes.* Et inde malorum omnium origo, quia ostiaria ancilla, non bene observat ostia.

Lyranus in Reg. 11 Jerem. 9. v. 21.

VI.

Eva, mala ostiaria.

Mala pariter & incuria Paradysi ostiaria, erat mater nostra Eva, cui custodiendus fuit creditus Paradysus, ne intrarent Rechab, & Baana, per quos Hugo *dæmonem, & mortem* intelligit, sed ipsa (prô dolor!) ostiaria portas hisce latronibus aperuit, & intrandi copiam dedit, dum curiosos mulier oculos nimium recludit. *Vidit mulier: Vidit quòd bonum esset lignum ad vescendum, & pulchrum oculis aspectuque delectabile.* Penetravit, subitò tentatio, & illiciti fructûs cupido per januas oculorum usque ad animum, de animo ad manum, de manu ad os; *& tulit de fructu eius, & comedit.* Gen. c. 3. v. 6.

En

Per oculos seducta

En quomodo per fenestras intravêre in mundum latrones, mors & diabolus, Rechab, & Baana? O verè incuria vitæ & salutis non tantùm propriæ, sed etiam omnium posterorum Eva! O incauta ostiaria, quæ oculorum fenestras & ostia tam malè custodivit! *Neque enim Eva lignum vetitum contigisset* (docet Gregorius) *nisi hoc incautè conspiceret. Hinc ergo pensandum est, quanto debeamus moderamine erga illicita restringere nos, qui mortaliter vivimus, si & Mater viventium per oculos ad mortem venit.*

S. Greg. l. 21. moral. c. 2.

Cùm itaque per portas externorum sensuum, & maximè oculorum plerúmque accessum attentet hostis, omni custodiâ custodiendæ sunt hæ portæ, & præter rationem, quæ ordinaria constituta est portarum harum ostiaria, etiam adjungendus est timor Dei, nam & Neemias Ananiam constituit Civitatis sanctæ Janitorem qui *vir verax, & timens Deum plus cæteris videbatur.* Timor Dei igitur janitorem agat, & conservandis, claudendisque fideliter portis invigilet. Multùm è contra aberrant illi, qui ostiariam oculis suis constituunt concupiscentiam, licentiosa hæc janitrix est, quæ & perversis desideriis corrupta, omnibus facilè insidiatoribus de die ac nocte apertas offert sensuum portas. Quid mirum inde, si immundis bestiis, & barbaris vanarum cogitationum, & imaginationum populis plena sit sancta Civitas, anima Deo sacra, & destructis portis gemens, ac squalida, amaritudine, *id est, peccatis*, repleatur. Ipse Propheta Regius, jam damno suo prudentior, divinam implorat gratiam, quæ rationem, tanquam, ostiariam dirigat, occludendis & custodiendis sensuum portis, averte oculos meos, ne videant vanitatem, *Quia ex aspectu vanitatis provocatur concupiscentia*, ut notat Hugo.

2. Est 7. c. 7. v. 2.

Ianitor sit timor Dei.

Psal. 118. v. 37. Hugo Card. VII.

Confundebat in hoc puncto Christianos Magnus Alexander, qui ad videndas captivas Persarum fœminas, præsertim uxorem & filias Regis Darij, à proceribus suis invitatus, ab hac vanitate oculos avertere elegit, quàm ejus attractivâ virtute corrumpi, experientiâ jam satis edoctus, ægrè concupiscentiæ suæ fore victorem, qui oculos à mulierum specie captivari permiserit. Generosè proinde earum aspectum aversatus respondit: *Non committam, ut cùm viros vicerim, à mulieribus vincar*, quasi ex aspectu jam se victum profiteretur, nec mentem à concupiscentia integram censeret, quæ comptæ mulieris venenosam speciē receperit.

Alexander recusat aspicere captê vas.

Plutarch. in Alexandro.

Quod

Hugo in 2. Pet. c. 2. v. 14.

Quod Hugo Carensis optimè declarat his verbis. *Dum eius (id est fœminæ) idolum in oculo interiori recipitur, ad mentem usque*

Mulier, Basiliscus.

suffertur; nisi valde disponatur mens tota, inficitur, & maculatur, unde mirabilis efficaciæ, & peioris longè, quàm Regulus. Non enim interficit Regulus, nisi cùm videt, sed, mi-

Visa inf. sit.

rabiliter istæ interficiunt, quando videntur. Nonne hoc sensit David, sanctus Propheta Domini, qui ad visum Bersabee in eius concupiscentiam in tantum exarsit? Unde dicit S. Gregorius: Non licet intueri, quod non licet concupiscere.

Est Syren

Hugonis effatum non tantùm confirmat, sed etiam ampliat Cornelius de Lapide, asserens *Fœminam, visu Basiliscum, voce Syrenem esse.* Hæc per portas aurium, ille per visûs intrat ostiũ; utique claudenda cautè ostia, nam iis per ostia penetrantibus, anima, non jam civitas, sed horridum desertum, immundis bestiis refertum dici poterit, inter quarum immunditias & fœtores squalida sedens anima, amaritudine, & peccatorum sordibus replebitur, maligno insuper hosti in prædam cessura, licet nondum appareat in principio periculum.

Colme. Mich. c. 9. v. 28.

VIII.

Urbem Jericho obsessurus Josue, priùs misit exploratores qui consideratâ urbe, & exploratâ, consilia illius capiendæ subministrare possent; hi ingressi in domum Raab meretricis, conquirebantur ex mandato Regis; *tollénsque mulier viros abscondit*, eos jam ex urbe egressos contestata, *cùm porta claderetur in tenebris*: revera autem adhuc in domo latitabant exploratores, stipulâ lini à meretrice contecti.

Iosuec. 2. v. 1.

Exploratores absconsi in Iericho.

Scio equidem mysteriosas expositorum explanationes in hunc passum, tam in sensu allegorico, quàm morali, sed & mihi pauca dicere liceat moraliter. Jericho civitas, quæ interpretatur Luna, peccatricem animum referre mihi videtur, in hanc tentator mittit exploratores, lubricas nempe species, & Idola alterius sexûs, quæ per portas sensuum in tenebris ingressæ, in domo meretricis, (conscientiâ scilicet animæ peccatricis) delitescunt. Dum verò ea per confessionem detegere, & ejicere jubemur, abscondita sub stipula lini nusquam se produnt, unde facilè nobis persuadet Raab, exploratores istos jam extra civitatem fuisse egressos, cùm portæ sensuum, ingravescente tentationis nocte, tardè nimis, clauderentur, sed latent adhuc exploratores, suo iterum tempore & occasione progressuri, latent simulati, & tecti hostes, tentatori viam, & modum capiendæ animæ ostensuri, quando scilicet fortis

Sic species profanæ in anima.

& so-

& sopita impressio specierum reviviscet, & flammas stipulæ injiciet.

Ne ergo anima tanto se obiiciat periculo, usque ad ortum & calorem solis sedulò claudat portas sensuum, ne se intrudant exploratores dolosi; Et cùm dies non nisi in patria illucescere nobis incipiat, & nox sit periculosa tentationum, quamdiu in carne vivimus in hoc mundo, semper utique fidelem ad portas sensuum janitorem adhibere debemus timorem Domini, qui portas has claudat, ad instar portæ sanctuarij exterioris, de qua Ezechiel testatur, quòd Dominus mandaverit: *Porta hæc clausa erit, & non aperietur, & vir non transibit per eam: eritque clausa Principi, Princeps ipse sedebit in ea.* Si igitur hac ratione observabimus portas Civitatis sanctæ Jerusalem, animæ nostræ, & in iis solus residebit Princeps pacis, Deus noster, immundus utique & incircumcisus non transibit per eam, sed immaculatam conservabimus animam nostram, per totam hujus tenebrosæ vitæ noctem, donec illucescat dies in superna civitate Jerusalem, cujus Lucerna est Agnus; & siquidem hîc portas animæ nostræ fideliter custodierimus, apertas ibi ad calorem solis inveniemus portas cœlestis patriæ, quæ non claudentur; per has ergo nos mundos ad immaculati agni nuptias introducere dignetur Pater misericordiarũ, qui cum Filio & spiritu sancto regnat Deus insæcula sæculorum, Amen.

Ezech. c. 44. v. 2.

DISCVRSVS IX.

He.

Parvuli ejus ducti sunt in Captivitatem. *Thren. 1. v. 5.*

DE ECCLESIA.

Plangit parvulos Magnatum scandalis in captivitatem, & ruinam trahi.

I. MAgnam erga parvulos affectum Dei Filius contestatus est, quos tanquam perfectionis speculum discipulis suis proposuit, *Et advocans Iesus parvulum, statuit eum in medio eorum, & dixit: Amen dico vobis, nisi conversi fueritis, & efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum.* Et iterum, cùm discipuli increparent eos, qui parvulos Domino oblatum venerant, quibus manus suas Divinas imponeret; mandavit, ne parvulis accessum ad se intercluderent: *Sinite parvulos venire ad me, & nolite eos prohibere ad me venire, talium est enim regnum cœlorum.* Quin imò tanto Zelo Parvulorum, & pusillorum curam gessit, ut comminaretur expedire ei, *qui scandalizaverit unum de pusillis istis, ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, & demergatur in profundum maris.*

Matth. c. 18. v. 2.

Parvuli Christo obvii.

Matth. 19. v. 14.

Math. c. 18. cit.

Per parvulos autem & pusillos, non tantùm ætate & staturâ parvuli, sed maximè, (juxta S. Hieronymi mentem) intelligendi sunt *Parvuli malitiâ*, quos scandalo in ruinam trahi summopere prohibet Christus. Sed & Propheta noster, non tantùm in servitutem Babylonicam tractos luget parvulos, id est infantes, & pueros, sed maximè parvulos malitia scandalis majorum, in perditionem adductos deplorat Ecclesia, quippe (ut

Parvuli malitiæ.

Scandalizantur à majoribus.

(ut insinuat Cornelius) *Parvuli, Novitij in fide, vel Religione ducuntur in captivitatem, cùm seniorum peccatis, & pravis exemplis in dissolutionem & scelera abducuntur.* Quantùm ergo deploret Ecclesia hosce parvulos vel in peccati, vel hæreseos captivitatem majorum scandalo ductos, in præsenti exponam.

Cornelius hic.

II.

Scandalum desumptum est, à græca voce σκάνδαλον, quòd idem nobis est, ac offendiculum, quod alteri ad ruinam causam præbet: Hinc scandalum describitur: *dictum, vel factum minùs rectum, præbens occasionem ruinæ alteri.* Verbis proximus ad ruinam trahitur, cùm in præsentia maximè pusillorum talia verba, vel obscœna, vel alia indecentia proferuntur, ex quibus pusilli facilè ad ruinā occasionem accipiunt. Maximè autem ad captivitatem & lapsum trahuntur pusilli, ac simplices per falsas, & pravas doctrinas, quando nempe simplices, ac scripturæ, sanctorúmque Patrum expositionum inexpertes homines ad hæreticos errores ducuntur per perversas, & à spiritu sancto nusquam intentas, sed à proprio tantùm genio, & vertiginoso libertatis spiritu adinuentas, S. Scripturæ interpretationes, de talibus illud Psalmistæ intelligi potest: *In via hac, qua ambulabam, posuerunt superbi laqueum mihi.* Quod de hæreticis bene Augustinus explanat: *Nam & hæretici in nomine Christi nobis volunt abscondere scandalum.* affirmat quidem Doctor gentium, quòd *oportet hæreses esse*, Deo scilicet eas permittente ad suorum probationem, fidelium exercitationem, & veritatis elucidationem, juxta Expositorum explanationem: Quòd etiam ipsa divina Sapientia jam innuebat: *Necesse est, ut veniant scandala, verumtamen væ homini illi, per quem scandalum venit.*

Scandalū quid?

Psal. 141. v. 4. S. August hic.

1. Corinth. 11. v. 19.

Math. 18. v. 7.

III.

At quisnam ille homo, per quem in Ecclesiam tale introductum est scandalum, & scandalosa doctrina? An fortè Augustinus, Ambrosius, Gregorius, Hieronymus, Bernardus, Bonaventura, Thomas Angelicus, aut alius quivis ex SS. Patribus, & Ecclesiæ Catholicæ Doctoribus? Quos Neotherici nostri Sectarij in multis à recta veritatis semita aberâsse, & consequenter etiam aliis laqueum ad errorem posuisse, talésq; doctrinas subinde docuisse, de quibus durissimam in die judicij rationem reddituri sint, edicere non verentur. Sed edic, amabo, quos errores contra S. Scripturæ, & æternæ Veritatis oraculum? Quas falsitates, & hæreses hi sancti Patres docuêre, ubi & in quo passu crimen

Hoc non dederunt SS. Patres

Scandalū per doctrinas falsas.

falsi in pervertendo S. Scripturæ textu commisêre? Quos jocos obscœnos, & insulsas lascivias & scurrilitates scriptis suis inseruêre? Scripsêre forsitan, & effudêre tam impuros, scurriles inter pocula discursus, quales Lutherus in Epicurea sentina profundatus eructavit? de quo etiam circa corruptum scripturæ textum testatur Zvvinglius, quòd *Christi verba corrumpit, ac depravat;* Cùm è contra alij de eodem crimine falsi Calvinum inculpent, ac nominatim Carolus Molinæus, qui in sua Novi Testamenti translatione hisce verbis in Calvinum intonat: *Textum Evangelicum desultare facit sursum versum; vim infert literæ Evangelicæ, & illam invertit, in locis transponit, & insuper addit literæ.* Isti ergo cum suis assecliis fuêre, per quos scandalum venit, & per quorũ perversam doctrinam tot millena, imò milliones parvulorum & simplicium in Captivitatem hæreticæ pravitatis ducti sunt. Si ergo ille, per quem unicus tantùm parvulus fuit scandalizatus, tam sævas meretur tormentorum pœnas, ut expediret, si ei mola asinaria suspenderetur in collo ejus, & demergeretur in profundum maris, quibus pœnis & suppliciis dignus est, qui infinitum parvulorum numerum scandalosâ doctrinâ & vitâ è claustris, & sinu S. Matris Ecclesiæ post se in captivitatem errorum traxit, ad instar detestandi illius draconis, qui *caudâ trahebat tertiam partem stellarum cœli?* Tertiam (dico) pene totius Europeæ Ecclesiæ partem? Quantam ergo divinæ iræ vindictam in se scandalorum horum auctores in caput suum congesserunt? Apoc. 12. v. 4.

Sed Novellantes sectarij.

Zvvingl resp. ad Lucher. com. 2.

Vide Methodum. Card. de Richelieu l. 2. c. 8.

Milliones parvulorum post se traxerunt.

IV.

Ut Jeroboam, eximius Machiavellicæ Politicæ præcursor, decem tribus, quæ à Rege Roboam defecerant, sibi securâ fidelitate addictas conservaret, hinc inde in excelsis vitulos aureos adorandos erexit, ipse suâ malitiâ, & Idololatrandi abominatione non contentus, in hoc maximè laboravit, ut reliquum etiam populum post se traheret, ne visitandi templi Hierosolymitani occasione, ad partes Roboam successivè accederent. Hoc ergo maligno excogitato consilio Jeroboam populum sibi devotum, at Deo sacrilegum, & Idololatrum effecit. Contra hoc, maligno concilio, excogitatum scandalum, ita exarsit Deus, ut inexorabili contra eum excandescens furore, non alio deinceps in sacris literis Jeroboam titulo dignetur, quàm *Jeroboam, qui peccavit, & peccare fecit Israel.* Quoties enim in libris Regum de Jeroboam fit mentio, semper contra

3. Reg. 12. v. 26.

Ieroboam ad Idololatriam trahit Subditos.

3. Reg. 14. v. 16. *Peccare fecit Israel.*

contra eum indignabundus hæc verba eructat Deus: *Qui peccare fecit; qui peccare fecit Israël*, adeò ut quatuordecim, & ultrà, vicibus, scandalo irritatus contra eum Deus, hoc identidem scandalum ipsi exprobret: *Qui peccare fecit, qui peccare fecit Israel.*

Eadem politica usi magnates in apostasia.

Væ magnatibus, qui ratione politicâ ducti, ut domesticam penuriam monasticis bonis, & fundationibus sublevarent, parvulos secum in captivitatem hæresum traxerunt: Qui peccârunt, & peccare fecerunt Israël. Sed durius adhuc judicium illis, qui non spiritûs, sed carnis libertate ducti, Magnatib⁹ suâ perversâ doctrinâ ad defectionẽ occasionẽ dedêre, & ut eos sibi devotos conservarent, aureis illis vitulis, monasticis redditibus, sacrificare fecerunt: Peccaverunt, & peccare fecerunt Israël. Non minùs excusabiles sunt Primates, Præsides, Patres, ac Matres-familias, qui pariter scandalosâ suâ vitâ, & moribus non tantùm Deum offendunt, & peccant, sed etiam peccare faciunt Parvulos, eósque secum malo exemplo & scandalo in ruinam trahunt.

Similiter rei Prælati, parentes, &c.

V.

2. Reg. 12 v. 1.

Graviter David perpetrato adulterio, & homicidio innocentis Uriæ ceciderat, eò quidem infelicior, quò nec ipse casûs sui agnosceret enormitatem, donec Nathan Propheta turpitudinem commissi sceleris ob oculos posuit, tum primùm David errorem suum agnoscere, & ex contrito summè corde exclamare: *Peccavi Domino.* v. 13. Tantus, ac tam perfectus erat hic licet unico verbo conceptus contritionis actus, ut delendo penitus peccato sufficeret, attestante Propheta: *Dominus quoque transtulit peccatum tuum: non morieris.* Licet autem non tantùm culpa Davidi remissa, sed etiam pœna quoad propriæ personæ mortem fuerit mitigata; *Non morieris*, id est, *in propria persona*, (ait Lyranus) *sed in filio tibi nato: Verumtamen ... filius, qui natus est tibi, morte morietur.* Lyranus hic. Sed & hæc filij sui mors, profundè cor David penetravit, ita ut in terram prostratus, jejuniis se affligeret, & ex intimo cordis affectu Dominũ pro salute filioli deprecaretur; at inexorabilem invenit divinæ Justitiæ rigorem, & sententiam irrevocabilem: Statutum; filius qui natus est tibi, morte morietur. Cur autem tam ardentes Davidis preces, & cor contritum & humiliatum despexit Deus, quò minùs exaudiret, & vitam etiam parvulo condonaret? *Causa subditur* (respondet solidè Lyranus) *quoniam blasphemare fecisti inimicos Domini, quia homines* (addit Lyranus) *ignorantes, & mali, ex hoc blas-*

Quia fuit peccatum scandalosum.

Lyranus hic.

David in filio punitur.

phemabant judicia Dei occulta; dicentes eum injustè egisse, reprobando Saul, & eligendo David, qui satis pejora fecerat, quàm Saul. Licet enim David perpetratũ scelus studiosissimè celare conaretur, tamen Joab (uti Abulensis memorat) ad se exculpandum coram plurimis, qui indignabantur, Uriam ad occisionem & macellum invidiosè ab eo ductum fuisse, literas Davidis hinc inde pro occasione exhibuit, ut culpam non sibi, sed Regi imputandam demonstraret; hinc ergo populus erga Regem aversum gerere animum, rebellionis scintillas fovere, & judicia Dei occulta blasphemare cœpit, quòd adulterum & homicidam Sauli prætulisset, qui nullius mariti thorum violasse, aut fidelem sibi servum tam proditoriè mactasse unquam auditus sit: hic ergo David per scandolosa sua delicta blasphemare fecit inimicos Domini.

Quo blasphemare fecit inimicos Domini.

Id est Israelitas pervertos

Eruditissimus Cornelius à Lapide per inimicos Domini non ipsos Israelitas, sed Gentes Idololatras intelligit, apud quas de Davidis delictis non minùs rumor percrebuerat, has ergo blasphemare fecit David: *Vt dicerent: Ecce quàm scelesti sunt Israëlitæ, Dei cultores, ac imprimis eorum Rex, & propheta David. Hæccine est sanctitas populi Dei? Hæccine pietas Regum & Prophetarum? Certè nostri Dii tales non sunt, nec vos tales esse patiuntur.* Concludit porrò hanc suam sententiam præfatus auctor hisce ponderosis verbis. *Disce hìc, quàm grave sit peccatum scandali, præsertim quo fideles infidelibus dant occasionem blasphemandi Deum.* Quod gravissimum scandali peccatum Deus utique inultum esse non patitur.

Cornelius hic.

Vel ipsos gentiles.

Miramur subinde, quòd Deus modernis temporibus per iteratas plagas Christianum populum affligat, miramur, cur Deus quasi supra pusillum Catholicorum gregem misereri obliviscatur, & in ira sua contineat misericordias suas, iteratis semper in nos flagellis advertens? sed quid miramini, ô populi fideles, ultricem Dei manum, nunquid vos eam provocâstis, & adhuc continuò provocatis, dum scandalosâ vestrâ vitâ blasphemare fecistis, & adhuc blasphemare facitis inimicos Domini, infideles populos, & hæreticos, qui videntes Catholici populi gravia delicta cum Amonitis, & Philistæis obiiciunt nobis: Ecce, quàm scelesti sunt Catholici, Dei cultores? Hæccine est sanctitas populi Dei, præsertim si dissolutum viderint Clericum aut Religiosum, si minus exemplarem Antistitem, aut Principem

VI.

Vnde tot flagella.

Nisi ob scandalosa peccata

pem: Hæccine, exclamant, est pietas Regum & Prophetarum? Hæccine sanctitas personarum Deo dicatarum? Blasphemare hoc modo incipiunt ex scandalosa fidelium vita, inimici Domini.

Salvianus l. 4 de Gubern. Dei. *Ecclesiam contemptibilem faciunt.*

Hoc malum peculiariter tantùm (uti notat Salvianus) *Christianorum* (imò Catholicorum) *est, quia per eos blasphematur Deus, qui bona dicunt, & mala faciunt, qui, ut scriptum est, Deum verbis confitentur, factis autem negant.* Et quidem hæc ipsa facta scandalosa, sunt, ob & per quæ ab inimicis Domini blasphematur, & Ecclesiæ sanctitas contemnitur. Quòd optimè confirmat, & notat Chrysostomus his verbis: *Quia quando vel paruum delictum vident nostrorum, statim linguam exacuunt, simul contra omnes, & ex unius delicto, totam Christianorum gentem judicant.* Adeò ex uno membro, totius corporis tabem æstimant, quantò magis si non unum, sed plura membra infecta videant?

Io. Chrysost. serm 15. in Epist. ad Rom.

VII.

Solymanus Turcarum Imperator præterito sæculo Christianorum fines infestans, cùm tantis sceleribus, ac impudicis fœminis, gulosis & ebriosis glutonibus Christianorũ castra referta esse intellexisset, parũ sibi à Christianorũ castris timendũ dixit, cùm nõ nisi vel cũ ebriosis, vel fœminis sibi pugnandum foret, ac in tantùm Christianæ vitæ ac Religionis sanctitatem contempsit, ut vel ipsos suos Mahumetanos Christianis non inferiores judicaret, imò illos tales esse non pateretur. Et quia populus Christianus scandalosâ vitâ sua blasphemare fecit inimicos Domini, meritò ipsorum Saracenorum armis in eum Deus animadvertit, & eorum jugo Christianas gentes subjecit, per quas nomen Domini fuerat blasphematum. Seriò tales hortatur Paulus: *Absq; offendiculo estote Judæis, & gentibus, & Ecclesiæ Dei.* Absque offendiculo, id est, *scandalo* (glossatur Interlinearis) estote Judæis & gentibus, *quæ non sic arguuntur* (addit eadem glossa) *sed in suo errore confirmantur.* Nam licet diu & Saracenos & hæreticos, increpemus, & diris devoveamus cum suis erroribus, & tamen vitam illis non absimilem ducamus, non sic arguendo convertuntur, sed in suo errore confirmantur, blasphemantes nomen Domini. Cùm è contrario per vitæ exemplaris splendorem, & condescensionem, *Conversi ex istis vel illis, in fide magis stabiliuntur, & non conversi ad fidem attrahuntur*, ait Lyranus.

Solymanus contemnit Christianos.

Obscandalosam vitam.

1. Corinth. c. 10. v. 32.

Glossa Interlin.

Lyranus hic.

VIII.

Ardentibus precibus apud divinam majestatem instabat Daniel, ut demum populus Hebræus à Babylonico jugo segrega-

Daniel. c. 10. v. 13.

gregatus, liber in patriam dimitteretur, fusis diu lacrymis, & precibus parum effeciſſe videbatur Propheta, donec tandē felicem nuncium ei attulit Angelus (quem multi S. Gabrielem Archangelum populi Judaici Custodem fuiſſe æſtimant) exauditas ſcilicet fuiſſe preces ſuas, ac populum pro voto in Palæſtinam reducendum. Cauſam verò retardationis adjunxit idem S. Archangelus: Princeps autem regni Perſarum, id eſt, *Angelus* (juxta expoſitionem Interlinearis gloſſæ) hoc eſt, Custos Angelus Perſarum, reſtitit mihi viginti & uno diebus, & ecce Michaël unus de Principibus primis, venit in adjutorium meum.

Gloſſa Interl.

Magnum hîc exoritur dubiū, quænam hæc contrarietas fuerit Angelorum? Cùm enim Angeli, boni ſint Angeli pacis, æſtimat S. Hieronymus, quòd malus Angelus reſtiterit Custodi Angelo Judæorum; verùm S. Gregorius, & alij cum gloſſa æſtimant præcisè de bonis Angelis hîc ſermonem eſſe, ubi tamen notat Lyranus; *Non tamen inter Angelos ſanctos eſt contrarietas voluntatum ſimpliciter, quia voluntates eorum ſunt conformes divinæ voluntati, quia tamen de futuris ignorant, quid Deus velit, ideò aliquando conſulendo Deum de aliquo futuro circa populos, quibus præſunt, allegant merita contraria, & ſic dicuntur reſiſtere ad invicem, ſed quando revelatur eis ſuper hoc divina voluntas, ſimpliciter concordant in ea.* Hac ergo factâ ſuppoſitione judicat Hugo Carenſis, reſtitiſſe Principem & Custodem Angelum Regni Perſarum Custodi Judæorum in dimittendo populo, *ut populus Perſarum, inter quos erant, in fide unus Dei per eos in eos edoceretur* & exemplo ad ejus cultum traheretur.

Angeli pacis quomodo ſibi contrarij?

Lyranus hic.

Custos Perſarum Judæos ſervare petijt.

Ut Perſæ per eos in fide edocerentur.

IX. In præterito Suecico cruento bello per quatuor pene luſtra protracto, gemebat, & ſuſpirabat Germania noſtra pacem, nec dubium, quin & Princeps Imperij Romani, Custos ſcilicet Angelus ejuſdem, omniúmque Provinciarum Catholicarum pro impetranda nobis pace ferventer apud Deum intercesſerint; ſed vereor, ne & Princeps Regni Suecorum, & omnes ſimul cum eo Septemtrionalium Provinciarum Custodes Angeli reſtiterint, optantes, ut crediti ſibi clientes ad bellandum ab Aquilone hæreſibus infecto ad partes noſtras copioſiùs tranſirent, urbes & Provincias Catholicorum occuparent, ut ſcilicet Acatholici Principes & milites à Catholicis in vera fide edocerentur, & in cognitionem Eccleſiæ Romanæ devenirent, nam priùs Religioſos & Clericos tanquā quædam monſtra infernalia, Papam

Catholici miſcentur hæreticis.

pam tanquam Antichristum abhorrentes, posthac cum iis cœpêre miscere colloquia, eorum mores approbare, de controversiis fidei confidenter discurrere, ita ut in vera fide multi edocerentur, alij autem mitiora saltem de fide Catholica sentientes, in patriam reversi, longè diversa, quàm edocti fuerant, nuntiarent, quò factum, ut non tantùm ipsa Sueciæ Regna, sed ex singulis omnino serenissimis familiis Romani Imperij, quidam ad fidem Romano-Catholicam accesserint, prout in Concione festi Epiphaniæ fusiùs deduxi: Ita ut prudentes quique congruenter judicent, ex hoc capite Romanæ Ecclesiæ plùs profuisse bella Suecica, & Acatholicorum irruptiones, quàm obfuisse, & illud, quòd nobis fuit in pœnam, hostibus fuisse ad eruditionem, & conversionem.

Vt hi illorum consortio convertantur.

Idem occasione vel mercantiæ, vel videndarum regionum linguarúmve exterarum addiscendarum, hodiéque contingit, dum Lutheranorum, Calvinistarum, Zvvinglianorum, &c. non pauci, regiones vel nostras, vel Gallicas, aut Italicas frequentant, & Romam, Viennam, Parisios, &c. inhabitant, quod summopere Principibus illorum Angelis placet, ut inter nos in vera fide edoceantur, & bono Catholicorum exemplo ad Religionem Catholicam, & sinum Ecclesiæ attrahantur.

Siquidem autem pusilli tales, & ignorantes, hæretici inter Catholicorum consortia scandalosam vitam, virgines lasciviâ squalidas, Sacerdotes & Prælatos sub mundanis curis gementes, Religiosos dissolutos videant, incipiunt *blasphemare bonum nostrum* nomen, Catholicam scilicet Religionem, fidem, doctrinam, Ecclesiam. Sed væ talibus, qui blasphemare faciunt inimicos Domini! Væ mundo à scandalis? Væ homini illi per quem scandalum venit! Meliùs tali foret, ut mola asinaria suspenderetur collo ejus, & demergeretur in profundum maris. *Sed væ scandalizantibus!* Rom. 14. v. 16.

Tanta revera est gravitas scandali, quo occasio blasphemandi inimicis Domini, & ruinæ pusillis datur, ut citiùs quis subire pœnosam mortem, quàm in minimum consentire scandalum deberet.

X.

Generosissimum in hoc toti orbi præstitit exemplum nonagenarius, senio confectus, sed zelo legis adhuc ferventissimus Eleazarus; jusserat hunc immanis Rex Antiochus, aut mori, aut contra Legem, carnem porcinam manducare. At ille glorioſissimam mortem magis, quàm odibilem vitam com- 2. Mach. c. 6. v. 18.

Eleazari generositas.

complectens voluntariè præibat ad supplicium. Erant qui commiseratione erga venerabilem viri senectutem ducti, persuadere saltem ipsi conabantur, ut carnes, quibus vesci licebat, secretò offerri sibi pateretur, & simularet tantùm, se manducasse, sicut rex imperaverat, de sacrificij carnibus, & sic à morte liberaretur. Sed quid ad hæc venerabilis senex? Non planè conservandæ vitæ modum, sed cogitare cœpit ætatis ac senectutis suæ eminentiam dignam, & ingenitæ nobilitatis canitiē, atque à puero optimæ conversationis actus, &c. mori ergo,

Mori maluit; quã scandalizare.

quàm vel simulare legis transgressionem maluit. *Non enim ætati nostræ dignum est* (inquit) *fingere, ut multi adolescentium arbitrantes Eleazarum nonaginta annorum transisse ad vitam alienigenarum, & ipsi propter meam simulationem, & propter modicum corruptibilis vitæ tempus decipiantur.*

Majorem curam Eleazarus, qui unus de primoribus scribarum erat, habuit evitandi scandali pusillorum, quàm propriæ vitæ; Seriò ex hoc monet meus Doctor Seraphicus; *quàm periculosum sit, per scandalum perdere proximum, ostendit Eleazarus, legitur enim, quòd se perdidit corporaliter, ne proximos perderet spiritualiter. Augustinus: Eleazarus maluit vitam suam tormentis obiicere, quam cuiquam perditionis Magister existere.* Hæc Bonaventura.

S. Bonav. serm. 2. fe. 3. Pent.

S. August. apud eũd.

Notate ergo venerabiles senes, & cogitate venerandam canitiem vestram, considerate Præsules & Principes, & cogitate dignitatis & nobilitatis vestræ eminentiam, perpendite Clerici & Religiosi, statûs, & professionis vestræ celsitudinem; recordamini Patres & Matresfamilias, obligationis vestræ magnitudinem; Cavete, cavete, ne culpâ vestrâ parvuli ducantur in captivitatem, & ne vos illis perditionis Magistri existatis, potiùs vitam vestram tormentis obiicere parati sitis; potiùs vos corporaliter, quàm parvulos spiritualiter perdere eligatis. Cavete ne per vos blasphemetur nomen Domini, & ne blasphemare faciatis inimicos Domini, sed tali vitæ exemplo omnibus prælucete, ut per vos Deus glorificetur, & proximus ædificetur, ut conversi in fide magis stabiliantur, & non conversi ad fidem attrahantur, sic planctum Ecclesiæ nostræ militantis in terra convertentes in gradium, cum triumphante etiam gaudebitis in cœlis, Amen.

DISCUR-

DISCVRSUS X.

He.

Facti sunt hostes in capite ejus. *Thren. c. 1. v. 5.*

DE ANIMA.

In capite, id est, iuventute sua ab hostibus in captivitatem redacta, vix, malâ consuetudine circumuallata, liberationem sperare potest.

1. AD occupandam Provinciam, vel Regionem, primum solet esse studium subigendi & occupandi illius Passûs, seu Clausæ, qua accessus ad ipsam Provinciã intercluditur, & hostis arcetur, ne ipsa regionis viscera intrare possit: occupato autem tali propugnaculo, quod instar scuti totam protegebat regionis planitiem, facili etiam labore reliqua oppida, & castra potestati hostis subiguntur. Est Adolescentia, seu juventus in homine quasi propugnaculum confinium, & castrum seu Clausa, per quam accessus ad reliquos ætatis gradus intercluditur, quare inprimis malignus hostis omnem in eo vim facit, ut hunc humanæ vitæ accessum seu passum occupet, ex quo totam facilè reliquæ vitæ partem potestati suæ subiiciet ... Et hoc ipsum est, quod de Anima peccatrice in morali sensu hîc Propheta luget: Facti sunt hostes in capite ejus. Nam teste Doctore Seraphico, *fiunt hostes in capite, quando in adolescentia quis incipit servire diabolo.* Hoc casu periculosè admodum succumbit anima, *quando* enim *hostis fit in capite, diabolo faciliter datur totum tempus vi-*

Iuventus est propugnaculum totius vitæ.

Hostis in capite.

S. Bonav. hic. *Id est in Iuventute.*

tæ, quippe propugnaculo juventutis semel in potestatem redacto, & malæ consuetudinis aggere circumvallato, vix è hostium manibus captiva anima eripienda speratur.

II. Quò vicinius hostibus est propugnaculum, & quò plus hostes illud assultibus, & arietibus tentant, eò magis forti præsidio, armis, & aggere ipsi providendum, & vigilanter custodiendum. Inter omnes hominis ætates nulla hosti vicinior, & ejus assultibus magis est obnoxia, quàm juventus, utpote cæteris ætatibus debilor, & ad se dedendum pronior: Nam *sensus, & cogitatio hominum prona sunt in malum ab adolescentia sua.* Ex *illa enim ætate* (ait Ambrosius) *crescit malitia, nam diligentia, & studium peccandi incipit à juventute, ut puer, quasi infirmus, peccet juvenis tanquam improbus, qui studiosè cupiat peccata committere, & in crimine glorietur.* Quid multis? *Crescit ergo cum ætatibus culpa*, affirmat Mediolanensis Antistes.

Juventus est propugnaculum totius vitæ.

Gen. c. 8. v. 21.

S. Ambr. de Noë & Arca: hic

Ex quo collige periculosas variis ex capitibus juventutis conditiones, est námque confine hosti propugnaculum, sæpe ab illo tentari solitum. Sæpe expugnaverunt me à juventute, dicat nunc Israël, sæpe expugnaverunt me à juventute mea. Et tamen hoc propugnaculum est inter omnia maximè infirmum, & ad colludendum cum hoste pronum, caputque cæterarum subsequentum ætatum, ita ut juventute occupatâ, firmiùs semper radicetur culpa, & cum ætatibus crescat, séque in ea communiat hostis, & quando fit in capite, faciliter datur totum tempus vitæ diabolo.

Psal. 128. v. 1.

Illi hostis est valde infestus.

Circumædificavit adversum me, ut non egrediar, (deplorat porro peccatrix anima) *aggravavit compedem meum.* Et iterum: *Concluſit vias meas lapidibus quadris, semitas meas subvertit.* Circumædificat hostis adversus animam (ait Lyranus in morali) *In consuetudinem peccatorum inducendo, qui laqueus est impediens egressum à peccato: sicut filum, quo tenetur avicula per pedem ligata, impedit eam, ne simpliciter avolet:* Dehinc aggravat compedem, *per habitum vitiosum ex consuetudine acquisitum,* sed etsi clamaverit *per instinctum Synderisis, remurmurantis peccato,* Excluſit orationem, *ejus impediens effectum per peccati recidivum,* denique concludit vias, *procedendi in bonum,* lapidibus quadris, *id est peccatis, quæ quatuor habent angulos, scilicet Dei offensam, obligationem ad pœnam, gratuitorum spoliationem, & naturalium vulnerationem.* Ecce qualiter hostis occupatum infirmum juventutis propugnaculum firmiter custodiat, quomodo se in eo muniat

Thren. 3. v. 7. v. 9.

Glossa Moralis.

Juventutem captã diabolus munit, & fortificat.

niat, ut etiam summæ violentiæ impetu (consuetudinis aggere & lapidibus quadris circumvallatus) expelli nequeat, nisi singulare divinæ gratiæ succurrat subsidium. Tam arduum judicat Mellifluus Doctor, & difficile hoc negotium, ut dicere non vereatur: *si tuis attenderis viribus tale erit, ac si in uno digitorum tuorum, torrentis impetū sistere, aut ipsum coneris Iordanem convertere retrorsum.* Tantæ molis erit admissum in juventute hostem, & inveterata à pueris vitia expellere, & extirpare.

S. Bernard serm. 57. in Cant.

Hostis vix amplius ejecti potest.

III.

Jam enim (uti porrò deplorat anima) consuetudo, vetustam fecit pellem meam, quæ tam facilè abstergi, & deponi non valeat, & in ossa indurata est malitia, non tam facilè flectenda. *Ossa ejus replebuntur vitiis adolescentiæ suæ*, asserit Job; Et siquidem ad ossa usque penetraverit malum, & vitia in ossa induruerint, quæ spes restat emendationis? aut nulla, aut planè exigua. Nam si vitia juventutis jam jam in ossa transierint, ad tumulum usque adhærebunt: *Et cum eo in pulvere dormient.* Optimè hîc observandum, quòd patiens Propheta ossa juventutis vitiis replenda memorat, nam infantes parvuli, molles instar ceræ artus & pedes habent, ferendo corporis ponderi impares, & adhuc quasi flexiles & infirmos, ossa quippe nondum solidata sunt: Sed in juvenibus jam artus robusti, & ossa dura sunt, crescente virilis ætatis calore indies magis induranda. *Ossa dura* (ait ordinaria) *pravitatis est consuetudo quæ ossa cum eo in pulvere dormient: In pulvere dormire, est usque ad pulverem, id est, usque ad mortem ab iniquitate non cessare.*

Thren. 3. v. 4.

Iob. c. 20. v. 11.

Ossa dura

Sunt mala consuetudo.

Glossa Ordin.

Solent subinde morbis, & corrosinis defluxionibus molliores quædam corporis partes uti hepar, pulmo, per febrim hecticam, & phtysin consumi, & decoqui, intestina per bilio-sos & inflammatos humores, & dissenteriam; partes carnosæ per serpentis cancri ferasitatē, ossa verò semper in sua subsistunt duritie, nisi violentâ manu, ictu aut casu, non franguntur, & quidem fracta duriùs coalescunt, ad pulverem usq;, totius corporis duratura, & vix in ipso sepulchro post multa lustra consumenda. Sic quoque defectus & vitia, quæ nullam à juventute contraxerunt duritiem, & in ossa consuetudinis non coaluerunt, facilè consumi, & aboleri poterunt, sed illa vitia quæ pravitatis consuetudine jam ab adolescentia in ossa coaluerunt, non nisi magno, & vehementi impetu, & violentia rumpentur, in pulvere dormient, ad sepulchrum usque

Ossa non facilè corrumpuntur.

Etiam in sepulchro Religionis.

sequentur. Et licet talis mundo mortuus in sepulchrum Religionis se deportari faciat, tamen adhuc in pulvere hujus sepulchri cum eo dormient, nullâ temporum diuturnitate emollienda, sed violentis actibus contratriis conterenda. Adeò periculosa sunt adolescentiæ vitia, consuetudine indurata, cum annis indies crescentia.

IV.

Iob. c. 3 v. 12.

Detestatur nativitatis suæ exordium vir patiens, morte se præfocandum exoptans: *Quare non in vulva mortuus sum? Egressus ex utero non statim perij? Cur exceptus genibus? Cur lactatus uberibus?* Sed quorum hæc detestatio, & propriæ nativitatis maledictio? An quia tot mala sustinenda patienti Prophetæ incumbebant, impatientiæ succumbens, se non natum optabat? Altiora longè mysteria, & doctrinas hinc eruit magnus Gregorius, & cum eo glossa, qui non nascentis corporis, sed exorientis, & crescentis culpæ exordia, & progressus detestatur. Partus quippe infelix culpæ in utero adhuc conclusus, est *Culpa latens*, digna, quæ diris omnibus devoveatur, adhuc autem detestabilior & nocivior, si à mente transeat in ipsum opus consumatum, & apertum; maximè autem detestanda, si genibus excepta adhuc uberibus lactetur, quod fit, *dum culpa consuetudinibus firmatur*, posthac & falsis excusationibus & fiduciâ, lactanda, &c. Exclamat ergo gemebundus Propheta: Quare non in vulva mortuus sum, hoc est: *In ipsa occulta perpetratione peccati?* Et postquam in lucem prodiit culpa mea, & in opus consumatum, cur saltem exceptus genibus? Id est, *cur me etiam consuetudo sucepit? Cùm enim culpa in usum venerit, et jam animus, etiamsi appetat, debiliùs resistit, quia quot vicibus pravæ frequentationis astringitur, quasi tot vinculis ad mentem ligatur*: Et inde sequitur, quòd vitia post partum excepta, & lactata crescant, & indurentur, & indurata tanquam ossa, cum eo in pulvere dormiant, impleta vitiis adolescentiæ.

Detestatur Iob nativitatem suam

S. Greg. & glossa.

Id est culpam crescentem.

Glossatur in hunc passum Glossa moralis: illis sapientissimi Salomonis verbis *Proverbium est: Adolescens juxta viam suam, etiam cùm senuerit, non recedet ab ea:* Hic versus, uti doctrinis moralibus est gravidus, ita variis lectionibus, ac interpretationibus famosus. Nam Hebræi sic habent: *Dedica, velinitia puerum, ad os viæ, &c.* Græca, Complut: & Regia, *dedica, vel innova*; Chaldaica versio legit, *erudi adolescentem*; Cajetanus, *assuefac puerum*.

V.

Glossa moralis in Iob. c. 20. Prov. 22. v. 6.

Adolescentia.

Ac imprimis considerandum occur-

occurrit *Tò juxta viam suam*, vel (ut Hebræi habent) *juxta os viæ suæ*. Vatablus, vertit, Bivium; *Initia*, inquit, *puerum juxta bivium viæ suæ*. Puer enim ad annos discretionis perveniens, est quasi in bivio virtutis & vitij, unde si viam virtutis ineat, usque ad senium perseverabit; sin viam vitij capessat, in senio eam non deseret: Non recedet ab ea; maximè ergo attendendum pueris, dum ad hoc bivium illucescente rationis lumine perveniunt.

Est ad Bivium constituta

Porrò Hebræa lectio, ad altaris seu templi dedicationem alludere videtur, dedica puerum: sicut enim Deo dedicantur altaria & templa, sic pueri, (qui juxta S. Bonaventuræ opinionem, quasi *pueri* dicuntur) in pura sua, & intemerata puericia Deo dicandi sunt, ut sic cum annis Deo tanquam Creatori suo in virtutibus semper accrescentes, in charitate firmiùs indies radicentur, & fundentur. Quocirca docet Angelicus, puerum, cùm incipit uti ratione, teneri converti ad Deum, per actum fidei, amoris, & Religionis, ei se offerendo, vitámque omnem dedicando, sub pœna peccati mortalis.

Initiare idem quod consecrare.

S. Thom. 1. 2. q. 89 a 6. in corp.

VI.

Nec minùs plausibilis est illa versio, seu lectio: *Initia puerum*: uti tyrones ad bellum initiari solent, in tractandis armis exercendi. Maximè autem hoc verbum initiare, tam in testamento veteri, quàm novo adhibetur pro institutione, & consecratione alicujus personæ ad servitium Dei, unde Clerici, & Sacerdotes sacris initiati dicuntur. Imprimunt autem in novo testamento sacri ordines minores characterem indelebilem, ita ut sacro quis Subdiaconatûs, diaconatûs, vel Presbyteratûs ordine initiatus, Characterem in anima sua indelebilem gerat, nullâ ætate, imò nec ipsâ morte delebilem. Initiari puerum jubet Salomon, id est, Deo consecrari, bonæ enim doctrinæ, & mores puero inculcati, ita penetrant in ipsam animam, ut characterem quasi indelebilem imprimant, etiam cum senuerit non recedet ab eo, & cum eo in pulvere dormiet, non cum annis eradendus, sed magis ampliandus, & augendus.

Characteres indelebiles.

Videmus subinde cucurbitis, aut etiam teneris arborum corticibus literas, aut figuras subtiliter incidi, qui characteres succrescente fructu, vel plantâ, non solùm non delenter, sed etiam indies in majorem excrescunt formam. Sic etiam bonis characteribus initiata juventus, semper illos etiam in summa ætate conservabit, etiam cum senuerit, non recedet

Cucurbitæ servant incisionem.

det ab eis, sed etiã cum crescente crescent, sive boni, sive mali, & deformes sint illi characteres teneræ ætati olim impressi, qui ab incunabulis usque ad sepulchrum mortuos consequuntur.

VII. *Imbuere coloribus.*

Verti etiam potest hebræum illud verbum chanoch, *imbue puerum*, ut alludatur (inquit Cornelius) ad pannos, qui in tinctura suis coloribus imbuuntur: Est juventus sicut tabula rasa, ad omnes figuras, & sicut materia prima ad omnes formas, & sicut lana munda & alba, ad omnes colores recipiendos apta. Sed ubi tabula semel depicta, materia formâ vestita & unita, lana colore imbuta est, tam facilè se mutari non patiuntur. Egregiè ad propositum nostrum Divus Hieronymus: *Difficulter etaditur, quod rudes animi perbiberunt; Lanarum conchylia, quis in pristinum candorem revocet? Recens testa diu, & saporem retinet, & odorem, quo primùm imbuta est.* Imbue ergo puerum, sapore, odore, & colore bonorum morum, & virtutum, nam si nocivum saporem ebrietatis, fœda phantasmata lasciviæ, tetrum colorem livoris, & invidiæ contraxerit, etiam cùm senuerit, non recedet ab eis.

S. Hieron. epist. 7. ad Lætã.

VIII. *Innovare quid?*

Denique si illam versionem *innova puerum*, sequi lubet, nec ea morali suo mysterio caret, si ad novalia attendere velimus; nam agri novi, qui arantur, seruntur, occantur, copiosam segetem afferunt, inculti autem non nisi zizania ferunt, nam ex eo, quo Deus maledixit terræ, ut spinas & tribulos ferret, Adami peccato quasi infecta non nisi cultrice manu mediante, bonos fructus afferet; Sic & juventus peccati originalis fomite corrupta, de se nil nisi spinas & tribulos vitiorum germinare novit, ut ergo bonam & copiosam virtutum segetem ferat, mens pueri aranda, occanda, & serenda est bonis præceptis & moribus. Huc facit illud Ieremiæ: *Novate vobis novale, & nolite serere super spinas.* Frustra seminantur virtutes in corde viri, quod spinis vitiorum jam inhorruit, sed licet aratro quis vertere terram velit, inoffenso pede transire vepres, & spinas non licet, sed magna vi, & seriò tunc res agenda, applicandus nempe ignis ad comburendum, & tum demum aratro scindendum solum, & cinis frutetorum ac spinarum, terræ tumulandus, & obtegendus est; tanto labore & sudore opus est, ad cor inveteratum, & spinis vitiorum horridum, excolendum, igne & ferro opus est, ad faciendum novale hujusmodi, & renovandum hominem in vitijs inveteratum, cùm tamen

Novalia faciendo.

Ierem. c. 4. v. 4.

Ager iam spinis horridus difficulter innovatur.

juve-

juvenis facilè innovetur, senectus autem & senes innovari quasi nequeunt: Nam Diogene teste, idem quasi est, *mederi mortuo, & senem docere.* Et senex ille stultus apud Theogenem, impatiens ab alio doceri, dixit: *Ne doceas, ætas me facit indoctum.* Quibus assentitur Seneca: *Grandior ætas, dura, & intractabilis, non potest reformari. tenera finguntur.* Lutum enim tenerum in quamvis formam componet figulus, at ubi induruit vel diuturnitate temporis, aut frigore, aut in fornace, frustra in reformanda forma laborabit figulus. Ramus tener facilè flectitur, & ligatus, vel in orbem, vel sursum, vel deorsum crescit, prout ligantis manus direxerit, sed ramus jam annis & robore durus, flecti nequit: grandior enim ætas dura, & intractabilis. Cùm puer non flectitur ad virtutes, factus adolescens juxta viam suam, etiam cùm senuerit, non recedet ab ea.

Senex doceri non potest.

Senec. l. 3. Epist. 25.

Flecti nescit.

IX. Bene ergo Cajetanus præfatum passum vertit: *Assuefac puerum*; nam bonæ consuetudines, & mores pueritiæ instillati, etiam reliquas vitæ ætates in bono nutriunt, & confortant, hinc pulchrè Clemens Alexandrinus juventutem uberis titulo decorat: *Est*, inquit, *in nobis uber ætatis, ipsa juventus.* Uti enim infans maximè illius genium imbibit, cujus lac sugit, & magis nutricis, quàm matris humorem attrahit, illíque humores simul cum lacte hausti, infantem non tantum nutriunt, sed usque ad pulverem & mortem inhærent, sic juventus est quoddam uber, & nutrix reliquarum ætatum, quæ lacte suo has nutrit, quale modò lac, quales humores, & mores juventus præbuerit reliquis ætatibus, tales hæ servabunt, genium potiùs nutricis, juventutis, quàm prosapiæ, & parentum secuturæ. Magnum hoc videtur paradoxum, & inversus naturæ ordo, quòd infans & puer virum, ac senem nutriat, ac lactet? sed non miratur, qui posteriores hominis ætates, ipsámque senectutem ab infantia quasi generari, & à multiplicatis infantiæ annis pueritiam, à pueritia adolescentiam, ab adolescentia juventutem, ab hac ætatem virilem, & tandem ab ista senectutem ipsam procedere, adeóq; juventutem senectutis stipitem, matrem, ac nutricem esse intelligit, à qua aliæ ætates lac suum, & morum nutrimentum accipiunt, ab illa proinde malè nutritæ & lactatæ, meritò cum B. Job conquerendo exclamant: Heu cur lactatæ sumus uberibus, & nutritæ infecto & maligno lacte juventutis nostræ.

Clemens Alexandr. pædag. c. 5.

Juventus est uber ætatis.

Lactat reliquas ætates.

Est hæc mater & nutrix.

Quæ cùm ita sint, uti revera

sunt, summa pueritiæ & juventutis habenda ratio, & siquidem nutricibus nocivi subtrahuntur cibi, copiosus vini haustus denegatur, efferveſcentis iracundiæ ardor inhibetur, ne ejuscemodi bilioſi, aut nocivi humores in ipsâ ubera, & ab uberibus cum lacte in partum transeant, sic meritò à juventute (quæ nutrix est aliarum ætatum) arcenda ebrietas, nocivi ardores veneris repellendi, bilis iracundiæ expurganda, ne in nutricis ubera, & ab uberibus cum lacte in senectutem mali transeant humores, posthac incurabiles: Nam adoleſcens juxta viam suam, etiam cùm senuerit, non recedet ab ea.

X. Et hæc est ratio, quare Deus æquè, ac malignus spiritus tam ardenter de juventute hominis occupandâ decertent, & quivis, hujus dominium alteri præripere contendat, quia nempe juventus est nutrix, est propugnaculum, & caput reliquarum ætatum, & occupanti caput *facilitèr datur totum tempus vitæ*, teste Doctore Seraphico. Agite ergo parentes, agite juventutis Curatores, caput hoc servate Deo, & à tentatore intactum conservate; Fovete hanc reliquarum ætatum nutricem, tanquam pupillam oculorum vestrorum, defendite ab hostium incursibus hoc propugnaculum, circumducite murum & antemurale virtutum, & bonorum morum, indefessas agite excubias, ne hostis fiat in capite, & confinium ætatum propugnaculum expugnet, sed in fide firmum, in spe erectum, in charitate radicatum, & omni virtutum genere circumseptũ, omnes hostiles insidias & insultus animosè reiiciat, & solum creatorem sui possessorem, & rectorem recipiat, cum quo sine fine vivat, & regnet,

Amen

Iuventus ſtu ioſè obſervanda.

DISCUR-

DISCVRSVS XI.

Vau.

Facti sunt Principes ejus, velut arietes non invenientes pascua. *Thren. 1. v. 6.*

DE ECCLESIA.

Deplorat, quòd Principes & Rectores tam sæculares scilicet, quàm spirituales, non officij sui professioni, sed tantùm sibi ipsis pascendis attendant.

1. *Oves sunt subditi.*

CUm homines omnes naturâ sint æquales, & partus ejusdem manûs creatricis (quia ipse fecit nos, & non ipsi nos) idcirco vererer ego subditos ovium, & Rectores, Pastorum nomine compellare, nisi ipsa infallibilis divina Veritas non tam propriæ vocis oraculo, quàm in sacris paginis sæpissimè hoc memoràsset, tantam scilicet inter subditum & Prælatum exigens differentiam, virtuosæ excellentiæ, quanta ab irrationali pecore habet rationalis homo, & pastor, non tam intellectûs, quàm ciborum usu, longè ab ove diversus. Et siquidem de ciborum, & alimenti sorte materialiter loqui velimus, planè dubium non est, pauperes utcunque & agrestes in hoc mundo homines, pecudum penè more nutriri, si famelicam, & agrestem horum, ad delicatam Magnatum mensam comparemus. Fruſtra ergo conqueri videtur Ecclesia, quòd Principes ejus (per quos Glossa & alij expositores unanimiter, æquè Prælatos Ecclesiæ, ac sæculares Rectores intelligunt) facti sint velut arietes, non

Pastores, Rectores.

Inveniũt pascua.

non invenientes pascua. Utique enim hi pascua habent, & inveniunt pinguia : sed breviter resolvendo obviat Glossa moralis asserens, Principes non invenire pascua *sacrarum literarũ, sed pecuniarum.* In eandem sententiam videtur ire Hugo Cardinalis, sponte consentiens, Arietes hos non invenire pascua *animarum, etsi Corporum* : Adhuc meliùs ad propositum nostrum denuo Carensis hisce se verbis explicat : *Non gregi sed sibi*: Non enim gregi pascua querũnt Magnates vel corporum vel animarum, sed tantùm sibi, corporum & pecuniarum pascua inquirunt, dum immemores dati sibi à Deo officij, parum de grege soliciti sibiipsis tantùm pascendis, & impinguandis attendunt, quod summopere deplorat afflicta mater Ecclesia.

Gloss. Moral.

Hugo Cardin.

Sibi, non gregi.

II. Genus omne Rectorum, sub Pastoris nomine venit, qui à pascendo dicitur, non quòd seipsos, sed subditos pascere debeant. Hinc per Ezechielem acriter minatur Deus Pastoribus : *Væ pastoribus Israël, qui pascebant semetipsos* ! Quasi diceret (uti notat Hugo) *Pastoris verò nomine dicuntur, non quia se pascant, sed quia greges ab eis pascantur. Suscitabo super eos pastores, & pascent eos* : ait Jeremias. Et quomodo pascent? *Exemplo, verbo, corporali subsidio*, respondent Cardinalis à S. Caro. Hoc enim est, quòd Petro in Pastorem universalis Ecclesiæ constituto, terna vice Christus repetit: *Pasce, pasce, pasce* oves meas, agnos meos.

Ezech. 34. v. 2.

Hugo hic *Pastores à pascendo dicti.*

Jerem. c. 23. v. 4

Hugo hic

Famosus ovium Pastor erat Moyses, & fidelis, qui pascebat oves Jethro, hic nulli parcens labori, minavit gregem ad interiora deserti, non propriam quærens commoditatem, sed gregis utilitatem. Præludia hæc fuerunt Moysi ad pastoritiam, super universum populum Dei, dignitatem, nam cùm tantam in hoc pastore Deus deprehendisset ovium curam, dignum illum, atque idoneum judicavit, cui etiam curam pascendi, & custodiendi traderet populi sui, electi : Quo in officio ita penitus omnem propriam utilitatem, & interesse à se abdicavit, ut propriâ quasi contemptâ, salutis tantùm populi sibi crediti curam gereret. Cùm enim Moyse absente, & in divinæ eloquio, Majestatis occupato, populus à verò Dei, in turpissimum idolorum cultum declinasset, penitus à Deo delendus, & quasi victima ad macellum ducendus, tam tenero Moyses in oves suos affectu ferebatur, ut propriæ utilitatis ac salutis incurius, ex fervoris impetu Deum hisce verbis pro populo interpellaret; *Aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele*

Exod. c. 3. v. 1.

Moyses Pastor bonus.

Animam pro ovibus ponere paratus.

Exod. c. 32. v. 32. *dele me de libro, quem scripsisti,* nempe *de libro vitæ*, uti plerique exponunt. Multi in multas hîc eunt sententias, quomodo Moyses Zelo animarum actus, hoc petere à Deo voluerit, aut, valuerit, has quidem ego quæstiones hîc enodare non intendo, sufficit enim notare magnum in Moyse pastoralis curæ zelum, propriam non tantùm vitam, sed & salutem pro ovibus suis dare parato, uti & zelosus animarum Pastor, Paulus fecit, ad Romanos contestans.

Nempe salutem animæ suæ.

Rom. c. 9. v. 3. *Optabam ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis. Optabat enim* (ut multorum varias explicationes præteream) *æternam separationem non à charitate, sed à beatitudine, & gloria futura cum Christo, ut Judæi salvarentur,*

Sic & Paulus.

Cornelius uti doctè, & solidè explanat Cornelius, hisce opinionem suam verbis concludens: *Optat ergo hîc Paulus illud idem, quod in simili casu optavit Moyses, dicens: Aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo, quem scripsisti.*

III. Quis neget, bonos fuisse Pastores hos, non tantùm bona temporalia, non tantùm vitam, sed ipsam animam, & animæ beatitudinem pro ovibus suis dare paratos? Pastores non pascentes semetipsos, nec suam quærentes utilitatem? uti de se ad Corinthios testatus Paulus: *non quærens, quod mihi utile est, sed quod multis.* Sed rarum & pretiosum est hoc pastorum genus. Optimè observat Bernardus, *si rebus raritas pretium facit, nil in Ecclesia pretiosius, nil optabilius, bono, utilique pastore: nempe rara avis est ista.* Plerique enim non quærunt quod multis, sed tantùm quod sibi utile est. Si agenda inter primates, & rectores populi, consilia de importantibus reipublicæ negotiis, de ineundis fœderibus, tractanda pace, vel declarando bello, intentionis oculus non ad communem multorum, & ovium, populorúmque, sed propriam tantùm utilitatem & honorem dirigitur, ad hujus favorem, suam quisque profert sententiam, hæc communis politicorum maxima: non quod multis, non quod subditis, non quod ovibus utile est, sed quod mihi. Si decernendus alicui Magistratus, si eligendus Præses, si conferendum beneficium, officium, aut dignitas, non digniori, non illi, qui multis sed qui mihi utilis, affectus, & propinquus, eligendus est. Pastores isti sunt, sed qui non gregem, sed semetipsos pascunt; *Præesse inhiant, prodesse non curant*, scribit de talibus Pastoribus Petrus Damianus. Meritò igitur hisce pastoribus minatur Deus: *Væ Pastoribus Israël, qui pasce-*

1 Corint. c. 10. v. 33

S. Bern. Epist. 248. *Pastores boni rari.*

Qui non quærunt, quæ sua sunt.

Petr. Damian. l. 1 Epist.

Ezech. c. 34. v. 2. *pascebant semetipsos, lac comedebatis, & lanis operiebamini*; Dum pauperculas emulgent oviculas ad sumptuosam parandam in conviviis delicatis mensam; eásque si non deglutiunt, saltem continuò tondent, ad conservandum vestium luxum, & *utinam* (exclamat Doctor Mellifluus) *sufficeret vobis lana, & lac, sititis enim sanguinem*; Unde Propheta prosequitur: *Et quod crassum erat occidebatis, gregem autem meum non pascebatis.* Non enim hi oves, sed hœdos suos pascunt.

Lac & lanam quærunt.

IV.

Et quinam isti hœdi, qui à perversis pastoribus solicitè pascuntur? semotâ ovium cura? Dilectæ suæ cœlestis mandat Sponsus: *Egredere, & abi post vestigia gregum, & pasce hœdos tuos, juxta tabernacula pastorum: Hœdos* (respondet Mellifluus Bernardus) *dicit vagos & petulantes corporis sensus*; hos nempe pascere curant plurimi in populo Pastores, Rectores & Principes, non invenientes pascua gregi, sed sibi, & sensualibus suis appetitibus, dum firmiter sibi persuadent, ad hunc statum à Deo se ideò sublimatos, ut hœdos suos, & appetitus liberiùs pascere valeant, oves verò, & subditos in hunc sibi finem fuisse subjectos, ut ab eis lac emulgere, lanam tondere, pinguedinem extrahere possint, pro sustentandis, & pascendis hœdis suis, hos docti pascere, oves mulgere tantùm, & tondere, non autem pascere, custodire, & defendere, quærentes quod sibi, non quod multis utile est, cùm tamen à Deo non ad suam, sed subditorum utilitatem ad honoris culmen sublevati sint, ut illos pascant, verbo, exemplo, & corporali subsidio.

Cant. c. 1. v. 8.

S. Bernard serm. 33. in Cant.

Pascunt hœdos, id est, sensus corporis.

Hanc sui officij professionem probè agnoverat David, à Deo populi Israëlitici Rector constitutus: *Cognovit David, quoniam confirmâsset eum Dominus Regem super Israël, & quoniam exaltasset regnum ejus super populum suum Israel.* Cajetanus ex Hebræo legit, non super, sed *propter populum suum*, agnovit quippe David, se à Deo Regem constitutum, non propter sui utilitatem, non propter sui honorem & gloriam, ut aliis imperiosè dominetur, divitias cumulet, pomposo apparatu ærarium exhauriat, & magnum sibi nomen & gloriam cum subditorum ruina paret, sed propter populum suum, propter populi utilitatem, ut quærat, non quod sibi, sed quod multis utile est, juxta universalem S. Bernardi regulam: *Præsis ut prosis*: Hanc statûs sui professionem quivis Rectorum pro sua conditione consideret oportet.

V.

1. Reg. 5. v. 12. *David agnovit se exaltatum propter populum.*

S. Bernard epist. 249 *Præsis, ut prosis.*

Interpellat Antistes Valentinas

nas ardentibus verbis quosvis rectorum, procerum, ac præpositorum status. *Quis es tu? Sum Imperator, Rex, Princeps, &c. magnus status, sed majus pondus! magna dignitas, sed laboriosa & periculosa! Noli altùm sapere, sed time. Ab altitudine diei timebo. Psal. 55. Oportet te tantùm cæteros homines præcedere virtute, quantùm præcedis dignitate.* Gerunt Magnates titulos Illustrium, Perillustrium, Illustrissimorum, Serenissimorum, & ad quid hæ titulorum fulgurantes, & coruscantes scintillæ? Ut subditis exemplo, virtutum splendore prælucere, ac præire intelligantur. Sunt stellæ tam fixæ quàm erratiles, perlucidæ, ac splendidæ; at non sibi solis, sed toti terrarum orbi, in quem suum lumen cum influentiis transfundunt, sine propriâ sua utilitate, aut comodo in terram liberales, ac propitiæ. Personæ illustres & nobiles, tanquam stellæ in firmamentum Ecclesiæ sunt collocatæ, non ut bona terrena à subditis extrahant, sed ut his subsidium corporale, & spirituale subministrēt, ac beneficiis influant, de cætero boni exempli, & morū integritate, illustrissimè & serenissime prælucentes, & siqui dem in hoc deficiant, gravius utiq; à Deo, quàm alij, obscuro loco nati, puniendi.

Thom. de Villan Dom. 3. adv.

Officium regum est aliis præ lucere.

Magnates hinc Illustrissimi dicūtur.

Stella non sibi sed terræ lucent.

VI. Memini ego in celeberrima Universitate Lovaniensi in Thesibus Juridico-Criminalibus etiam hanc publicæ disputationi assertionem fuisse propositam. *Nobilis, homicidij voluntarij reus, æquè vitâ ac plebejus plectendus est.* Oppugnata fuit hæc assertio sequenti argumento. Ex hoc sequeretur, quòd Nobilis homicida (contra Justitiam distributivam) duriùs puniendus esset, & graviùs quàm plebejus. Quòd sic probatum. *Qui ex altiori gradu ad infimum deturbatur, graviùs & duriùs punitur, sed nobilis (æquè ac plebejus) capite plectendus ob idem delictum, ex altiori gradu deturbatur, & deiicitur, quàm plebeius, ergo duriùs & graviùs punitur.* Cui argumento defendens primò respondit, negando minorem, cùm vita & privatio vitæ in plebejo, quàm nobili sit æqualis, licet quoad exequendi modum aliquis fortè respectus & differentia adhibenda sit.

Magna perversus

Maiorì pœna dignus.

Secundò, concedendo totum, quòd Nobilis duriùs & graviùs puniatur in memoratâ suppositione, negando tamen hinc præjudicium fieri Justitiæ distributivæ, licet nobilis ex altiori gradu dejectus, duriùs puniatur, cùm enim in altiori dignitatis gradu, & statu à Deo collocatus sit, ut alijs illustriori exemplo præluceat, meritum fuisse pœnam, si indignum statu & dignitate

nitate sua facinus, ad aliorum scandalum perpetraverit. Nec displicuit, sed multùm Auditoribus arrisit hæc, & non tam Juridica, quàm moralis resolutio, cùm etiam Dei oraculo sancitum sit, ut *potentes potenter tormenta patiantur.*

Sap. c. 6. v. 7.

Acerbè enim in potentes animadvertit *Deus, cuius iræ nemo resistere potest, sub quo curvantur, qui portant orbem* nempe *Principes & Prælati*, juxta expositionem glossæ moralis. Portant isti, & gemunt sub tam gravi onere & sicut equi portandis per montium juga oneribus destinati, pro exiguo pabulo, maximis subiiciuntur laboribus, post quos demum nil nisi læsum, ex tumore inflatum, aut excoriatum dorsum, ac fœtidum stabulum, exonerati sperare possunt. Sic Rectores mundi, qui portant orbem, præter exiguum, modicum, & quasi momentaneum dignitatis, & voluptatis pabulum nil nisi conscientiam tumidam, & vulneratam expectare valent, in fœtidum fortè adhuc infernale stabulum æternùm relegandi.

Job. l. 9. v. 13.

Glossa Moral.

VII.

Altùm super hoc suspirabat moriturus Philippus II. potentissimus, nec minùs piissimus Hispaniarum Rex, in hæc verba prorumpens: *Nihil prodest Regem esse, nisi ut in morte cruciet fuisse. Quoniam Judicium durissimum, his qui præsunt, fiet.* Hisce non obstantibus, tanta de principatibus, de regnis, sceptris & coronis in mundo concertatio est, ut parum de animæ periculo curent, modò imperent. Superiùs memoratum, quòd zelo populi sui accensus Moyses, dum noxam ei à Deo dimittendam peteret, exclamârit: Dimitte eis hanc noxam, aut dele me de libro tuo, quem scripsisti; Quod Cajetanus non de libro vitæ, seu viventium, intelligit; sed de libro, id est, *Decreto principatûs*, eò quòd mallet Moyses ex libro & numero Principum deleri quàm subditarum ovium interitum videre, & gravem illarum rationem sustinere. Sed è contrà multi ita inhiant dignitatibus, ut parum curent de libro Vitæ deleri, modò in libro Principatûs & Regiminis incorporari, & conscribi valeant. Quibus bene illud Phœbi effatum applicari potest, quod imperito filio Phaëthonti, paterni currûs moderamen affectanti objecit: *Pœnam pro munere poscis.*

Philippi Regis Hisp. dictum.

S. p. c. 6. v. 6.

Multi malùm deleri de libro vitæ.

Quàm de numero principũ.

A Coronis ad mitras, à sceptro ad pedum progreditur S. Thomas à Villanova; *Tu quis es? Sum Prælatus. Et quid est esse Prælatum? Esse Pastorem, non Dominum, non Principem. Non Dominantes in Clero, sed forma facti gregis: exemplum sanctitatis in populo. Et*

VIII.

S. Thom. de Villan. cit.

1 Petr. 5. v. 3.

cuius

cnium gregis? Utique illius, pro quo Filius Dei vitam posuit, quem non auro, & argento, sed sanguine suo pretiosissimo emit. Et quantus grex? Sexaginta millia, Centum millia ovium, difficilis cura. Unus Angelus unum sibi ex illis omnibus sufficere putat, & tu tanta? Et quæ conventio cum Domino gregis? Custodi (inquit) virum istum, & si lapsus fuerit, erit anima tua, pro anima illius, sanguinem ejus de manu tua requiram. O terribilis obligatio, & est, qui velit ad hoc obligare seipsum. O cæcitas filiorum Adam! Hæc Villanova. Beatus Ecclesiæ Antistes, Pius V. durum hoc judicium, & terribilem obligationem perpendens, dum Pontifex eligeretur, expallescens, & contremiscens dixit: Cùm in Monasterio viverem, mihi, & Deo, optimè sperabam de mea salute; Creatus Episcopus & Cardinalis, timere cæpi, nunc ferè de ea despero. Quis enim totius Ecclesiæ molem, quis tot animarum onus sustineat, sine evidenti salutis periculo? In easdem angustias supremæ Prælaturæ pondus conjecit Adrianos quartum & sextum, Marcellum secundum, ut alios S. Episcopos prætereã, Augustinum, Ambrosium, Gregorium, Basilium, Athanasium, &c. Qui propter terribilem obligationem, & evidens periculum, dignitates horruerunt.

Prælatorum officium.

Et terribilis obligatio.

Pius V. contremit electus Pontifex.

Certè de Canonico illo S. Victoris, memorat Thomas Cantipratensis, quòd post mortem amico apparens dixerit: *Si de numero Episcoporum fuissem, in damnationis periculum incidissem, & de numero electorum non essem.* Quod & præfatus Antistes Valentinas ponderosis hisce verbis prosequitur: *Quàm multi boni viri, & Christiani in humili statu salvarentur, qui in alto dignitatis gradu positi perierunt, aut propter inhabilitatem, aut negligentiam. Unde Augustinus, in quo loco (inquit) sciebam non esse Episcopum, ne illò accederem, cavebam, ut in humili salvarer, ne in altò periclitarer. Felices,* (concludit S. Thomas de Villanova) *qui solùm de seipsis in die judicii, reddituri sunt rationem; Nam altitudo dignitatis officii, quasi præcipitium timenda est.* Nunquid currere queunt in petris equi? Amos. c. 6. v. 13. Currunt utique sine cura in istis petris & præcipitiis, currunt & ludunt excœcati filij Adæ, cum gaudio pascentes semetipsos.

Thom. Cantipr. l. 1. Exempl. c. 20.

Multi damnantur in dignitatibus.

Qui fuissent salvati in humili statu.

IX.

A Prælatis rursus ad temporales dynastas se convertit sæpe memoratus Antistes: *Tu quis es? Ego Dominus temporalis, Comes, Dux, & quid est esse Dominum temporalem? Nunquid habere multam familiam, equos phaleratos, domos & palatia, opulentam mensam, magnificas, & pretiosissimas vestes, argenteis, aureis vasis fulgentem abacum, & pulcherrima aulea, peristromata, insuper & canũ & accipitrum*

Dominio temporales.

Debent esse patres subditorum.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

omnegenus? Non utique ad hoc sunt in populo, sed ut sint patres, & patroni subditorum, quibus præsunt, ut eos in pace, & justitia regant, & defendant eos à molestantibus, & subueniant eis in necessitatibus suis. Scilicet ut pascant subditos, non semetipsos. Formam Dominorum audi inbeato Job scriptam; qui utique fuit magnus Dominus temporalis: Oculus fui cæco, pes claudo, pauperum pater eram: Si negavi, quod volebant, & oculos viduæ expectare feci? conterebam molas iniqui, & de dentibus illius auferebam prædam; Si commedi buccellam meam solus, & non comedit pupillus ex ea? quia ab infantia crevit meecum miseratio, & de utero matris meæ egressa est mecum. Videant (arguit hinc Vilanova) magnates nostri temporis, si tales sunt, videant qui mensas opulentas ex laboribus, & sudoribus, pauperum replent, & mille calumniis & exactionibus subditos premunt. Audiant, quid Dominus per Prophetam comminetur huiusmodi. Audite hoc vaccæ pingues, qui calumniam facitis egenis, & confringitis pauperes: Juravit Dominus Deus in sancto suo, quia ecce dies venient super vos, & levabunt vos in contis, & reliquias vestras in ollis ferventibus, & per aperturas exibitis altera contra alteram, & proiciemini in Armon, dicit dominus. In summa: Væ pastoribus Israël, qui pascebant semetipsos.

Job 29. v. 15.

Non raptores, non helluones.

Amos. c. 4. v. 1.

Idem de judicibus, Prætoribus, Præfectis, Magistratibus, Senatoribus experientia docet, qui crimina non ad emendationem populi, sed tantùm bursæ suæ impinguationem puniunt, & in mulctas pecuniarias inhiant, è quibus justitia vel coëmenda, & pecuniis redimenda, vel muneribus provocanda est, qui cum justitia (quam pecuniis & muneribus venalem habent) publicam quasi mercantiam pro lucro exercent, non quod multis, sed quod sibi utile est, quærentes, & pascentes semetipsos, dum interim nec suum cuique pauperculo tribuitur, nec publico communitatis & reipublicæ bono medetur.

Judices quomodo pascant seipsos?

Væ igitur pastoribus istis, qui pascebant semetipsos. Nonne greges à pastoribus pascuntur? Lac comedebatis, & lanis operiebamini, & quod crassum erat, occidebatis, gregem autem meum non pascebatis. Quod fuit infirmum, non consolidastis, & quod ægrotum non sanástis, quod confractum est, non alligâstis, & quod abiectum est, non reduxistis, & quod perierat, non quæsistis, cum austeritate imperabatis eis, & cum potentia. Væ, væ pastoribus istis! Sed audite Pastores, quod vobis serviat in admirationem non minùs, quàm imitationem.

X.

Ezech. c. 34. v. 2.

Anno post mundi creationem 5199. post totum orbem diluvio inundatum 2957. post magni Patriarchæ Abrahæ nativitatem, 2015. post populi Israë-

Israëlitici ex captivitate Ægyptiaca egressum, 1510. A Roma condita 752. Anno imperij Cæsaris Augusti, quadragesimo secundo, editus est in lucem puerulus Patre prædivite, & præpotente, sed Matre pauperculâ, at virtuosa, & imprimis castâ natus, qui ridere nunquam, sæpiùs autem effusis lacrymis flere, imò continuò altùm suspirare, & gemere visus est.

Vix solidos firmare gressus edoctus, quasi fugitivus & exul hinc inde vagari, circuire mare, & aridã, & discurrere per civitates & castella cœpit, & causã sui fletûs, gemitûs, ac solliciti & anxii discursûs, quæsitus, aliam assignare non potuit, nisi quòd à Patre, Pastorum principe, missus sit ad quærendã (relictis 99. in deserto) ovem centesimam deperditam, in hac inquirenda triginta tribus omnino annis summa anxietate insumptis, & magnis à juventute perpessus laboribus, optimè tamen collocatam operam suã æstimavit, dum ovem deperditam infernalis lupi faucibus hærentem invenit, cui violentâ manu eripiendæ, magnos non solùm labores, ac sudores, sed superabundantem etiam sanguinis copiam impendit, à luporum immanium sævis unguibus, ac dentibus laceratus, caro proprij sanguinis pretio redemptam tandem ovem, sauciatis humeris impositam in ovile reportavit, lætus & exultans de offerendâ Patri, Pastorum Principi, tam diu conquisitâ prædâ, licet non inclinatis tantùm humeris, sed & capite, demum laboribus, ac oneri succumbens, quem in Patris commendaverat manus, spiritum, in assistentis afflictæ Matris sinum exhalaret. Relicto totiorbi, & singulis præcipuè Pastoribus, sollicitæ curæ, ac fidelitatis in oves exemplo.

Intelligitis, non dubito, charissimi, solliciti pastoris parabolum, comprænhenditis admirandam in eo curam, ô Curati, & Pastores, sive pedo, sive sceptro insignes, sive infulis, sive coronis adornati, sive gladio, sive cruce muniti, sive paludamento, sive podere vestiti, &c. Aspicite, igitur in pastorem bonum, qui ovem deperditam inquirendo, & redimendo, propriis non solùm laboribus non pepercit, sed nec proprio sanguini, & vitæ. Quare & vos eâdem cogitatione armamini, ut omnem in oves vestras impendatis curam; discite à Principe Pastorum Christo JESU veri Pastoris officium; *Ego* (inquit iste) *sum Pastor bonus.* Bonus utique pastor, qui ut oves pasceret, ipse esurijt, ut exemplo & verbis præiret ovi-

Ioann. c 10. v. 11.

ovibus, de cœlo descēdit, nō pascens semetipsum delicatâ mensâ, aut divitiis, sed in summa paupertate, vix tantum lactis & lanæ sumens, quo se vestiret, & sustentaret; bonus pastor, qui non fugit, ut mercenarius, sed vitam & sanguinem pro ovibus liberaliter fudit, qui propriam etiam carnem & sanguinem ovibus in cibum & potum reliquit. O bonum pastorem! *Quis pastor oves proprio pascit cruore?* exclamat Chrysostomus: Hoc Magistro officium veri pastoris addiscite mundi & Ecclesiæ rectores, sic oves vestras custodite, super illas vigilate, præite, pascite, & tanquam boni pastores invenietis pascua cum ovibus vestris in cœlesti patria, Amen.

Discant Rectores à Christo regere oves suas

S. Chrysost. hom 60. ad populum

DISCVRSUS XII.

Vau,

Facti sunt principes ejus, velut Arietes non invenientes pascua. *Thren. 1. v. 6.*

DE ANIMA.

Terrenis pasta illecebris, non potest invenire pascua consolationis cœlestis.

1. PUlcherrimè à Deo exornata est anima humana, non tantùm ad imaginem & similitudinem ejus formata, & tam naturalibus, quàm supernaturalibus donis dotata, sed etiam gratiâ sanctificante, tanquam gloriâ inchoatâ, vestita, & circumornata, ut similitudo templi. Deplorat autem Propheta hoc versu, quòd *egressus est à filia Sion*, (ipsâ scilicet animâ) omnis decor ejus; dum nempe in peccatum prolapsa anima, divinâ gratiâ privata, in scelerum sentina volutatur, non tantùm decore ac pulchritudine, sed solitis quo-

Ratio est quasi Princeps.

quoque consolationum pascuis viduata: *Facti sunt principes eius, velut arietes, non invenientes pascua.* Sed quinam hi principes, & dominantes reguli in ipso homine, vel animâ? *Animi motus rationales,* respondet glossa: qui tanquam Principes & reguli sensualibus motibus dominari deberent; & hi quidem servi pascua sua, & consolationes in terrenis tantùm, sensualibus, corporalibus, & fluxis gaudiis, & deliciis habent. Principes verò, id est, rationales motus & potentiæ, in cœlestibus, divinis, ac solidis consolationibus pascuntur. Plures subinde reperiuntur etiam inter Christicolas, qui ita consolationum cœlestium, & spiritualium pascua frequentare velint, ut tamẽ pascua terrestrium consolationum non amittant, & Principes & servos (rationales scilicet, & sensuales motus & potentias) consolationibus cùm spiritualibus, tum corporalibus pascere solliciti. Sed in hoc casu erunt principes eorum, velut arietes non invenientes pascua, non enim possibile est, animam cœlestibus simul & terrestribus consolationibus pasci.

Gloss. Ord. Interlin.

Sensualitas est quasi famula.

II. Genes. 13. v. 9.

Altercatio quondã exorta erat inter pastores Abrahã & Loth ob nimiam gregum copiam; ne itaque jurgium ex pastoribus derivaretur in ipsos Dominos, Abraham prudentiâ & pacis studio præcellens, separationem prætendit: optionem quidem pascuorum nepoti relicturus: *Ecce universa terra coram te est; recede à me obsecro: si ad sinistram ieris, ego dextram tenebo, si tu dexteram elegeris, ego ad sinistram pergam.* Elevatis Loth oculis, ut aspexit jucundissimam Sodomorum planitiem, illuc se cum gregibus suis contulit, *& habitavit in Sodomis: Abraham verò habitavit in terra Chanaan.* Egregiè in hunc passum observat Hugo Carensis, quòd congruè *per Abraham ratio, per Loth sensualitas, sive caro accipitur; Greges affectiones, & desideria eorum; Pastores, cogitationes, vel prudentia spiritûs, & prudentia carnis, inter quas est rixa continua.* Quare simul habitare nequeunt: Sed, *si tu sinistram, ego dexteram tenebo, & si tu dexteram elegeris, ego ad sinistram pergam. Hoc dicit spiritus, sive ratio* (ait Hugo) *quia quod dextrum est carni, sinistrum est spiritui, & è converso.* Separantur ergo Abraham, & Loth, spiritus & caro, ratio & sensualitas, Loth eligit declivia circa Jordanem, & ab oriente recedit, sed damno suo, nam uti bene notat Gregorius. *Loth amæna eligit, utilia refugit, de loci pulchritudine capitur, ab hostibus captivatur.*

Abrahã separatur à Loth.

Hugo Card hic.

Abrahã est ratio.

Loth sensualitas.

Pastores & greges.

Apud Hugo.

Sensualitas pascitur in Sodomis,

Nequibant simul stare Abraham, & Loth, pastores Abraham,

ham, & pastores Loth, nec simul pasci poterant greges Abraham, & greges Loth, quia sicut spiritus & caro, ratio & sensualitas, prudentia carnis, & spiritus pacificè invicem vivere sic eorum greges, affectiones & motus, rationales scilicet & sensuales uno campo, & prato pasci nequeunt. Recedat ergo Abraham, recedant motus rationales, spiritus, & ratio, non invenientes pascua in Sodomis, in amænis, declivis, & paludosis carnis & mundi hujus deliciis ad occidentem, recedat à Loth, à sensualitate, priùs enim, quàm hinc separatus fuerit Abraham, nec sibi, & pastoribus pacem, nec gregibus suis pascua inveniet. Abrahamus à Loth segregatus collocutorem Deum habere meruit: Dixitque Dominus ad Abraham, postquam divisus est Loth ab eo: Leva oculos tuos... omnem terram, quam conspicis tibi dabo, &c. Læva oculos, id est, *cœlestia contemplare* (explicat Hugo,) *quod non potest quis facere, nisi fuerit priùs divisus à Loth, id est, à carnalibus desideris.*

Prudentia carnis & spiritus non possunt simul stare

Hugo Card *Debent separari.*

Cùm Abrahamo ergo à Loth, id est, à sensualitate divisus spiritus, in cœlestium contemplationem elevatus, jam vera, jam optima invenit pascua, & cum Psalmista exultabundus exclamat; *Dominus regit me, & nihil mihi deerit, in loco pascuæ ibi me collocavit: Super aquam refectionis educavit me.* Qui hoc pastore regitur, pascuorum nunquam defectum patietur. Nam ipso teste: Si quis ad me introjerit, ingredietur, & egredietur, & pascua inveniet, *scilicet, divinam consolationem*, juxta Hugonis expositionem. Anima verò in Sodomis, & sensuum delectationibus habitans, tanquam *in terra deserta, & invia, & inaquosa*, consolationum verarum & cœlestium nullatenus pascua inveniet, & errabunda, ac desolata vagabitur, sicut aries non inveniens pascua.

Psal 22. v. 1. — Joan. c. 10. v. 9. — Hugo in hic. — Thren c. 1. v. 6. — Psal. 62. v. 2.

Quare David has consolationes terrenas meritò recusavit; *Renuit consolari anima mea: memor fui Dei, & delectatus sum.* Optimè notandum, antequam se Propheta Regius delectatum, sive consolatum assereret, quòd priùs abnegationem consolationis terrestris, tanquam principium privativum supposuerit: *Renuit consolari anima mea. Primum enim est* (scribit in hunc passum devotus noster P. Franciscus Titelmannus) *ut quis consolationem externam omnem propter Deum respuat; zelotes enim est Deus, nec aliorum secum patitur amores; alienis consolationibus occupatos, suæ consolationis, ac visitationis non dignatur beneficio.* Divortium ergo priùs ab externis con-

III. — Psal. 76. v. 3. — Titelmannus hic. — *Deus non patitur juxta se consolationem Creaturarum.*

consolationibus faciat necesse est, qui divinis sponsi visitationibus desiderat recreari: digerat, vel potiùs evomat, oportet, consolationes terrenas, & carnales & famem evacuatus à carnalibus deliciis stomachus irritet, ut cum filio prodigo panem paternæ domus esuriens, recogitet cœlestes devotarum animarum refocillationes, quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus, & ego hic fame pereo? Animam peccatricem & prodigam, quæ jam rejecto porcorum cibo jejunum, & vacuum gerit stomachum, fame perire non patietur cœlestis Pater, sed vitulum saginatum occisurus, juge bonæ conscientiæ convivium, & symphoniam internæ consolationis instituet, siquidem consolari ampliùs inter Epicureos porcorum greges renuat, nam siliquis porcorum, & pane cœlestis patriæ simul frui non licet, sed stomachus, ac gustus bene priùs ab illis expurgandus: Sicut enim mens à terrenis jejuna, cœlestia esurit, sic illis saginata, hæc nauseat.

Luc. 15. v. 17.

Anima vacua esurit Deũ

¶V. Si quando aliquem fructus minùs maturos & sapidos comesse cõtigerit, dentes inde stupescunt, & gustus taliter alteratur, ut subsequentes etiam delicatissimi cibi parũ sapiant. Sic & febricitantis gustum effusus humor bilioſus ita reddit insipidum, ut esculenta oppiparè præparata, ac melle, saccaróq; affluenter condita, amarum tamen reddant saporem. Sic & anima febrilibus malignarum passionum, & desiderijs terrenarum consolationum paroxismis concussa, vel immaturis, & noxijs carnalium illecebrarum, aut gulæ illecebris gustatis seducta, jam spiritualium consolationum saporem amisit, jam dentes obstupuerunt, jam febrilibus desideriorum ardoribus gustus infectus est, ut prædominante bilioso passionum humore, nec mel, nec saccarum divinæ consolationis gustari valeat. Hinc est, quòd tales miseri homines, vel consolationes divinas nauseantes, vel earum dulcedinem ignorantes, ad exteras, mundanas, & carnales se convertant. *Quid enim restat* (ajebat Pater meus Seraphicus) *quando anima caret spiritualibus delicijs, quàm ut caro convertatur ad suas.*

Gustus in homine destruitur per carnalia.

Conformitates l. 2 fruct. 4. p. 2.

A serpente Eva, ab hac seductus Adam de fructu vetito, immaturo ducti appetitu, comederunt; Patres comederunt uvam acerbam & dentes filiorum obstupuerunt. Ab hoc amaro fructu dentes omnium filiorum Adæ, originali peccato infectorum, ita obstuperunt, ut etiamnum gustus totaliter depravatus,

V.

Jerem. c. 31. v. 29.

Adam electus cognovit uxorem.

tus, cœlestia gustare non valeat, & hinc cælestium sapore neglecto, ad terrenas, & carnales consolationes se convertat, Protoplastorum nostrorum exemplo inductus.

Nam antequam de vetita arbore hi gustarent, originali adhuc innocentiâ prædíti, & solo Deo contenti, carnales delitias non quærebant. Ejectus verò è paradyso, *Adam cognovit Evam uxorem suam*, quod accuratè notat Cardinalis à S. Caro: *In paradiso continuerunt, egressi statim ad carnales delitias transierunt: Deficiente enim spirituali solatio, curritur ad temporale. Unde 1. Reg. 15. dum diceret Samuel Sauli: abiecit te Dominus; statim Saul dixit: honora me coram populo: Quasi diceret: Ex quo amisi solatium Domini, curram ad solatium mundi, utrumque enim simul haberi non potest.* Magnus hic, & usitatus valde est in fidelibus Christianis, & Dei servis defectus, ut deficiente consolatione spirituali, statim se convertant ad temporales, ad sensualitatis commoditates, ad conversationum sæcularium, & jocorum, lusuum recreationes, ut abjectionis pertæsi auram sæcularium & humanas laudes captare, applausum quærere intendant, & ad solatium mundi currant, utrumque enim simul haberi non potest, ut pascuis divinæ & cœlestis simul consolationis fruamur.

Gen c. 4. v. 1.

Hugo Card. hic

Deficiente solatio spirituali

Quæritur temporale.

Est & aliud miserorum genus, qui non quidem externis consolationibus aut carnalibus se totos devovent, sed tamen cum his spirituales quasi condire, vel copulare peroptant, cùm tamen huic matrimonio faciendo obstet impedimentum dirimens, nempe *cultûs disparitas.* Profundè de talibus in utramq; quasi partem claudicantibus memoratus Titelmannus sic loquitur: *Qui tametsi nonnunquam tus, quæ Dei sunt recogitandis intendunt animum, noluut tamen abiicere amores alienos; consolationes extraneas, à mundo, à carne oblatas nimium libenter amplexantur; propter quod non merentur suavitatem divinæ delectationis gustu mentis percipere, quoniam etsi Deo videantur præbere mentem, servant tamen alienis consolationibus affectum, ut in eum sese gustus supernæ dulcedinis non possit instillare.*

VI.

Solatia terrena & cœlestia.

Titel. cit.

Non possunt simul copulari.

Planè moderna Christianorum turma maximè in hoc desudare videtur, ut modum, & medium terminum inveniat, ut adhærere Deo possit, tamen à creaturarum delectatione non separanda, & taliter harum consolatione fruatur, ut tamen divinam non deperdat. Sed frustra & vano labore consumitur, nam teste illuminato Thaulero: *Delectatio Dei, & delectatio*

Impossibile est.

Io. Thaul serm. Nativ. B. v.

lectatio creaturarum in eodem persistere non possunt, emittant vel sanguineas lacrymas, at istud obtinere non poterunt. Esto, quòd ista delectatio non sit impura & carnalis, modò minimum quid affectûs, & consolationis habeat, quod purè Deus non sit, qualis v.g. esse poterit accepta propinquorum amicitia, & conversatio, &c. jam obstaculum divinæ ponet consolationi.

VII. Quid obsecro purius, quid sanctius sub cœlo unquam vel fuit aut esse potuit, ipsâ sacrâ unigeniti Filij Dei humanitate? Nihilominus cum ea, quæ in eo apparuit benignitas, & humanitas discipulis acceptabilem redderet ipsius conversationẽ, ac præsentiam, non tam animæ, quàm etiam sensibus externis consolatoriam, ideò declarat se ipsa Veritas æterna: *Ego veritatem dico vobis: expedit, ut ego vadam.* Et quomodo expediet ineruditis discipulis subtrahi Magistrum? Filijs teneris patrem? in cujus præsentiã pusillus grex securè confidebat? Imò verò affirmat summa Veritas: *Expedit vobis, ut ego vadam.* Et quare hoc? *Si enim non abiero, paraclitus non veniet ad vos,* nempe Spiritus sanctus, qui consolator dicitur.

Christo præsente.

Ioh. c. 16. v. 7.

Cõsolator non venit

O Bone JESU! quibuscum loqueris? Nunquid cum Apostolis tuis, viris utique sanctitate & miraculis, famosis? Et cujus hi amabant præsentiam? Nunquid sacratissimæ humanitatis tuæ, divinæ personæ inseparabiliter conjunctæ? quæ erat speculum sine macula, & fons omnis munditiæ, ex cujus oculis coruscabant radij omnis sanctitatis & puritatis? qui tangendo peccatores immundos, puros fecit, & castos? Quomodo ergo ex conversatione tam puræ humanitatis & benignitatis retardari potuit Paraclitus, & influxus divinæ consolationis? Planè si ex affectu, & & amore præsentiæ illius, consolatori, & consolationi divinæ mora parabatur, quod non impedimenti afferet conversatio & præsentia hominis vani, mundani, jocosi, ne dum dicam comptarum mulierum, & attractivâ affabilitate præcellentium, licet nullum inordinati motûs & affectûs sit periculum, sed piis discursibus, & devotis colloquiis plena sit conversatio. His non attentis, ego veritatem dico vobis, expedit, ut amica fratrum omnium & sororum abscindatur conversatio, & præsentia; hac enim durante, paraclitus non veniet ad vos. *Si enim Apostoli* (infert solidissimè Bernardus) *adhuc carni dominicæ inhærentes, quæ sola sancta* (*quia sanctis Sanctorum*) *erat, Spiritu sancto re-*

S. Bern. serm. 3. de Ascens.

Solatijs fundit⁹ renuntiãdum.

pleri nequierunt, donec tolleretur abeis, tu carni tuæ, quæ sordidissima est, astrictus, conglutinatus, illuus meracissimum spiritum, te putas posse suscipere, nisi carneis istis consolationibus funditus renuntiare tentaveris? Et creaturarum omnium affectum funditus ejeceris?

VIII. Notabile valde est, quòd Mellifluus ad consolatiões, & consolatorẽ cœlestẽ recipiendũ, non tantùm terrenis consolationib'renuntiandũ, sed *funditus* renuntiandũ docet; Sunt enim subinde, qui renuntiâsse videntur omnibus creaturis, sed non funditus, de quibus idem sanctus Paulus superiùs scribit. *Amant enim in carne sua terrenas consolatiunculas, sive in verbo, sive insigno, sive in facto, sive in aliquo alio: & si hæc interrumpunt aliquando, non penitus rumpunt ... Et eorum compunctio non cõtinua, sed horaria est. Impleri autem visitationibus Domini anima non potest, quæ his distractionibus subjacet, & quantò magis illis evacuabitur, tantò amplius illis implebitur, si multùm, multùm: si parum, parum: ... Nunquam istæ illis misceri poterunt in æternum, quia ubi vasa vacua non invenit, oleum stare necesse est: nec mittunt vinum novum, nisi in utres novos, ut ambo conserventur; neque enim spiritus & caro, ignis & tepiditas in uno domicilio commorantur.*

S. Bernard ibid.

Vinum novum in utres novos.

Ignis & aqua non possunt iungi.

S. Bern ad Fulc. 1. Epist. Idem ipse ad Fulconem confirmat. *Quomodo ignis & aqua simul esse non possunt, sic spirituales, & carnales delitiæ, in eodem se non patiuntur.* Ut ergo illis locus paretur, hæ funditus evacuentur necesse.

Non enim convenit in utres veteres, & sordidos infundi vinum, mel, & balsamum illud cœleste, prout bene cum Mellifluo monet meus Seraphicus: *Erat omnino, si quis illam cælestem dulcedinem huic cineri, divinum illud Balsamum huic venenoso gaudio, charismata Spiritûs sancti hujus sæculi illecebris misceri posse arbitratur.*

S. Bona. Solil. c. 6 *Balsamũ non miscetur cineri*

IX. Neque etiam de impuris carnalibus solùm voluptatibus hoc intelligendum, sed quacunque ex creaturis hausta consolatione, sive in verbo, sive in facto, quæ per mortificationem, tanquam divinæ consolationis principiũ privativum, penitus est evacuanda, & funditus renuntianda, licet non sine pugna, & inferioris hominis contradictione, ac dolore contingat, quem tamen eò copiosior excipiet consolatio cœlestis, quò major fuit dolor in ejectione terrestris. Expertus testatur Psaltes Regius: *Domine secundùm multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificaverunt animam meam. Multi dolores, sed multæ consolationes* (ait hîc S. Augustinus) *Amara vulnera, sed suavia medicamenta.* Non ergo nos absterreat vulnus

Dolorem sequitur consolatio

Psal. 93. v. 19.

S. August hic.

nus mortificationis, tam pretioso consolationis Balsamo curandum, nec tædeat nos turbidas Ægypti aquas relinquere, ut super aquam refectionis educari possimus, cœlitus infundendas.

Differentia Cisternæ & putei.

Differentia, quam habet cisterna à fonte, vel puteo, est, quod isti aquas suas è terra scaturientes recipiant, quarum venæ ex terræ visceribus nascuntur, sed cisterna non nisi supernè è cœlo demissas excipit aquas: hinc bene cisternę vacuæ, hæc quidam adscripsit verba: *Exspecto supernas.* Cor hominis, sive Anima nec fontis, nec putei naturam induat, consolationis aquas è terrenis deliciarum venis emendicatura, sed quicquid è terra scaturiginem trahit, respuat, supernas expectans consolationis aquas; Declinemus cum Abraham declivia, & amœna Sodomorum gaudia ad Jordanem in occidente sita, separemus greges, affectiones nostras, à postoribus Loth, à sensualitate, & prudentia carnis, renuat terrenis consolari anima, & quærere solatia mundi, & aquas Ægypti turbidas, & luteas, sed expectemus supernas, puras & durabiles, quas Deus totius consolationis nobis non denegabit; *Consolabitur Dominus Sion, & consolabitur omnes ruinas ejus.* Isa. c. 51. Et quamvis exsiccata subinde appareat Cisterna cordis nostri, non tamen alias, nisi supernas anhelemus aquas, quippe *Bonum est præstolari cum silentio salutare Dei.* Thren. c. 3. v. 26. apud Hug hic. Nam, *brevis mora, felix hora*; ait S. Bernardus: Brevis mora siccitatis, sed felix hora supernarum pluviarum; super aquam refectionis aducavit me. Tunc gustare & videre licebit, quoniam suavis est dominus; gustate *priùs, & postea* videte, ait Hugo. Hic licebit gustare, in patria autem videre; gustemus ergo quoniam suavis est Dominus per gratiam, ut eum videamus, & pascua apud eum inveniamus in gloria, Amen.

Expectat illa supernas.

Siccitas brevis tolerandæ. Psal. 33. v. 9.

Homo fit Cisterna.

* * * *
* *

DISCVRSVS XIII.

Zain.

Viderunt eam hostes, & derisérunt Sabbata ejus. *Thren. 1. v. 7.*

DE ECCLESIA.

Sabbata, festa, & solemnitates in Ecclesia Dei fiunt hostibus contemptibiles, eò quòd fideles, ut plurimùm, non vacent Deo, sed otio, lusibus, & petulantiis.

1. CUm totus pene Judæorum populus, & ipsa quodamodo eorum Ecclesia in captivitatem Babylonicam devenisset, miras & inusitatas illius cerimonias intuiti populi gentiles, derisérunt Sabbata ejus, id est, festa, cultum, & religionem, quam & vanus quidam Philosophus Religionem puerorum nuncupavit; viderunt eam itaque hostes, & derisérunt Sabbata ejus, *sicut hodie Judæos deridemus*, glossatur Interlinearis. Non quòd illæ à Deo præscriptæ cerimoniæ legales, vanæ & ridiculæ sint, sed quòd illi umbræ, & figuræ (quæ adventante novæ legis lumine evanuit) tam scrupulosè inhæreant, & tenacius, quàm olim ipsa lex ab illis exigebat, *vacant enim ad nugas*, testatur de Judæis Augustinus. *Illi à bono opere vacant, ab opere nugatorio non vacant.* unde meritò Hebræus ille ridebatur in Sabbato in foveam cadens, cùm ea die ob venerationem Sabbati inde se extrahi non sustineret, hoc versu oblatam opem recusans.

Judæorũ Sabbata ridentur.

Glossa Interl.

S. Aug. in Psal. 91. titulũ.

Sabbata

Quia pueriliter servant.

Sabbata sancta colo, de stercore surgere nolo.

Itaque à Christiano, ob scrupulosam nimis Sabbati ipsius observantiam irrisus, ut simili observantiâ etiam Christianorum Sabbatum celebrare cogeretur, sequenti die Dominicâ in stercore feriari jussus est, hoc versu ipsi accinente Christiano:

Sabbata nostra quidem, Salomon celebrabis ibidem.

Uti autem nos Hebræorum pueriles in Sabbato, aliisve solemnitatibus usitatas ridemus crepundias, ita hodiéque graves Ecclesiæ in celebratione festivitatum usitatas cerimonias rident hæretici, &c. Sed irrationabilis ille, & puerilis risus, ac nasuta impudentia, sicuti nulla nititur solido fundamento, & ratione, ita nec refutatione digna est, magis despicienda, quàm refellenda. Quod autem magis deplorat Ecclesia, est, quòd subinde non sine ratione viderunt eam hostes, tam spiritus maligni, quàm hæretici, & derisérunt Sabbata, ac festivos illius dies, qui operibus piis ac religiosis celebrandi, utplurimum otiosis & vanis (& utinam non peccaminosis) pactibus à Christianis teruntur.

Nostra Sabbata ridetur ob opera mala.

Duram homo homini servitutem imponit. *Impius ministeriorum exactor est homo, notat Oleaster; vellet enim, si possibile esset, servum habere æreum, aut ferreum, ut continuò ejus uteretur ministerio.* Pari ratione homo nec equis aut jumentis suis ullam daret respirandi moram, nisi ipse Deus Sabbatum hominibus præscriptum, etiam jumentis favorabile, pro quiete sanxisset: *Unde disce, quanto sit melius pio Domino, quàm improbo homini servire, cùm Deus servis suis etiã insensibilibus det requiem; homo autem lasso homini eam neget, juxta illud threnorum ultimo: Lassis non dabatur requies.*

Il Oleast. in Levit. 25.

Homo durus in hominem.

Idem cit.

Thren. 5. v. 5.

Intentio legislatoris non tendit quidem præcisè ad requiem, & otium corpori parandum, sed magis ad ordinandum animæ, terrenis operibus intricatæ, tempus, quo ab iis libera etiam divino cultui, & memoriæ Dei sui, creatoris ac redemptoris vacare possit, in hunc enim finem maximè à Deo institutum Sabbatum in decalago, & aliæ ordinatæ festivitates, in lege veteri, & in lege nova eadem ratione, & fine præscriptæ solemnitates, & festa tam Domini, quàm Sanctorum; Unde maximè convenit, ut etiam parentes, & patresfamilias filiis, ac subditis suis festi celebrandi rationem, ac memoriam signati mysterij exponant: uti in lege veteri Deus præcepit: *Narrabisque filio tuo, in die illo, dicens: Hoc est, quod fecit Dominus mihi, &c. nam Dei memoria, & cultus præcipuũ*

Non tantùm, Sabbato, corpori quies ordinatur

Memoria festi recolenda.

Exod. 13. v. 8. Gregor. Nanzian.

festi caput est. Uti docet Gregorius Nanzianzenus.

Levit. c. 6. v. 12. Observat Angelicus, quòd seriò olim præceperit Deus: *Ignis in altari meo semper ardebit, quem nutriet Sacerdos*, quod maximè de altari humani cordis intelligendum, in quo ignis divini amoris semper ardeat, necesse est; cùm verò mundani quique, maximè servi & agricolæ, per totam hebdomadem terrenis suis negotiis occupati, vix tempus curandi, & fovendi hujus ignis habeant, saltem Sabbatum instituit Deus (cui alias solemnitates & festa adiecit Ecclesia) ut in iis nutrire ignem amoris divini, & ligna subiicere possent. *Ne omnino alienarentur à Deo* (ait Angelicus) *oportuit, quòd haberent aliquem diem determinatum, ne nimis tepesceret in eis amor Dei.* Concludit ergo, quod Sabbatum *datum fuit ad opera pietatis.* Hinc accedit etiam sententia Doctoris Seraphici, docentis: *Præcipit Dominus sanctificationem, id est, vacationem ad amandum.* Idem sentit S. Archiepiscopus Florentinus: *Est ordinatum ad vacandum Deo.* Verum, & debitum observandi Sabbati modum præscribit glossa in hæc verba. *Die Sabbati nihil de mundanis actibus oportet operari; Si ergo nihil mundanum geras, spiritualibus vaces, ad Ecclesiam venias, verbo Dei autem præbeas, cælestia cogites, de futura spe sollicitudinem geras, venturum judicium præ oculis habeas; non respicias ad præsentia, & visibilia, sed ad invisibilia, & futura. Hæc est observatio Sabbati Christiana.* Et demum concludit: *Qui ergo cessat ab operibus sæculi, & spiritualibus vacat, sacrificium Sabbati, & diem festum agit.*

Ne tepescat amor.

S. Thom. opusc. 5.

S. Bona. ser. 4. de 10. Præc.

S. Anton. p. 1 tit. 14. c. 4. §. 4.

Gloss. Ord. in Num. c. 28.

Festa, quomodo agenda?

III.

Sed (pro dolor!) parum de hoc Christiano Sabbato faciendo curant Primates, & Magnates nostri Christiani, parum vacare quærunt Deo, raras verbo Dei aures, cum aulicis suis, præbent proceres, mundo muliebri totum tempus promeridianum dedicatur in gynecæis; venationibus, & excursionibus attendunt nobiles, compotationibus plebei, Mercatores, & alij commerciis dediti, dandis & acceptandis rationibus frequentandis, hinc inde ad festivas solemnitates & æncænia indictis & magno abusu introductis nundinis, quibus ut plurimùm cultus divinus, & festi splendor obscuratur; Juventus in lusibus & choræis terit festorum dies, quibus attendere per alios dies ipsis non vacat, &c. tanquam in hunc finem Deus ipsis Sabbatum, & à laboribus quietem indulsisset, ut genio, & petulantiæ suæ vacare possent. Et hæc observatio est Sabbati Christiana? An non Sabbata nostra, sic à Christianis celebrata, meritò irri-

Quomodo celebrentur?

S. Thom. ibid. irrideant inimici nostri ? *Non enim ad ludendum ordinatur talis dies, sed ad laudandum, & orandum Dominum Deum* ; ait Angelicus.

Interdicta olim spectacula Tam solliciti etiam in hoc puncto fuerunt Zelosi Imperatores Christiani, ut non solùm opera servilia, & forenses lites, sed etiam ludos publicos & spectacula in festivis diebus penitus interdicerent, ut videre est in L. Omnes dies C. de feriis, ubi expressè sancitur : *In quibus etiam sanctissimis diebus, neque spectaculorum copiam reseramus. In eadem observatione numeramus, & dies solis, quos Dominicos ritè dixêre majores.* Eadem, in lege finali ibidem, repetuntur his verbis : *Nec hujus tamen Religiosi diei otia relaxantes, obscœnis quenquam patimur voluptatibus detineri, Nihil eodem die sibi vindicet scena theatralis, aut Circense certamen, &c. Et si in nostrum ortum, aut natalem celebranda solemnitas inciderit, differatur.* Gravi etiam proscriptionis, & exauctorationis propositâ pœnâ, &c.

L. omnes dies. C. de feriis.

L. Dies festos. ibidem.

Ludi Circenses.

At hodie scenis theatralibus, spectaculis digladiatoriis, funambulonum, & histrionum ludis festivi maximè consecrantur dies, & tamen nec quicquã de observato Sabbato dubitatur.

Lev. c. 23. v. 7.

§ V. At saltem (dices) si non Deo, saltem ab operibus servilibus vacatur, uti divina lex mandat; *Omne opus servile, non facietis in eo.* Nemo diebus festivis facilè viderit quemquam serere, occare, aratro terram proscindere, metere, frumentum terere, aut triturare. Nemo facilè viderit officinas artificum his diebus, tundendo, secando, strepidare, silent mallei, & serræ, & omne opus servile procul ablegatur.

Peccatũ est opus servile. Sed hæccine sola sunt opera illa servilia diebus festivis interdicta? hæcne sola à Deo in illis exerceri prohibita ? Imò verò non dantur tantùm opera physicè servilia, sed etiam maximè moraliter servilia, teste enim Antonino, *Opus maximè servile, est peccatum, quod facit servum diaboli.* Et ultra prosequitur, quòd *magis facit contra istum præceptum, peccans mortaliter in festo, quàm operans manualiter.* Cui sententiæ etiam inhærere videtur Thomas Aquinas, allegans auctoritatem S. Augustini, qui dicit : *Minus malum est tali die arare, quàm ludere.* Repetit idem S. Augustinus in titulum Psal 91. *Melius est arare, quàm saltare.* Licet hoc in sano etiam sensu intelligendum sit. Nam arare, cùm, de se, sit opus indifferens, diebus non festivis licitum est omnino, & laudabile, licet illicitum diebus festis ob extrinsecum Dei, vel Ecclesiæ præceptum, saltare autem & ludere

S. Antonin. cit.

S. Thom. cit.

An malum malũ ludere, quã arare?

(præ-

(præsertim in eo sensu uti in sacris literis utplurimùm accipitur, & ibi specialiter; Sedit populus manducare, & bibere, & surrexerunt ludere) cùm de se, & intrinseca sui ratione cum jactura inutili temporis sit reprehensibile, etiam diebus non festivis, quantò magis in ipsis diebus festis, in quibus non tantùm quies ab operibus servilibus physicis, sed maximè moralibus, id est, peccatis mandatur. Licet enim ejusmodi petulantiis privatis quies Sabbati non tam tumultuosè disturbetur, sicuti per arationem, aut malleorum repetitos ictus, interrumpitur tamen, & disturbatur sanctificatio Sabbati, ad opera pietatis, & amandum Deum, non ad lascivè ludendum, & petulanter lasciviendum instituti.

In diebus festivis?

Estque Florentini Antistitis rigorosa in hoc passu sententia, quòd *talis circumstantia (in die festo) trahit peccatum in aliam speciem; nam fornicans in festo, facit contra duo præcepta, scilicet non mœchaberis, & illud de sanctificatione Sabbati.* Quamvis autem moderni, more suo, mitiores in moralibus sint judices, & censores, certum tamen est, esse hanc circumstantiam peccatorum (in die festo) ita notabilem & aggravantem, quam meritò, teneræ conscientiæ Christiano in confessione, exprimere conveniat, & Confessarius ejusmodi festivæ sanctificationis violatores duriùs excipere, & peccati gravitatem remonstrare teneatur. Maximè cùm Deus etiam in sacris paginis maximè peccata à populo in Sabbatis, & solemnitatibus festivis commissa, severè redarguat, veluti apud Isaiam. *Kalendas vestras, & solemnitates vestras odivit anima mea, & factæ sunt mihi molestæ*, comminans etiam per Malachiam: *Dispergam super vultum vestrum, stercus solemnitatum vestrarum.*

V. S. Ant. ait.

Antrahat peccatum in aliam speciem.

Saltem circumstantia gravis.

Isa. c. 1.

Malach. c. 2. v. 3.

Deplorandum planè est, quòd fœtidum peccatorum stercus etiamnũ à Christianis nostris, maximè in diebus festivis colligatur, *aggregantes contra se densum lutum.* Revera si in tribunali tam pœnitentiali, quam forensi contra reos de tempore delicti inquiratur, ut plurimum densum hoc lutum diebus festis aggregatum, & collectum invenietur. Quære ex helluone, quando se ita vino ingurgitaverit? quando ita temulentus per plateas vacillanti gressu incedès hinc inde in platearum angulos arietaverit? Si non semper, utplurimùm tamen, die festivo id actũ fuisse respondebit, cùm à sedies Sabbati in popinis sanctificaretur. Interroga blasphemum, quo die tam deliberato, & exacerbato animo, scandalosas,

Abac. c. 1. v. 6.

Maxima peccata.

Infestis committuntur.

dalosas, & industriosè excogitatas in cœlum blasphemias effutierit? Plerumque id diebus festivis, inter chartas lusorias, & aleas, vel compotationes contigisse experieris. Quod pariter de rixis, & contentionibus experientia docet, nam verbera, & cicatrices ut plurimùm inter temulentos helluonum tumultus diebus festivis imprimuntur, hæc Sabbatismi sunt præclara stigmata. Et nunquid, hæc est observatio Sabbati Christiana? Si ulteriùs quæras ex lasciva juventute, quo die, lascivas suas petulantias, & turpitudines exercere consueverit, & stercoris fœtorem congregaverit? negare non poterit, maximè id in festivis diebus actum, dum quærendæ societatis otium illis suppeteret, cùm alijs diebus, non festivis, manuali labore præpediti cupiditates venari non ita curaverint. Quasi ita festivi dies ad vacandum luxuriæ, gulæ, lusui, ebrietati, &c. sicuti feriales laboribus manualibus, & operibus servilibus deputati sint? Pro pudor! Hæccine observatio Sabbati Christiana? An non meritò Sabbata nostra irrident Hebræi, & gentiles? Viderunt eam hostes & deriserunt Sabbata ejus, dum Christiani in iis fœtidissima peccatorum stercora, & onera colligunt, ita ut etiam Urbanus VIII. hanc ob rationem, festorum numerum minuendum, solemni bullâ decreverit.

In F. filij committuntur.

Minaciter ad deponenda hæc stercorum onera hortatur Deus per Jeremiam: *custodite animas vestras, & nolite portare pondera die Sabbati. Onus autem animæ, & pondus malum* (ut docet Angelicus) *est peccatum.* Hanc Angelici Doctoris expositionem etiam sequitur Hugo Cardinalis, *nolite* (inquiens) *portare pondera, id est, peccata: Et hoc maximè in die Sabbati, quando ab omni opere servili cessabunt homines, unde multò magis à peccato tunc cessare debetis. Sic homo maximè in festis debet abstinere à peccato, quod est pondus grave; Psal. 31. Sicut onus grave, gravatæ sunt super me.* Cùm tamen homines perversi tam studiosè in die Sabbati pondera, & onera peccatorum colligant, tanquam ab opere servili exemptâ Sabbata & festa, ex industria ad hæc ferenda pondera sint ordinata.

VII.

Ierem. c. 17. v. 21. *Peccatū est onus.*

Hugo Card. hic. *Hoc non convenit portare die Sabbati.*

Monet Deus Jeremiam Prophetam, ut per plateas civitatis circumferret oculos, & nefanda Israëlitarum spectaret facinora. Et quænam hæc? *Filij colligunt ligna, & patres succendunt ignem, & mulieres conspergunt adipē, ut faciant placentos reginæ cœli,* Lunæ, seu Dianæ. Et quænam hæc ligna, quæ colligunt filij? *Per ligna* (respondet Cardinalis

Ligna quo modo colligant filij.

Ierem. 7. v. 17.

Hugo Card. hic.

à S. Caro) *significantur malæ concupiscentiæ, quibus succenditur ignis diaboli in cordibus peccatorum, per consensum & opus exhibitum illis concupiscentijs.* Hæc autem ligna colligere in Sabbato, duplex est abominatio, quia attestantibus sacris paginis, *lapidatus est ille, qui colligebat ligna in Sabbato. Peccatores enim maximè hujusmodi ligna colligunt in diebus festivis, & ideo Sabbata eorum, & solemnitates eorum, odivit anima: Viderunt eam hostes, id est, dæmones, & derisserunt Sabbata ejus.*

Num. c. 15. v. 43.

In diebus festis.

Et quod magis dolendum, collectis per filios lignis, *Patres succendunt ignem, quia non corrigunt filios suos, sed magis dant eis vestes, & denarios, & alias occasiones, quibus facilius colligant hæc ligna, id est, nocivas concupiscentias. Et mulieres conspergunt adipem, delitiosè filios suos nutriendo, & superfluè ornando, & nimis delicatè eos amando; Ut faciant placentas Reginæ cœli, per peccatum luxuriæ corpus suum sacrificantes Lunæ, id est, omni temporali gaudio se exponentes, ut non sit pratum, quod non pertranseat eorum luxuria.* Hæc Hugo. Ad has placentas infernales in diebus festivis sedet (applaudentibus, vel saltem non contradicentibus parentibus) juventus Christiana; sedet, inquam, manducare & bibere, & postea surgit ludere, obscœnis vacans jocis, & spectaculis: Filij eorum colligunt ligna!

Patres succendũt ignem.

Matres conspergũt adipem.

VII.

Quid mirum, si sic ligna colligat plebs Christiana, quòd demum etiam Deus justè contra eam excandescens succendat iram divinæ vindictæ, & exardescat sicut ignis in spinis?

Ignis modernus bellorum ab his lignis.

Videmus totum Romanum imperium, imò totum orbem Christianum uno ardere penitus belli incendio, ad quod plebs Christiana ligna jam à multis collegit annis, & quidem ut plurimùm diebus festivis; Si ergo ignem optamus extinguendum, non ferenda, aut colligenda, sed removenda ligna sunt. Aut siquidem colligenda ligna, & peccata sint, ea ad confitendum, & comburendum ardenti contritionis flammâ, colligamus, gratum Deo in comburendis hisce lignis facturi Sacrificium.

Cumburimus per contritionem.

Sic & Antoninus ex illo veteris legis præcepto, quo die Sabbati sacrificium duplicandum mandabatur, infert (præter festi sanctificationem) *offerendum est ergo sacrificium de anima per contritionem.* Quod etiam Angelici doctrinâ confirmatur, qui docet: *Unde primò debemus ultro offerre animam nostram, dolendo de peccatis:* prout psalmista testatur: *Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum, & humiliatum, Deus, non despicies.* Sic igitur benè, laudabiliter, & Christianè Sabbata peragentur, hæc erit observatio Sabbati Christiana,

Num. 28. v. 9. S. Anton. cit. S. Thom. Opusc. cit.

Psal. 50. v. 8

Servantibus Sabbatum,

na, non tantùm ab operibus vanis & servilibus tam physicis, quàm moralibus abstinere, sed etiam pietatis, & pœnitentiæ operibus sanctificare; sic Sabbata nostra deridere cessabunt inimici, quæ illis, sic celebrata, non jucunda erunt, sed formidanda, nobis autem maximè salutifera, non tantùm ad salutem animæ, & spiritualium, sed etiam temporalium profectum; nam si largam benedictionem Israëlitis, annum sabbaticum ritè celebraturis, Deus promisit, & præstitit, cur non & Christianis præstabit? Probè observat ad propositum nostrũ Aphricanæ Ecclesiæ lumen Augustinus: *Si curabant divina Israëlitæ, & Deus curabat humana, sicut ipse promiserat.* Inde bene arguit præclarus Expositor, Cornelius: *Audiant hoc Christiani? discántque sua lucra non quærere, violando festa per labores, venditiones, &c. si enim Deus Judæis promittit hîc, servantibus quietem toto anno sabbatico, annonam in tres annos, multò magis Christianis servantibus quietem paucorum festorum, providebit de victu, & lucris?* In divinâ ergo confidentes bonitate, & munificentia agamus cum devotione, & pietate Sabbata Domini, ut & ipse nobis concedat Sabbatum, & quietẽ sempiternam in cœlis,

Amen.

Promittitur benedictio,

Levit. c. 25. v. 21.

S. August. q. 16. ex loco Exod. 34.

DISCVRSVS XIV.

Zain.

Viderunt eam hostes, & derisérunt Sabbata ejus. *Thren. 1. v. 7.*

DE ANIMA.

Non datur Sabbatum & quies, sive sessio in hoc mundo.

I. Glossa Ord. hic,

TItulus nonagesimi primi Psalmi est: *Psalmus Cantici in die Sabbati.* Sed quale hoc Sabbatum? Triplex Sabbatum assignat Glossa ordinaria hîc *Nempe Sabbatum temporis, æternitatis, & mentis.* Sabbatum temporis, est septimus dies, quo post opera sex dierum completa, requievit Deus. Sabbatum æternitatis, æterna requies, pro qua in præsenti bona operari debemus. Sabbatum mentis, est tranquillitas conscientiæ spe futuri, ut non turbetur rebus sæculi. Juxta opinionem Hugonis Cardinalis, Sabbatum pectoris, est *quies à vitiis.* Sabbatum æternitatis, est *pax æterna: pax super pacem, pax, inquam, quæ exsuperat omnem sensum.*

Sabbatũ temporis

Æternitatis.

Hugo Card.

Et mentis

Quod ad malos attinet, quàmdiu à malo non recedunt, Sabbatum æternitatis sperare non possunt, sed neque Sabbatum mentis. Nam teste Augustino: *Omnis homo malus Sabbatum habere non potest: nusquam enim illius conquiescit conscientia, & necesse est, ut in perturbationibus vivat.* Boni autem & justi, Sabbatum cordis habent, nam, uti docet S. August. *cui bona est conscientia, tranquillus est, & ipsa tranquillitas Sabbatum est cordis.* Sed hoc Sabbato non contenti subinde justi, etiam Sabbatum æternitatis non tantùm sperare, sed etiam possidere affectant, dum in pace tam interna, quàm externa sedere, quiescere, & Sabbato gaudere sine ullo labore, & perturbatione externa exoptant, sed

S. August hic.

Mali non habent Sabbatũ,

Boni Sabbatũ mentis.

Sed non æternitatis.

sed tale Sabbatum, sessio & quies æternitati reservatur, nec eam in hoc mundo sperare licet, sed ubi stare, & laborare convenit.

II.

Act. c. 1. v. 12.

Scrupulosa valde circa Sabbatum temporum erat plebs Judaica, quæ non solùm à tumultuoso labore, sed etiam ab itinere faciendo vacabat, nisi illud esset modicum, unde etiam reversi dicuntur Hierosolymã discipuli, à monte, qui vocatur Oliveti, Sabbati habens iter, quod quasi milliare Italicum continet, juxta sententiam magis probabilem. Quoniam ergo Judæis tanta religione præceptum erat Sabbatum, ut ultra iter Sabbati progredi non liceret, eo peracto sessioni, & quieti indulgebant.

Iter Sabbati quãtum?

Hoc autem iter Sabbati, quoad sessionem & quietem non observabant illi duo discipuli, in ipso Resurrectionis Dominicæ die, euntes in Castellum, quod erat in spatio stadiorum sexaginta ab Jerusalem, nomine Emaus. Hæc autem sexaginta stadia septem millia passuum, & quingentos continebant, id est, septem milliaria Italica cum dimidio, cùm stadium centum, & viginti quinque passus contineat. *Mysticè* igitur (ut docet Hugo Cardinalis) *ostenditur hîc distantia & via ab Ecclesiâ militante usque ad triumphantem.* Sed hæc distantia non tantùm Sabbati habet iter, sed sexaginta & ampliùs stadiorum spatia continet.

Distantia Emaus ab Ierusalẽ.

Luc. 24. v. 13.

Hugo Card.

Signat distantiã Ecclesiæ militan. triumphãtis, & æternitatẽ.

Sumus nos homines, in mortali hac vita constituti, viatores, qui ab Emaus ad cœleste Jerusalem peregrinamur, sed magni laboris, & incommodi itineris pertæsi, Sabbati iter ex hac peregrinatione facere peroptamus, brevi, & commodo viarũ compendio illuc ituri, vix mille passuum molestiã tolerare sustinemus. Hoc mille passuum, & Sabbati Salernitani iter, trito illo versu describitur: *Post mensam stabis, vel passus mille meabis.* Hic maximus quorundam Salernitanæ, vel potiùs Epicureæ scholæ discipulorum motus est, à mensa, mille passus deambulare, post deambulationem rursus sedere, recumbere, & quiescere, & Sabbatum agere nulla corporis incommoditate, vel labore turbandum; *Viderunt eam hostes, & deriserunt Sabbata ejus.* Nam per hoc Sabbati commodum, & compendiosum iter, ad cœlestem Jerusalem non pertingemus, cùm sexaginta stadiis, & non tantùm itinere Sabbati, Emaus distet ab Jerusalem.

Iter Sabbati Salernitanũ.

III.

Nec Deo filio iter Sabbati concessum

Nec ipse etiam æternus Pater Filio suo unigenito in cœlestem Jerusalem, & patriam rediturο quietum, commodum, & breve tantum iter Sabbati præ-

præscripsit, sed per 33. omnino annos magno cũ labore, per Ægyptũ per Palæstinã, per vicos & civitates, per desertũ fame & siti confectus obambulare jussus est: Et sic oportuit illum intrare in gloriam suam, non sedendo, non quiescendo, sed laborando, & dolores excessivos sustinendo, nullum, nisi in sepulchro, Sabbatum agens. Cur ergo nos homines peccatores, à cœlo exules, & ob peccata nostra proscripti, per unicum, ab omni labore vacui, Sabbati iter ad gloriam alienam, quiescendo, & sedendo pertingere præsumamus? Sabbatum, quamdiu in hoc mundo peregrinamur, sperare non possumus; solum enim sepulchrum sabbatonos beare poterit, & quietem dare à laboribus, uti patiens Propheta omnium laborum genere exercitatissimus, in hoc unicum sibi proponit impetrandi Sabbati solatium: *Et solum mihi supereſt sepulchrum*, angustiis, & laboribus defatigato corpori Sabbatum, & requiem daturũ: *Gaudentque vehementer, cùm invenerint sepulchrum.* Huc donec pervenerimus, nullum Sabbatum, nulla sperandæ requies: *Surgite & ite, quia non habetis hîc requiem.* Pagninus vertit: *Quia non est hæc civitas requiei;* Et Chaldæus: *Non est hæc terra domus requiei.* Surgite & ite. *Jubemur* (ait glossa in hunc passum) *non putare requiem in rebus mundi, & ire post Dominum in paradysum, quod si noluerimus, non inveniemus hîc veram requiem.* Surgite ergo, post vestigia Christi ite, qui non per Sabbati iter, sed post longos labores intravit in gloriam, *si quis* ergo *vult venire post me*, laborem, & dolorem non recuset, sed *tollat crucem suam quotidie*, & sequatur me. Quotidie crucem tollendam, *quotidie* sustinendum laborem mandat Dei Filius, nec unicum excipit in septimana diem, nullum admittit Sabbatum, *quotidie*, surgite & ite, non habetis hîc requiem; ite, non iter Sabbati, sed longa adhuc vobis restat via.

Impiæ aulæ pertæsus Helias, fugitivus à facie Jezabel perrexit in desertum, viam unius diei. Sed brevi itineris sui pertæsus, sedit subter unam juniperum, & petivit animæ suæ, ut moreretur, jam enim labori succumbens quærebat requiem; Sufficit mihi Domine: tolle animam meam: projecitque se, & obdormivit in umbra juniperi, Sabbatum requirens. Et ecce Angelus Domini tetigit eum, & dixit illi: Surge, & comede. Respexit, & ecce ad caput suum subcinericius panis, & vas aquæ. Comedit ergo, & bibit, & rursum obdormivit; reversúsque est Angelus Domini

IV.

secun-

Luc. 24. v. 26.

Solum sepulchrum dat Sabbatum.

Luc. 9. v. 23.

3. Reg. c. 19. v. 5. Helias fugitivus ab aula.

Iob. c. 17. v. 1.

Iob. c. 3. v. 22.

Micheæ. c. 2. v. 10

Glos. ord.

secundò, & tetigit eum, dixítq; illi: Surge, & comede, grandis enim tibi restat via.

Hugo hic *Est homo iustus,*

Helias (exponit moraliter Carensis) *hic gerit speciem cujuslibet justi*, declinantis superbam, & crudelem Jezabel, *quæ carnis concupiscentiam significat: Interpretatur enim sanguine fluens, vel sterquilinium, hanc fugit Helias, id est, vir justus:* Perversus autem quisque, atque injustus ad hoc sterquilinio quiescens, in illo Sabbatum Epicureum agit, cum illo demente Judæo se declarans: *De stercore surgere nolo.* Justus autem pergit in desertum, *tumultum sæculi fugit, & solitudinem animi quærit.* Sed primo fervore citò tepescente non magnum conficit iter: viam scilicet unius diei, viam nempe, quæ iter Sabbati non excedat, mox enim quietem suspirans sedet subter unam juniperum, ibíque obdormit in umbra juniperi. *Ecse acedia* (dicit Hugo) obdormit non tantùm sub junipero, vel super juniperum, sed in umbra juniperi, *quia non laborem pœnitentiæ, sed refrigerium vitæ quærunt*, & Sabbatum laboris. Sufficit mihi, ajunt, Domine, iter Sabbati; iter unius diei sub umbra, & cum quiete mihi sufficit. Hanc torpentem, & Sabbatizantẽ in corporis otio & quiete animam respiciunt hostes, & derident Sabbata ejus, eò quòd uniùs diei viâ, & itnere lassata, jam in umbra spinosæ Juniperi se prosternat, per quã Magnus Gregorius peccatum, ejúsque delectationem intelligit. Rident ergo hostes miseram & insipienter tepidam animam, quòd Sabbatum, & quietem inter spinas peccatorum, & deliciarum quæsitura, nusquam tamen minùs, eam inventura, quàm inter spinas, conscientiam miserè lacerantes. *Spina* (affirmat præfatus Doctor) *est omne peccatum, quia dum trahit ad delectationem, quasi pungendo lacerat mentem:* Hinc, *Omnis homo malus* (sicuti ex S. Augustino ostensum est) *Sabbatum habere non potest.* Etderiserunt Sabbata ejus.

Tumultum sæculi fugiens

Obdormit sub Iunipero.

Quærens Sabbatũ & quietẽ S. Greg 20 moral c. 12.

V.

Quare torpentem excitat angelicus spiritus. Surge, & commede. Excitatus Prophe- *Panis sub cinericius*
ta respexit ad caput suum subcinericium panem, & vas aquæ; *Panis subcinericius est memoria mortis* (ait Hugo) *quæ multùm resicit animam contra acediam; incutit enim timorem, timor verò sollicitudinem operatur, sollicitudo torporem excitat.* Nihilominus natura *Memoria mortis.*
fragilis & ad quietem prona, quamvis hoc cibo excitata, facilè iterum in soporem reincidit, cujus denuo latera excitans gratia pulsando percutit: *Surge, comede, grandis enim tibi restat via*, scilicet ad montem Dei

Oreb:

Hugo hic Oreb: *Id est, à terra usque ad cœlum, à miseria usque ad gloriam, ab exilio usque ad patriam*, interpretatur Hugo. Vel ad mentem Cornelij: ad montem Dei Oreb, *Id est, ad culmen sanctitatis & perfectionis*, ad quam grandis tibi restat via, via scilicet aspera Pœnitentiæ, uti Hugo notat. *Grandis autem dicitur hæc via, quia toto tempore vitæ durat, & habet hæc via quasi spatium quindecim stadiorum*; adeóque iter Sabbati excedit, quia hoc septem stadiis conficitur, quibus si unum adhuc stadium (125. scilicet passus) addas, milliare Italicum complebitur.

Cornelius hic. Hugo ib.

Hoc autem (quindecim videlicet stadiorum) spatium assignat Evangelista Bethaniam inter, & Jerusalem: *Erat Bethania juxta Jerosolymam quasi stadijs quindecim.* Quò etiam alludeni Hugo Cardinalis *ubi supra*, observat, quòd *Bethania interpretatur domus obedientiæ, vel domus afflictionis: Hæc est mundus; Hierosolyma interpretatur visio pacis: hæc est patria.* Prætereo modò quindecim illa stadia, quæ de mundo ad patriam ituris præscribit præfatus Expositor, et tantummodo concludo, quòd peregrinus & viator (sive de domo obedientiæ, scilicet Monasterio, sive de domo afflictionis, nempe mundo) iturus ad patriam, grandem præ se habeat viam, quæ nullam somno, quieti, aut Sabbato moram permittat: Surge, grandis enim tibi restat via, plus quàm Sabbati habens iter.

Ioann. c 11. v. 18.

Pulchrè monet S. Gregorius, singulare nobis mysterium, ac eruditionem nobis à Christo redemptore nostro fuisse exhibitã *in diebus Passionis suæ. Sexta enim feria passus est, Sabbato quievit in sepulchro, Dominico die resurrexit.* Ad festivum ergo & clarum diem Solis, Dominus non nisi post multos feriales, seu potiùs laboriosos dies vẽire potuit, fuit longa, & dura hæc hebdomas, quam continuis transegit laboribus à juventute sua. Inter omnes tamen transactæ hebdomadæ, & vitæ laboriosæ dies, durissima fuit ultima illa sexta feria, tam graviter à Filio Dei apprehensa, ut, etiam pridie, sanguineum illi sudorem exprimeret: laboravit durissimè per totam noctem usq; ad sequentis feriæ sextæ intensissimo calore divini amoris ardentẽ meridiẽ, portans pondus diei & æstus. Desiderabat rescire cœlestis sponsa, ubi tunc in meridie quiesceret dilectus: *Indica mihi, quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubes, in meridie?* Sponsum lauto pastum convivio, & recumbentem præsumebat sponsa meridie, cùm charitatis solares radij maximè in dilecto ardentes

VI.

S. Greg. in Ezech. hom. 16.

Feria sex *ta Christo* *gravis*

Cant. 1. v. 8.

coru-

coruscarent. Sed eheu, non pascitur, nisi felle & aceto, non cubat, non dormit nisi in duro Crucis lecto. *In Cruce, ibi dormis, ibi pascis, ibi cubas in meridie,* S. Bonav. serm. 6 de Rogat. respondet cum Mellifluo Doctore Seraphicus. O durum sextæ feriæ lectum divini sponsi! Luc. 9. v. 58. Nunquid *Vulpes foveas habent, & volucres cæli nidos, filius autem hominis, non habet, ubi reclinet caput suum*: Nam duro ligno acutis affixi clavis pedes, & manus, pungentibus spinis coronatum caput, nec reclinationi, nec quieti locum præbent, aut Sabbato, sed durissimis exercent laboribus. Isa. c. 1. v. 14. *Laboravi sustinens*, ut sustinerem, laboravi, ut laborarem, dura sustinui. Psal. 68. v. 4. *Laboravi clamans*, clamavi laborans, *raucæ factæ fauces meæ*, & tamen qui laboranti mihi se jungeret, non inveni. Isa. 63. v. 3. *Torcular itaque calcavi solus, & de gentibus non est vir mecum!* O dura, ô aspera, ô cruenta, ô cara feria sexta, laboribus & doloribus tenerrimum Mariæ Filium durissimè prementibus, cumulata!

Excepit demum duram hanc sextam feriam, & diem Veneris Sacratissimam & carissimã, tranquillum Sabbatum, cùm, effusis, & exhaustis omni sanguine venis, sub feriæ sextæ meridiem in Cruce, directo ultimo in Matrem Virginem halitu, emittens spiritum obdormiret, cui solum quieti supererat sepulchrum; gaudebat tunc doloribus & laboribus defatigatum, & exhaustum corpus, quòd demum saltem invenerit sepulchrum, in quo quietum ageret Sabbatum, quod sequebatur festivus & solemnis dies solis & Dominicus, gloriosæ Resurrectionis. *Hæc est dies, quam fecit Dominus*, quam exultatione, & lætitiâ celebrandam monet Propheta regius. Psal. 117. v. 23.

Sabbatũ in sepulchro habuit.

Diem solis in Resurrectione.

VII.

Ad hanc verò glorioſam solis diem, Christus pervenire non potuit, nisi superatis priùs totius hebdomadis, ac vitæ ærumnosæ laboriosis feriis, suo nos instruens exemplo, ne ordinem in hebdomadis diebus ullo modo invertere, & Sabbatum, aut Solis diem ante superatam sextæ feriæ laboriosam asperitatem quærere præsumeremus, quamdiu in hoc mundo, & carne mortali degimus. *Præsens enim vita* (testatur S. Gregorius) *adhuc sexta est feria, quia in laboribus ducitur, & in angustiis cruciatur. Sed Sabbato, quasi in sepulchro quiescimus, quia requiem animæ post corpus invenimus. Dominico verò die, cum corpore à morte resurgemus, & in gloria animæ etiam cum carne gaudebimus.* Dura est cara illa sexta feria, sed tranquillum est Sabbatum, amœnitate autem, & lætitiâ prævalet dies solis, quem nullus nostrûm

Præsens vita est feria sexta.

non anhelat. Sed hunc præcedat Sabbatum, & istud sexta feria, necesse est, cum sui laboris pondere & æstu sustinenda.

De hac nimirum conquerimur mortales, & longam nimis esse ingemiscimus: sed si hanc longam, etiam vitam nostram longam nimis nobis durare conqueramur, oportet; Tota enim præsens vita adhuc sexta est feria; qui brevem hanc desiderat, brevem etiam exoptet vitam, sed miseri plerumque abbreviari feriam, & prolongari vitam petimus, ignari, quàm pretiosa, & cara sit hæc sexta feria, in qua pro Dei honore, & augmento gloriæ nostræ operari nobis concessũ est; Venit enim nox, quando nemo amplius operari potest, nempe Sabbatum sepulchri, quando emortuum in sepulchro, & in pulverem redactum corpus, ad augmentũ gratiæ, & gloriæ cooperari animæ non amplius valet. Totis ergo viribus in bene, & fructuosè impendendâ hac sextâ feriâ desudemus, nulli parcamus labori, ad laborem quidem nati, sed non minùs ad gloriam, & quietem æternam, quæ laborem consequitur. Post hanc vitam, in Sabbato tempus est quiescendi, modò autem tempus est laborandi; *Homo nascitur ad laborem, avis ad volatum.* Aves (angelici spiritus) statim ad volatum jucundum creatæ, nidum quietum cœlestis Sabbati obtinuerunt, sed nos miseri Adami filij, ad laborem nati, in sudore vultûs nostri laborare debemus, quamdiu sextam feriam agimus in hoc mundo. Sed nec horas laboriosas nimis in hac sexta feria enumeremus, & nimiâ longitudine molestas conqueramur. Ecce enim, jam advesperascit, ad finem labores vergunt, ad occasum properat jam sexta feria; Licet ergo adhuc ad vesperam demoretur fletus, & maximum in senectutem incumbat onus dolorum & laborum, tamen succedet ad matutinum lætitia. Sustinete adhuc modicum: En modica passio, sed gloria erit infinita, solebat hortari fratres suos pater meus seraphicus: Quid ergo stamus totâ die otiosi? non nos tædeat laboriosæ sextæ feriæ, sed laboremus indefessè, & dicere quondam poterimus: *Videte oculis vestris, quia modicum laboravi, & inveni mihi multam requiem.* Modicũ fuit, totus feriæ sextæ labor, & ecce tranquillam inveni requiẽ in æternitatis ab inimicis nullatenus deridendo, Sabbato, cui jucundissimus succedet dies solis in gloriosa Resurrectione, Amen.

Feria sexta nobis longa videtur.

Ad laborem nati sumus.

Iob. c. 5 v. 7.

Non tædeat nos laboris.

Eccli c. 51. v. 35.

* * *

DISCUR-

DISCVRSVS XV.

Heth.

Peccatum peccavit Jerusalem, propterea instabilis facta est. *Thren. 1. v. 8.*

DE ECCLESIA.

Fideles deplorat Ecclesia, qui instabiles, semper magis de primæva Ecclesiæ fervore recedunt.

1. STabilitum credebatur à Deo sceptrum Juda, & in ævum Israëlitico populo dominatura sperabatur regia Davidis sedes in Jerusalem, sed quoniam peccatũ peccavit Jerusalem, propterea instabilis facta est, dum urbe regiâ per Chaldæos solo æquatâ, ipsa etiam Synagoga suo loco mota, in Babylonem captiva abducta est. Quod in sensu allegorico de Ecclesia intelligit Doctor Seraphicus: *Ecclesia* (inquit) *peccavit, propterea instabilis facta est, & à principio Orientis in finem Occidentis transivit,* mobilis quidem loco, immobilis autem, & stabilis in fide, uti in Concione secunda de SS. Apostolis Petro, & Paulo remonstratum est. Hoc enim Ecclesiæ suæ Vicario, omnibúsque ejus legitimis successoribus privilegium concessit Dei Filius, *ut non deficiat Fides tua.* Licet autem Ecclesia cum capite suo visibili semper in fide stabilis permansura, nec unico puncto unquam defecerit, vel deficere possit, nihilominus contra ipsius membra acriter conqueritur Christus, quòd licet fideles non in fide, at tamen in aliis virtutibus,

S. Bonav. in Thren. hic.

Luc. 22. v. 32.

Ecclesiæ semper in fide stabilis.

tutibus, & profectu spirituali, valde sint instabiles, deficientes de primo charitatis zelo ac fervore, & de die quasi in diem à præcelsâ primævæ Ecclesiæ sanctitate, & virtutum culmine longiùs recedentes.

II. Vidarat in somnis præpotens Chaldæorum Monarcha statuam magnam, & staturâ sublimem, cujus caput erat ex auro optimo pectus & brachia ex argento, porro venter, & femora ex ære: tibiæ autem ferreæ, pedum quædam pars erat ferrea, quædam autem fictilis, abscissus autem de monte lapis sine manibus percussit statuam in pedibus ejus ferreis & fictilibus & comminuit eos. Ad literam ex omnium expositorum consensu hâc statuâ quatuor mundi Monarchiæ fuerunt adumbratæ, inter quas Chaldaica sub magno Nabuchodonosore erat aurea, Persica verò argentea, Græca ænea, & demum Romana ferrea tanquàm omnium aliorum domitrix; nam quomodo ferrum comminuit, & domat omnia, sic & Monarchia Romana omnes reliquas comminuit, & contrivit, quòd autem hæc ipsa partem infimam pedum non haberet purè ferream, sed partim etiam fictilem, significat hanc Monarchiam Romanam, primò solidam, & indomabilem instar ferri, dividendam & scindendam fore protractu temporis, atque adeò à ferrea sua soliditate in fictilem pene fragilitatem, declinaturam. Quod ipsa docuit experentia & temporum successus, nam Monarchia Romana post Augusti decessum factionibus conscissa, & demum in Orientale, & Occidentale Imperium divisa, de sæculo in sæculum minui, ac debilitari, & contrito à Mahumetana potentia Orientali imperio, ipsum Occidentale vix fictilibus pedibus subsistere cœpit. Adeò aurea illa sæcula, non tantùm in ferrea, sed pene in lutea degenerârunt, dum ita Romanum Imperium fragile, & in partes conscissum est, ut regna, & principatus, tanquam testæ dissipatæ hinc inde ab hostibus non tam infidelibus & extraneis, quàm ipsis fidelibus, & domesticis conterantur. Nec injustè hoc patitur Monarchia Romana, nam quia peccatum peccavit, & peccans peccavit, propterea instabilis facta est.

Daniel. c. 2. v. 31

Statua Nabuchodonosoris.

Quatuor Monarchiæ.

Romana Monarchia ferrea.

Nunc lutea.

Moraliter autem idem de fidelium suorum multitudine conqueritur Ecclesia, quòd scilicet eorum sanctitas, & bonitas, ac splendor virtutum, quo in primitiva Ecclesia resplendebant, deficiendo deficiat. Coruscabat tunc in ea aurum optimum & ignitum charitatis, dum quivis amore Dei accen-

Fidelium multitudo olim aurea.

accensus, primus sanguinem suum pro fide profundere concertabat, aureolæ Martyrij consequendæ avidus. Sedatâ paulatim persecutione, quietem simul ac comoditatẽ captare cœpêre Christiani, divitiis inhiantes, & honoribus, ita, ut paucos veros servos Dei, ac Confessores & Virgines liceret numerare, quæ in argenteo Ecclesiæ pectore essent argentum igne examinatum, probatum terræ, purgatum septuplum: jam enim ab argentea puritate, & animo à terrenis purgato, & probato ad æreum statum defecerant passim fideles, vix aliud nisi tinniens Christianorum nomen resonantes: facti scilicet, *sicut æs sonans, aut cymbalum tinniens.* Et nostra quidem in ferrum jam demigrârunt sæcula, in quo rarò aurei, & argentei comparent Christiani, ut meritò cum S. Bonifacio dici queat, aureos olim fuisse Sacerdotes, & calices ligneos, nunc autem calices aureos, at ligneos sacerdotes & fideles.

Successivè recedit in luteam.

1. Corint. 13. v. 1.

III. Tantus erat in aula Salomonis regia splendor, & auri copia, ut sacræ literæ testentur, quòd, *omnia vasa, de quibus potabat Rex Salomon, erant aurea, & universa supellex domûs saltûs Libani de auro purissimo; non erat argentum, nec alicujus pretii putabatur in diebus Salomonis.* In primitiva Eccles. ita auro purissimo & ignito charitatis in Deum abundabat, & tanta erat SS. Martyrum copia, ut argentum Confessorum, ac Virginum non martyrum, vix alicujus pretij putaretur. Sed cœpit posthac argentum hoc purum in pretio haberi, cùm passim jam argentum cum ære sonante, & strepitante literatorum sono fuisset commutatum. Narrat Regum historia, *in quinto anno Regni Roboam ascendisse Sesac regem Ægypti in Jerusalem, & direpto thesauro domûs Domini, & regio, abstulisse etiam scuta aurea, quæ fecerat Salomon, pro quibus fecit rex Roboam scuta ærea, & tradidit ea in manum ducum scutariorum, & eorum, qui excubabant ante ostium domûs regis.*

3. Reg. 14. v. 25.

Olim scuta Ecclesiæ erant aurea.

Allegoricè (ait glossa moralis) *per Jerusalem intelligitur Ecclesia militans; per regem Ægypti, quæ interpretatur tenebræ, diabolus; Ipse verò ascendit contra Ecclesiam militantem, & in magna parte abstulit thesauros domûs Domini, id est, merita Prælatorum, Clericorum, & Religiosorum, & thesauros regios, id est, merita principum, per tyrannidem ipsorum. Per Roboam autem (qui & latitudo populi interpretatur) Theologi ostentatores sui signantur, qui magis famam suam, quàm utilitatem doctrinæ suæ dilatare nituntur, & isti pro scutis aureis, faciunt ærea; nam dimissis veritatibus Theologicis, docent & student Philosophica, & Logicalia*

Nunc verò ænea.

3. Reg. 10. v. 21.

Auri copia tempore Salomonis.

gicalia & sic possunt dicere, factus sum velut æs sonans, aut cymbalum tinniens. hæc glossa.

IV. Sed utinam saltem æs tinniens sæculo nostro remansisset, planè in ferrum, & non quidem purum ferrum, sed ferrum fictili luto mixtum, ætas nostra degeneravit infelicissima, non tantùm instar ferri in malo indurata, sed etiam lutosis, & impuris passim hæresum doctrinis depravata, & maculata, &c. Dum ergo pedes statuæ Monarchiæ in Imperio nostro Romano, luto & ferro inter se non tam commixti, quàm divisi sint, quid nisi proxima ejus expectari ruina poterit?

Quidni ergo cum Propheta exclamet plangens Ecclesia: Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus? *Per aurum, quod est inter metalla pretiosius, charitas significatur, quæ tanta fuit in Ecclesia primitiva, quòd multitudinis credentium erat cor unum, & anima una; sed quantùm sit immutata, per guerras mortales inter Christianorum principes demonstratur.* Mutatus est color optimus. *Exterioris conversationis, in qua relucebat maturitas, & honestas; sed nunc ferè in omni statu apparet dissolutio, & inhonestas.* Dispersi sunt lapides Sanctuarij, in capite omnium platearum. Lapides Sanctuarij, *Patriarchæ & Prophetæ* (ait Interlinearis) *Sacerdotes Christi, Monachi, Virgines, virtutes* dispersi sunt in capite platearum. *Platea* (uti bene annotat ordinaria) *græcè à latitudine dicitur, lata enim & spatiosa via, quæ ducit ad mortem.* In capite ergo omnium platearum, & latitudine dissolutæ vitæ, dispersi sunt lapides Sanctuarij, Sacerdotes, Monachi, & Virgines Deo sacratæ in infelici præterito sæculo, dum ad concupiscentiam mundanæ vitæ, è claustris erumpentes, Monasticæ simul professioni, ac Ecclesiæ Romanæ se subduxerunt; & sic Germaniæ, imò & Angliæ, Galliæ, Sueciæ, Daniæ, Belgij, aliarúmq; amplissimarum Provinciarum bases, fictiles comparare cœperunt. *Filii Sion inclyti, & amicti auro primo, quomodo reputati sunt in vasa testea, opus manuum figuli,* dispersi per varia doctrinarum, & articulorum schismata, in capite omnium platearum, conterendi tanquam vas figuli in die furoris Domini.

Et quoniam erat *luto vilior vita ejus*, ejus scilicet, qui huic schismati fecit initium, seque novæ fictilis Ecclesiæ basem fecit, hinc est, quòd nova hæc fictilis Ecclesia, non supra Petram, sed lutum ædificata & fundata, stabilis esse non possit; propterea instabilis facta est, de errore in errorem migrans, & ita in articulis suæ fidei vacillans, ut non

Thren. c. 4. v. 1. Glossa Moral.

Color immutatus.

Gloss. Interl.

Lapides dispersi.

Thren. 4 v. 2.

V. Sap. 15. v. 10.

Heroses in luto fundata.

non modò moderna hetherodoxorum fides prioribus annis, & fundatoris sui menti non ampliùs correspondeat, sed neque ullus locus provincia, vel civitas cum altera, in omnibus fidei, seu, veriùs, sectæ suæ articulis conveniat, sed non stans in inconstantia stabilis permanere nesciat: prout in Concione 1. Pent. fusiùs remonstratum est.

Et hæc potissima ratio est, quòd ipsum etiam Imperium Romanum in ferrea, & indomabili sua fortitudine stabili non possit persistere, quia (uti in mirabili illa statua figuratum Dan. c. 2. v. 41. fuerat) habet *pedum & digitorum partem testeam figuli, & partem ferream, regnum divisum erit. Quòd* Glossa Interl. *hodie impletum est* (ait Glossa interlinearis) *sicut enim in principio, Romano imperio nihil fortius fuit, aut durius, ita in fine nihil debilius.* Neque etiam à sui principio unquam debilius & instabilius visum est, quàm nostrâ modernâ, & infelici ætate. Hæc autem instabilitas, & debilitas unde, nisi ex divisione provenit? quia nempe Bases, & Principes Monarchiæ Romanæ in fidem ferreã, & testeam divisi sunt. Fides ferrea, stabilis, & indomabilis est fides Romanæ Ecclesiæ, cujus nec ungula quidem in articulis fidei per tot hæreticorum ictus, & impulsus conteri potuit; fides testea, & lutea, est fides quæ vis hetherodoxa, quæ ab ipsis suis fictoribus & figulis tanquam lutum in aliam formam pro libitu effingitur, & à ferrea Romanæ fidei stabilitate tanquam testa conteritur. sed per hoc, Romanum Imperium indies debilius cernitur, quia pars lutea ferro, & ferrum mixtum testæ nunquam sibi adhærebunt. *Quia vidisti ferrum mixtum testæ, ex luto, commiscebuntur quidem humano semine, sed non adhærebunt sibi: Sicut ferrum misceri non potest testæ.* Commiscentur quidem humano semine, sanguine, cognatione, & affinitate, copulantur Imperij proceres Catholici Acatholicis; & junguntur fœderibus, & commiscentur mutuis amicitiis, non tamen sibi adhærent ex sincero corde, nec adhærere unquam poterunt, quàm diu pars una testea, & altera erit ferrea; non adhærebunt sibi, sicuti ferrum misceri non potest testæ. Sed corda (licet externâ formâ politicâ, & ob Interesse aliquod statisticum sibi unita, & confœderata) semper manebunt divisa, regnum autem divisum, forte & stabile esse non potest. Peccatum peccavit Jerusalem; Peccatum *infidelitatis*, (notat Interlinearis) peccatum infidelitatis, inquam, peccavit Monarchia nostra ferrea, propterea instabilis facta est, & dispersi sunt lapides in scissione Religionis.

Quia ex ferro, & luto constat.

Ex diversis Religionibus.

Glossa Interl.

Propterea Monarchia Roma-

na

na facta est instabilis in genere politico, sed instabilior in ipso genere moris, de auro charitatis ad ferrum usque, & lutum degenerans. *Obscuratum est aurum; In auro obscurato* (docet Seraphicus) *subversio sanctitatis intelligitur; Mutatus est color optimus, in colore mutato, subversio honestatis; Dispersi sunt lapides Sanctuarii, in dispersione, studium cupiditatis, & consequentis dissensionis; in capite omnium platearum: In platearum capite, exemplum perversitatis, facti sunt in vasa testea, id est, lutea, & de carnalium solatiorum desiderio: Opus manuum figuli, id est, diaboli. Luto vilior vitæ jus.* Hucusque Seraphicus: Qui si ad nostra usq; tempora fuisset reservatus, adhuc altioribus utique suspiriis deficientem de anno in annum, de sæculo in sæculum Monachię nostræ statum deplorasset.

S. Bonav. in Thren. hic.

Ioseph. Christus.

Missus à patre suo Joseph, puerulus duodennis, & pastor gratiosissimus, ad visitandos fratres suos, qui oves pascebant in Sichimis, hinc illos recessisse audiens, invenit eos in Dothaim. Et hæc quidem in figuris contingebant, nam secundùm Hugonis Cardinalis expositionem, *Ioseph, id est, Christus, semel missus est ad fratres suos visitandos corporaliter; Quotidie mittitur ad quosdam spiritualiter visitandos; Et hoc dupliciter; Interiùs per inspirationem, & exteriùs per prædicationem.* Sed ubinam Christus cum suis prædicatoribus gregem suum pascentem invenit? *In primitiva Ecclesia* (respondet Hugo) *grex Domini pascebatur in Sichem, id est, in patientia Martyrum, & labore Confessorum; Sed heu hodie malè pascitur grex Domini, quia pastores recesserunt in Dothaim, id est, de sectionem virtutis, & scientia, laboris, & patientiæ.* uno verbo, fidelium multitudo invenitur hodie in Dothaim (concludit præfatus Expositor) *id est, defectu omnis boni*: Peccatum Peccavit, propterea instabilis facta est.

Gen. 37. v. 3. v. 17

Hugo Card. hic.

Fideles visitans.

Invenit in defectu omnis boni.

Idem. v. 17.

Vatablus vertit: *Propterea variè jactata est*, ad instar scilicet naviculæ, quæ ventorum impetu, & procellarum assultu jactata de loco in locum fertur. Sic Ecclesia ob multitudinis fidelium peccata, justo Dei judicio jactatur & affligitur, variis persecutionum ventis & procellis, non tamen submergitur, stat enim inter mundi varietates, persecutionum procellas, & apostatantium titubationes immobilis in fide Ecclesia, nec mergi potest Petri navicula, quantumvis fidelium aggravata peccatis, & sectariorum assultibus agitata.

VII.

Ecclesia iactatur, non mergitur.

Neque propter hanc tranquillitatis instabilitatem contemnenda est Ecclesia, aut propter malorum vitam, ejus sanctitas in dubium vocanda, licet senescens à primo suo decore, & aurea

rea venustate, defeciſſe videatur.

Quicquid in hoc mundo eſt, inſtabilitati ſubjectum cernitur; maximè verò homo, vanitati ſimilis, & inſtabilitatis ſimulachrum: In juventute floreſcens, calore nativo ſuccreſcente, depictam gerit in genis, & labiis roſæ purpuram; vivaces oculi, robuſtæ manus & brachia, firmi pedes, capilli aurei, animos in ſui rapiunt amorem. Sed annis, & luſtris ſibi ſuccedentibus; in canitiem degenerant capilli, franguntur pedes, vires ſubtrahuntur lacertis; caligant oculi, decolorantur genæ, os comparet edentulum, frons rugoſa; & ſic externa hominis facies, ſucceſſu temporis immutatur. Mirum tamen eſt, quòd inter has externas corporis varietates, ſtabilis ſemper in ſua pulchritudine maneat anima, non corporis curvitate flectenda, non debilitate enervanda, non canitie dedecoranda, non rugis aut maculis dehoneſtanda, non annis aut ætate frangenda, ſed ſtabilis ſemper in ſuis viribus, & decore perſeverat, &c.

Senescente corpore

Vegeta manet anima.

Mater noſtra ſancta, Romana, & Apoſtolica Eccleſia, ex gentibus electa, & ab infidelitatis lepra mundata, ita omni pulchritudinis genere exornata eſt, ut meritò Rex cœleſtis hujus ſpeciem adoleſcentulæ concupiverit, non tam Chriſti, quàm tot millium martyrum ſanguine rubicundam, & virginum caſtiſſimâ puritate candidam. Sed paulatim creſcentibus annis per ſexdecim ſæculorum decurſum, ſeneſcere videtur mater, & contemptibilis filiis comparere. Sed monet ſapiens, non contemnendam in ſenectute matrem noſtram: *Ne contemnas, cùm ſenuerit, matrem tuã, Eccleſiam in tribulatione*, explicat gloſſa Interlinearis, cui concordat Hugo Cardinalis. *Mater tua... ſpiritualis, id eſt, Eccleſia, quæ jam nimis ſenuit. Eſt enim edentula, non habens dentes, niſi putridos, & confractos. Rugoſa eſt, in ſimulatoribus & doloſis, cùm tamen dicat Apoſtolus, Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſemetipſum tradidit pro ea, ut illam ſanctificaret, mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ, ut exhiberet ipſe ſibi gloriоſam Eccleſiam, non habentem maculam, aut rugam, in futuro*, prout explicat Hugo. Licet in præſenti, & militanti Eccleſia rugæ & maculæ peccatorum inveniantur, quibus tamen ejus ſanctitas non obſcuratur, uti Cornelius optimè in hunc paſſum obſervat, & S. Auguſtinus fuſiùs declarat in illum Pſalmiſtæ locum: *Peccatores intenderunt arcũ, ut ſagittent in obſcuro* (ſive ut ipſe vertit, in obſcurâ lunâ) *rectos corde*. Dum nempe Peccatores, id eſt, hæretici, Eccleſiam Catholicam, *peccatis carna-*

Prov. c. 23. v. 22.

Ephes. c. 5. v. 27.

Hugo Card. Ephes. hic.

Pſ. 10. v. 3.

S. Auguſt. hic.

Eccleſia quomodo ſenuit?

carnalium hominum, quos multos continet, conatur arguere, sed frustrà. Nam si illi maculas & rugas obſervant in Eccleſia, cur non & ſplendorem ſanctitatis, qui omnimodè nunquam obduci poteſt à magno licet carnaliũ numero, & licet Eccleſia velut inſtabilis luna modò majorem, modò minorem exhibeat lucem in fidelium converſatione inſtabili, ſtabilis tamen ſemper ipſa, & pulchra in doctrinæ puritate, quæ eſt ſine ruga, & macula. Sicut enim in corpore ſeneſcente, vegeta ſemper & incorrupta manet anima, nullis morborum indiſpoſitionibus corrumpenda, ſic inter depravatos quorundam fidelium mores, incorruptus tamen in Eccleſia manet ſpiritus veritatis & ſanctitatis, &c. Ne contemnas ergo, cùm ſenuerit, mater tua, quæ vegetum adhuc habet ſpiritum veritatis, & ſanctitatis, neque rugam errorum hæreſum unquam contraxit. Et quamvis fidelium multitudo peccatum peccaverit, & inſtabilis facta ſit, ut Luna, ſtabilis tamen Eccleſia permanet in fide: *Et permanebit cum ſole, & ante lunam.* Pſal 71. v. 5.

Sicut Luna, ex parte clara, ex parte obſcura.

Sanctitas & Veritas tamen manet.

Cùm ſeneſcente ergo matre noſtra permaneamus & nos ſtabiles in fide, cum ſole, & ante lunam, cum ſole *Iuſtitiæ, id eſt, cum Chriſto*, exponit Hugo, & ante lunam, *id eſt, Beatam Virginem, ante quam permanet, qui eam continuè colit, & veneratur.* Cũ Chriſto igitur ſole, & luna Virgine permanentes, ac in eorum devotione perſeverantes, in omni bono ſtabiliemur, ut demum ad triumphantis Eccleſiæ gremium recepti, & in gratia confirmati, æternis gaudiis ſine inſtabilitatis metu, & periculo perfruamur,

Amen.

Hugo Card. hic.

DISCUR-

DISCVRSVS XVI.

Heth.

Peccatum peccavit Jeruſalem, propterea inſtabilis facta eſt. *Thren. 1. v. 8.*

DE ANIMA.

Anima à Deo per peccatum recedens, inſtabilis, & inquieta eſt in concupiſcentiis ſuis.

1

Math. c. 7. v. 26.

AD firmum, & ſtabile ædificium, firmum ac ſtabile requiritur fundamentum, quienim domum ſuam contra deſcendentes pluvias, irruentes, fluvios, & turbines firmam eſſe deſiderat, ſupra petram ædificet, neceſſe eſt: Non contra fluminum, & ventorum impetus ſatis munita erit domus, ædificata ſuper arenam. Domum, Hugo Cardinalis intelligit *Conſcientiam*, quæ firma erit, inter quoſvis turbinum & turbationum impetus, ædificata ſupra petrã: *Petra autẽ erat Chriſtus.* Stultus autem eſt, qui ædificavit domum ſuam ſuper arenam, *id eſt, domum conſcientiæ ſtabilivit in vitiis, quæ ſignificantur in arena, ſunt pec-* *Arena.*
quæ ſterilis eſt, & fluida; ait Hugo. *cata.*
Talis ergo domus firma eſſe non poterit, ſed omnino inſtabilis, fundata ſuper arenam: *Peccatum peccavit Ieruſalem, propterea inſtabilis facta eſt per diverſa vitia*, gloſſatur Interlinearis. Cùm enim deſcendit pluvia, *concupiſcentia*, dicit Hugo, & veniunt flumina, *abundantia temporalium*, & flant venti *adulationum, vel minarum*, inſtabilis mox ruit conſcientiæ domus & firma ſibi conſiſtere nec in bono, nec in conſolatione, aut interna quiete poteſt, fundata quippe ſuper arenam.

Hugo Card. hic. *Domus Conſcientia.*

1. Corint. 10.

Peccatricis animæ inſtabilitatem

A Deo avulsus

tatem si indagare fundamentaliter velimus, ex jam dictis satis colligemus, eam maximè inde provenire, quòd anima à solida & immobili petra, nempe Deo suo, se avellens, ad variabilem & inconstantem arenam creaturarum se convertat, in quibus anima (jam seipsâ instabilis) stabiliter se fundare nequit. Fixa ergo, & stabilis anima non est, quæ in Deo fundata non est, cui meritò acclamat Propheta regius; *Diligam te Domine fortitudo mea, Dominus firmamentum meum, & refugium meum*: hoc est: *Domine, qui me firmásti, quia refugi ad te*, ait Augustinus. Ipse enim Deus est, qui solus firmare instabilem humani cordis rotam potest, quæ semper instabilis concupiscentiarum afflatu in orbem agitur, haud secus, quàm alæ extentæ molendini ventis agitari soliti. Quemadmodum autem venti valde instabiles, stabiliter flare non solent, sed quiescente uno, succedit alius, alásque extentas molendini, tanquam turgidum velum in partes contrarias agit, & sic ad omnes captandos ventorum favores molendinum circumagitur, & volvitur, sic etiam, quia passionum venti sunt instabiles, & modò irascibile ab aquilone, modò concupiscibile à meridie, modò timor ab occidente, amor ab oriente perflat, hinc est, quòd peccatrix anima instabilis omnino sit, quamdiu cor suum tanquam extentas molendini alas hisce ventis explicatum exponit, quia firmatum in Deo non est, nec in eo firmari potest, quamdiu passionum & vanitatum tumultuosis ventis exponitur.

Stabilis esse non potest.

Pſal. 17. v. 1.

S. Augustin. hîc.

Peccator instabilis.

Sicut molendinum venti.

Hinc etiam instabiles animæ peccatrices bene *Nubes sine aqua* dici possunt, *quæ à ventis circumferuntur*, nam sicut nubes nullo aquarum pondere gravidæ, sed raro tantùm aêre, & vapore distentæ, à quovis vento facilè moventur, motæ circumferuntur, ita non solùm hæretici solida veritatis aqua destituti de errore in errorem, sed etiam quælibet peccatrices animæ à stabiliente divina gratia vacuæ, quovis vento passionis & vanitatis à peccato in peccatũ, de concupiscentia in concupiscentiã circumferuntur, & agitantur tanquã *fluctus feri maris*, qui ventorũ impetu cõmoti, montium instar elevantur, mox supervenientib' aliis deprimuntur, ita ut procellâ procellam identidem trudente spumantes demum fluctus in littore frangãtur. Haud secus passionum ventis excitata vitia despumare incipiunt, ut gula luxuriam, luxuria acediam, superbia avaritiam, avaritia iram, ira invidiam, tanquam procella procellam trudat, & animum instabilem

Iſa. Epiſt. Iudæ. v. 13.

Sicut nubes ſine aqua.

Fluctus feri maris

bilem perpetuo motu exagitet; ut amor concupiscentiam, concupiscentia spem, spes audaciã, timor tristitiã, tristitia iram, ira odium, & desperationem excitet, & tanquam fluctus feri maris se invicem, despumantes, trudant, trudendo obruant, turbent, & inquietent.

Bone Deus quanta in tali anima instabilitas, conturbatio & inquietudo! Nonne *Impij quasi mare fervens, quod quiescere non potest? impij enim* (observat Hugo) *sunt furore & rabie crudelitatis fervidi; vitiis amari, sicut mare salsum est; superbiâ tumidi; invidiâ lividi; luxuriâ spumidi; fraude malitiæ obscuri; per inconstantiam fluidi.* Uno verbo: Mare hoc quiescere non potest: sed semper fervet, ait Hugo: nam teste Job: *Fervescere faciet, quasi ollam, profundum maris: id est, mentem hominis:* uti memoratus expositor explicat. *Et redundant fluctus ejus in conculcationem,* (*propriam*, addit Hugo) *& lutum.* Mens enim hominis peccatoris instabilis, fluctibus æstuans, quasi aqua luto turbida, internæ pacis dilucidam quietem amittit: *Non est pax impiis, dicit Dominus Deus:* Non est quies, non est stabilitas animi perversis; cum quibus maligni spiritus ludos suos exercent. *Ludus est dæmonum* (testatur Gregorius) *cùm vagas & instabiles animas de vitio rotant in vitium.* Sicut pueri ludos suos cum trochis habent, quos itentidem in gyrum, & rotam agunt, sic dæmones instabiles animas rotant, de vitio in vitium, de turbatione in turbationem, de passione in passionem. Pulchrè Gregorius Nanzianzenus: *Idem nobis accidit, quod trochis, quos in orbem volvi, non autem progredi videmus, atque immotos, ut sic loquar, & impulsos rotari:* Hic ergo ludus est dæmonum, rotare, gyrare pauperculas animas: Peccatum peccavit Jerusalem, propterea instabilis facta est, velut trochus, velut fluctus maris, velut nubes sine aqua, & sicut sidera errantia, ut cum S. Juda Apostolo loquar.

Impius mare fervens. Isa. 57. v. 20. Hugo Card. hic Ioh. c. 41 v. 12. Hugo ubi sup. Isa. sup. *Ludus dæmonum.* S. Greg. 33. moral *Sunt cum trochis.* S. Greg. Nanz. Orat. 3.

IV.

Novimus siderum, & stellarum alias esse fixas, erratiles alias: Septem erratiles numerantur, septem scilicet planetæ. Interim tamen licet hi planetæ circa Zodiaci signa moveantur, & quasi oberrent, nihilominus ita regulato & constanti cursu moventur, ut homines perversi, & instabiles, planetarum nomine vocari non mereantur; bene Cajetanus per hæc errantia sidera, non planetas cœlestes, sed meteora, & exhalationes igneas intelligit, quas Aristoteles vocat stellas discurrentes in aëre, quæ nullum constantem habent motum, & consumptis per ignem vaporibus & exhalationibus, moveri, lucere, & esse desinunt. *Stellæ erratiles.* *Ignis fatuus.*

Vapores & exhalationes noxiæ

xiæ sunt concupiscentiæ, quæ in anima peccatrice accensæ, ex ea meteorum igneum, & ignem fatuum, & erratilem efficiunt, qui vago & instabili motu circumagitur, & ipsam etiam animam, instabilitate motam, accendit, & febriles in ea alterationes commovet.

Febris, ut in homine morbus frequens, ita instabilis est, diversis humorum alterationibus variabilis; hinc est, quòd febricitans frigore tertianæ concussus, mox caloribus inflammetur, quibus exæstuans siti inusitata affligitur, nunc aquam, nunc vinum, nunc cerevisiam appetens, nunquam tamen satiandus, affuso autem vino magis succendēdus. Inter hos exæstuantis febris calores, delirare incipit febricitans instar phræne tici fremere. Sedatis paulatim calorib⁹, ex paroxismo respirat æger, & propitio altero illucescente die, æstuantes febriliū procellarū mot⁹ sedantur; sed nullā stabilitas: benigniori enim diei mox succedit Chryticus, duplicatis ægrum frigoris, & caloris alternis alterationibus concutiens.

Febris est morbus varians.

Luc. 4. v. 38.

Ejusmodi febrili, & vehementi quidē alteratione affligebatur socrus decrepita D. Petri: *Tenebatur magnis febribus*: Sed (si ad moralem doctrinā progredi lubet) quænā hæc seniçula febricitans? *Persona iracundiæ calore, & concupiscentiæ laborans*, respondet Lyran. O infelix febricitans! O instabilis affectus! In quo alternis diebus alterni sibi paroxismi succedunt; licet una fortè die iracundiæ, vel concupiscentiæ motus quievisse æstimetur, mox novi superveniunt paroxismi, & concertatio inter irascibile & concupiscibile, quibus anima peccatrix & instabilis æstuat, sitiens sed sitim extinguere non valens, subinde fatuo hoc igne modicè suppresso, frigore concutitur anima, & amor & concupiscentia, erga illam, quam amaverat, personā, refrigescit, sed mox alius accenditur febrilis æstus erga aliam, & aliam creaturam; ut sic *ad nimium calorem transeat ab aquis nivium*, & rursus à calore nimio ad frigus, tenetur enim magnis febribus peccatrix anima, quæ dum peccatum peccavit, instabilis facta est, & propriæ instabilitatis motu concussa, quietem non invenit & instar febricitantis, de frigore in calorem, de calore in frigus versatur, & volvitur, quietem quæsitura, quam tamen invenire inter variantes creaturarum inconstantium amores nequit.

Lyranus hic.

Job 24. v. 19.

Quod etiam probè observat V. Cornelius: *Peccator post peccatum voluptatem habitam fastidit, & aliam quærit, quam cùm paulò post evanidam*

Corn. Thren. 1. v. 8.

Peccator desideria, & fastidia variat.

dam videt, pari modo fastidit: & ita ad aliam semper abit, emitto amans, mox nauseans; sicque inter alternantia desideria & fastidia, quibus continuò jactatur, miser vagatur, & oberrat, quærens requiem, & non inveniens. Peccatum peccavit Jerusalem, propterea instabilis facta est, à Deò, firmamento, & centro suo recedens.

Prov. c. 2.

Non parum arguit Regum sapientissimus eos, qui ex animi instabilitate locum, sedem, & domicilium mutare consueverunt. *Sicut avis transmigrans de nido suo, sic vir, qui dereliquit locum suum.* Quietior nusquam, nusquam securior avis est, quàm in nido suo, nam mox, ut è nido suo migrans, vagabunda inter frondium umbras, de ramo ad ramum saltitat, & dulci se modulatione exhilarans, ad inferiora migrat, aucupum retibus, & laqueis innodatur, aut escas, muscásque venatura fatali globulo traiicitur. Haud minori se periculo & infernalium aucupum insidiis se exponit anima instabilis, pro captandis vanitatum muscis nidum, & locum suum (ubi securè quiescebat) deserens.

Avis secura in nido.

Exterius obnoxia laqueis.

Blosius Instit. spir: c. 5.

Sed quisnam animæ nidulus & locus naturalis? Egregiè & breviter huic quæstioni occurrit devotus Ludovicus Blosius, *naturalis locus animæ, Deus, in quo solo illa quiescere potest.* Communi Physicorum axioma est, quòd *locus conservat locatum*, & omnia corpora naturalia, maximè simplicia, scilicet Elementa in naturali suo loco æquè conservantur, ac quiescunt. Ignis in naturali sua sphæra & loco, sub concavo lunæ, quietus non solùm subsistit, nullum esuriens alimentum, sed etiam securus conservatur, nullatenus aut in colore, aut splendore diminuendus, aut extinguendus. Sed mox ut ignis, ad inferiora demissus, sphæram suam deserit, jam inquietus, & insatiabilis, vicina quæque depascit, omnia in cineres redigit, inquietudine suâ ita hominibus odiosus, ut hi erumpentibus flammis copiosâ aquarum affusione supprimendis, & extinguendis studiosè invigilent.

Locum naturalis

anima, Deus.

Locus conservat locatum.

Ignis in sua sphæra quietus

Aër in sua sphæra & regione, quietus & incorrupt', cùm subterraneis recessibus includitur, vel corrumpatur vel ipse violento terræ motûs impetu erumpat, necesse est. Aqua loco, & naturali fluxu suo gaudens, quieto cursu ad mare devolvitur, sed obstaculis à fluxu suo naturali præpedita, pontes, & mœnia subvertit. Terra in centro suo immobilis stabilis & quieta, si in sublimè violentè tollatur, magno fragore ad centrum suum recidens, obvia quæq; conterit, & confringit: præterquam quòd exha-

Sic & aër

Aqua.

Terra in suo centro stabilis.

exhalationes terræ à solis calore extra suam sphæram & in secundam aëris regionem sublevatæ, & cum humidis, & frigidis nubibus collisæ, formidandos turbines, & tempestates excitent, violentâ tonitruorum & fulminum concussione in terram dejiciendæ. Ut verbo absolvam, Elementa omnia extra naturalem locum suum inquieta, & ad interitum prona, ea tamen in naturalibus suis sphæris & centris locata, locus conservat.

VI. Naturalis animæ locus (uti audivimus) Deus est, quamdiu in hoc suo nidulo, & loco secontinet anima, secura, & quieta subsistit, nam locus conservat locatum; Quatuor primariæ passiones, scilicet ira, concupiscentia, tristitia, gaudium, tanquam quatuor elementa, nullis inter se miscentur conflictibus, sed tanquam in centro suo, & naturali loco, stabili tranquillitate conservantur, quamdiu anima manet naturali suo loco, nempe Deo affixa. At quàm primùm cum passionibus suis de naturali loco (Deo suo) recedit anima, mox ignis iracundiæ succensus, depascit animæ splendorem, rationem obscurat; terrea melancolia tristitiæ, mixta humore colerico, tempestates excitat, & rixas. Illicitæ concupiscentiæ & voluptates, honestatis limites & terminos violento impetu evertunt, hinc inde incerto se cursu effundunt, & inani spe intercluſus gaudiorum aër erumpit, totúmque naturæ ordinem, & internam animæ quietē ita perturbat, ut instabilis facta, meritò deplorare debeat, quod sicut avis de loco suo migraverit: *Cæperunt me, quasi avem, id est, instabilem*; glossatur Cardinalis à S. Caro. Dum, velut avis instabilis, passionum mearum, & concupiscentiarum levitate de nido & loco, Deo suo, avolavi; peccatum peccavit Jerusalem propterea instabilis facta est. Thren. c. 3. v. 52. *Capitur sicut avis*

Anima in Deo quiescens.

Non sentit motus passionum.

Deo ei redians.

VII. Melius ergo cum patiente Job anima firmiter loco & nidulo suo naturali adhærere proponit: *In nidulo meo moriar.* Nidus enim proprius & locus animæ est Deus; Mihi autem adhærere Deo bonum est: In isto nidulo & loco, quietè agit anima. In nidulo *in tranquillitate pacis* (exponit Interlinearis) moriar: Job. c. 29. v. 18. Psal. 72. v. 27.

In nidulo suo avis secura est, quem tamen non in quovis loco, non in quavis arborum fronde, sed in loco inaccessibili, & firmo ponere debet. Peccatores in quovis pariete, aut trabe, sicut hirundo, ex luto sibi faciunt nidum, *qui habitant domos luteas.* *Domus autem luteas inhabitant* (subnectit glossa moralis) *qui terrenis negotiis, ad peccandum indu-* *Nidum in securo loco ponendus.* Iob c. 4. v. 19. Glossa Morab.

inducentibus, vacant. Clarius Hugo: *Domum luteam habitant, avarus, guloſus, luxurioſus, quibus dicitur Apoc. 8. Væ, væ, væ, habitantibus in terra.* Væ hominibus, qui alaudarum, & coturnicum more habitant in terra, & in terra ponunt nidum ſuum: vel in quovis ligno frondoſo nidificant, & locum ſuum ponunt, in quos per Jeremiam invehitur Deus: *Sub omni ligno frondoſo, & proſperitatis umbra, tu proſternebaris meretrix.* Non enim hi in loco ſecuro, & ſtabili ponunt nidum ſuum, facilè ab infernalibus venatoribus diſturbandi, aut capiendi: *venatione ceperunt me quaſi avem*, inſtabilem.

Domus lutea, ſunt voluptates. Jerem. c. 2. v. 20.

Qui ergo ſecurus eſſe volet, & ſtabilis, in firmiori & altiori loco nidum ponat, ſicut aquila: *Nunquid ad præceptum tuum elevabitur aquila, & in arduis ponet nidum ſuum; in petris manet, & in præruptis ſilicibus commoratur, atque inacceſſis rupibus.* Hîc utique ſecura habitat aquila, inacceſſo tuta nido, & loco. Moraliter aquila ſublevatur, *quando vir ingenioſus ad Dei contemplationem ſublevatur*, ait gloſſa moralis: & in arduis ponit nidum ſuum, *quando ejus amore firmatur.* In petris & inacceſſis rupibus manet.

Aquila in petris nidificat. Job c. 39 v. 30.

Gloſſa Moral.

In hiſce petris, & rupibus illa nidificabat columba, quam vocat cœleſtis ſponſus: *Veni: Columba mea in foraminibus petræ, in caverna maceriæ.* Hugo cenſet hîc non notari terminum *à quo* ſed *ad quem*, ac idem eſſe, acſi ſponſus dicat: *Veni in foramina petræ.* Idem ſentire videtur Origenes: *Addit hoc, ut oſtenderet ei locum, ad quem venire debeat.* Nempe in foramina petræ, in iis ſtabilem inventura locum. Per foramina petræ, intelligit gloſſa Interlinearis cum aliis expoſitoribus *vulnera manuum & pedum Chriſti*, per cavernam maceriæ *vulnus lateris*: Petra autem dicitur Chriſtus, *qui eſt ſtabile fundamentum.* O Anima ſi ſtabilis eſſe deſideras, ſtabile require fundamentum in Petra, ibi nidifica, nempe in vulneribus Chriſti, qui eſt ſtabile fundamentum. *In foraminibus pedum nidificat* (uti Hugo teſtatur) *qui piè & devotè pro amore & honore ejus pedes ſuos ſanctis greſſibus peregrinando, ſive aliter ambulando exercet... Item qui pedes veteris ſui hominis* (id eſt, affectus) *in cruce pœnitentiæ vel diſciplinæ configunt clavo timoris, & clavo amoris... Similiter in foraminibus manuum nidificant, qui opera manuum ejus tam creationis, quàm recreationis piâ fide, & congruâ devotione recognoſcunt; Item qui manus ſuas propter ipſum largitate piâ, & largâ pietate perforant. Item qui ſimilia Chriſto, pati & facere pro honore ejus, & ſalute fratrum parati ſunt. Similiter expone de caverna maceriæ*, concludit

Hugo hic

Origenes hic.

Sic & columba in foraminibus petræ

Petra & fundamentum Chriſtus.

Gloſſa Interl.

Quid ſit nidificare

Hugo hic

In pedibus Chriſti

In manibus.

VIII. Cant. 2. v. 14.

dit Hugo, in hac nidificare videtur, anima, quę contemplationis & amoris vi, se totam in amorosum Christi cor, & apertum latus recondidit. Felix igitur anima, quæ hunc sibi nidum & locum stabilem invenit, nullis instabilitatis varietatibus, & inquietis motibus obnoxia: *In nidulo meo moriar.*

Huc ergo veni, huc vola anima instabilis, quæ hactenus in domibus luteis terrenorum affectuum, & in ligno frondoso sensualium deliciarum instabilis nidificasti, lascivis saltibus de voluptate in voluptatem, de peccato in peccatum transiliens, quia nusquam in iis stabilitatem invenire potuisti. Quomodo enim cor hominis instabile, & insatiabile, in creatura vana & instabili stabilitatem habere potest? Quomodo non cor instabibile, mille exæstuantium desideriorum inquietudinibus agitari necesse est? veni ergo columba mea, sicut avis transmigra de nido tuo luteo, frondoso vano & instabili, & in foraminibus Petræ nidifica, in Christi vulneribus, tanquam stabili fundamento, & eris stabilis, firma, & quieta; stabilis in gratia, imperturbabilis in gloria, & gaudiis æternitatis,

Amen.

DISCUR-

DISCVRSVS XVII.

Teth.

Sordes ejus in pedibus ejus, nec est recordata finis sui. *Thren. 1. v. 9.*

DE ECCLESIA.

Deplorat, Christianos non amplius erubescere de sordibus peccatorum.

I. QUi per lutosam incedit viam, lutum utique & sordes in pedibus contrahit. Sanctè discipulis inhibuit Christus ad prædicandum missis: *In viam gentium ne abieritis*, cùm enim esse debeant *speciosi pedes Evangelizantium*, in sordidam gentium viam Discipulos dimittere Christus noluit. Per hanc autem lutosam & sordidam gentium viam Hugo Cardinalis intelligit *opera, & vitam gentilis ignorantiæ*, cui Glossa moralis consentit, in viam gentium ne abieritis, *id est, modum vivendi eorum ne tenueritis*. Quod etiam ad hæreticos extendit glossa ordinaria, *ne simus* (inquit) *similes hæreticis*, ut eorum opera, & vitam sordidam teneamus.

Math. c. 10. v. 5. Rom. c. 10. 15. *Viagentium,*

Est modus vivendi gentium.

Glossa moral.

Glossa Ordin.

Sed deplorat, prô dolor, afflicta mater Ecclesia, quòd sordes adhæreant nimiæ pedibus Christianorum, qui viam, & vitam gentium, & hæreticorum terentes, & vocationis, finísque sui immemores, de sordibus peccatorum erubescere desierunt. Sordes ejus in pedibus ejus (plebis Christianæ) nec est recordata finis sui.

Sordes & viam gentium tenent Christiani.

II. Gloriantur summopere filij hujus sæculi, si stirpem & prosapiam suam ex nobili & illustri heroum sanguine noverint deducere; quin imò subinde mun-

Christiani dicti

di Monarchæ facilè sibi persuaderi patiebantur, se divûm sanguine satos esse, prout Poëta ille Romano Cæsari accinuit: *Sate sanguine divûm.* Sed cessetjocari fabulosa gentilitas, Christianos, *sanguine Dei, sanguine Christi* satos esse non dubitet, quorum genus à sanguine, & nomine Christi derivatum est: *Ipsius enim & genus sumus*, testatur Apostolus, *Genus ergo cùm simus Dei*, & Christi, Dei filij, etiam dignos nobilitate, progenie, & nomine nostro mores induti erubescamus, si sanguinem & prosapiam nostram, tanquam degeneres filij, sordidâ vitâ maculemus, ore clarum Christiani nomen, & pedibus gentilium sordes circumferentes. Optimè ad memoriam nobis revocat Doctor Mellifluus Christiani generis, & nominis professionem; *Christiani à Christo nomina acceperunt, operæpretium ergo est, ut, sicut sunt hæredes nominis, ita sint imitatores sanctitatis.* Nec se Christianos profiteantur, nisi etiam mores & vitam Christi assumpturi, in cujus imitationem in sacro Baptismatis fonte jurârunt. Quare gravibus hisce verbis Christianum quemvis S. Thomas de Villanova compellat: *Professio tua altissima est; si eam bene consideres, ut credo, totus contremisces.* Et inter alias ab Ecclesia in sacro baptismate usitatas cæremonias etiam ad mentem revocat: *Indutus es veste candidâ, & dictum est tibi; accipe vestem candidam, immaculatam, quam præferas ante tribunal Christi, per quam designatur innocentia baptismalis.* Sed (bone Deus!) quomodo Christiane cum veste hac ante severum judicis tribunal comparere præsumis? quia (uti præfatus auctor monet) *Vestem illam sæpius sordidasti, polluisti cœno, & sanguine conculcâsti, & concidisti fide mortuâ.*

à Sanguine, & non à nomine Christi.

Act. 17. v. 28.

Genus Dei sumus.

S. Bernard *Hæredes nominis Christi, & vitæ.*

S. Thom. Villan. Dom. 3. Advent.

Vestibus baptismalis.

Polluit sordes peccatorum.

O afflicta mater Ecclesia, inspice vestem hanc baptismalis innocentiæ, *vide utrum tunica filii tui sit, an non?* Utique, *tunica filii mei* (Christiani) *est*, sed sordidata, polluta, sordes ejus in pedibus ejus, Hebræus legit, *in fimbriis ejus.* Summè persona nobilis, maximè autem matrona erubesceret, si vestem sordibus, luto, imò & stercore pollutam circumferret, tanquam sus in volutabro versata; magnam utique pœnam, & dolorem faciliùs passura, quàm in publicum sordidis & fœtentibus ejusmodi vestibus in hominum conspectum processura.

Gen. c. v. 32.

III.

Erubescebat olim plebs Christiana vestem innocentiæ baptismalis peccatorum sordibus maculatam circumferre, indignum Christiano nomine ejusmodi sordidatum æstimans. Christianum se olim profitebatur,

tur, (vel potiùs simulabat) ingratũ, & vile nobilissimi juvenis Romani Tiburtii mancipiũ, Torquatus, proprij sui domini, apud judicem gentilem, proditor: à Domino ad Christianorum vitam se adductum conquestus. Sed quænam hujus egregij Christiani vita erat? *Edebat, bibebat, & vomebat,* uti de ipso zelosus Christianæ fidei propugnator, Tiburtius, testabatur, indignum proinde hominem, hunc vitiis sordidatum, Christiano nomine judicabat, hisce verbis (inter acta S. Martyris Sebastiani per Baronium annotatis) judicem interpellans: *Credisne Vir Illustrissime hunc esse Christianum? Qui in suo lenocinio moliendo capitis fimbrias admittit? Qui tonsorem diligit? Qui scapulis molliter gestit? Qui fluxum gressuum improbo nisu distendit? Qui fœminas curiosiùs intuetur? Nunquam tales pedes dignatus est Christus habere servos.*

Torquatus ob malos mores

Baron. An. 286. n 19. & 27.

Indignus æstimatur Christiano nomine.

Et quid apud modernos nostros Christianos usitatius, quàm edere, bibere, inebriari, & vomere? Quid communiùs in nostris gynecæis, quàm caput fimbriis, totúmque corpus immoderato vestium luxu pretiosissimè & vanissimè non solùm exornare, sed etiam nudum pectus prostituere? Et majorem diei partem in mundo muliebri conquirendo terere? Quis virorum non tonsorem diligit, adaptandæ pro moderno usu barbæ, & concinnandis capillis? Quis fictâ cæsarie calvitiem, aut aliàs incultos, crines contegere erubiscit? Quis non nobilium fluctuante corpore & pede generosum gressum fingit, & distendit? Quis à mulierum vanitate avertere oculos didicit? Imò quis nobilium non erubescit, non curiosos, non protervos, & impudicos gerere oculos? *Nonnihil quàm Iudæus, vel paganus sæculi pompas, & divitias perquirit, mundo non Christo vivit, & in mundialibus negotiis & gaudiis, quasi totam vitam tuam expendit,* ait S. Thom. de Villanova. Et tamen hos modernus sæculi nostri status Christianos, & Christi servos compellet? Et de quibus olim erubescebat plebs Christiana, jam usu, & inolitâ consuetudine erubescere dedidicit. Nam (teste Villanovâ) *Quia majori ex parte sic vivitur, multitudo peccantium, pudorem peccandi admit.*

Corrupti mores Christianis communes.

S. Thom. Villan. Dom. 3. Adv.

Villan. Dom. 3. Adv.

IV. Sed quid de vanitatibus dico, quæ apud utrumque sexum tale sumpsêre incrementum, ut apud matronas, & viros Ethnicos, & gentiles in veteribus monumentis ita invaluisse, quisquam se legisse vix meminerit, magis de alijs enormitatum sordibus, & sceleribus loquamur, si enim sæculi moderni impudicitias & ardorem luxuriæ consi-

deremus, eæ in primarijs Christiani orbis partibus ita usitatæ, ut vix ampliùs aut uxor aut maritus de violato conjugij jure erubescant, sub amicitiæ, comitatis, & lusûs titulo pudere docti, multitudine peccantium pudorem peccandi adimente. *Frons mulieris meretricis facta est tibi, noluisti erubescere*, exprobat Synagogæ idololatranti Jeremias Propheta, eò quòd instar meretricis de turpitudine sua erubescere jam desierit.

Erubescere desierunt.

Ierem c 3. v. 3.

Eadem planè meretricis frons ut plurimùm facta est plebi Christianæ, quæ de peccatorum sordibus erubescere erubescens, etiam in peccatis gloriari non veretur; Nonne gloriantur milites & nobiles equites de duellis, & vindictis contra hostes sumptis? Nonne gloriantur passim helluones, *potentes ad bibendū vinum, viri fortes ad miscendam ebrietatem?* Nonne gloriantur avari in pecuniis & divitiis malè conquisitis, & oppressores pauperum de thesauris ex pauperum sudore & sanguine expressis? Nonne blasphemi de horrendis in cœlum fulminatis blasphemiis? An non impudicissimi homines de violato concugis thoro, de corruptâ virginum gloriantur pudicitia? Frons meretricis facta est illis, nolunt erubescere amplius, imò verò, cùm erubescere oporteret, ob multitudinem delinquentium gloriantur.

Isa. c. 5.

Gloriari in malo

Meritò contra hujusmodi insurgit Propheta regius: *Quid gloriaris in malitia, qui potens es in iniquitate? Quasi diceret* (notat Cardinalis à S. Caro) *hæc est magna dementia: Sicut si aris gloriaretur in laqueo, aut piscis in hamo, quo captus est.* Magna utique dementia, si maleficus captivus, in vinculis & compedibus ferreis, si leprosus de lepræ suæ immunditiis, tigris de maculis, æthiops de sua nigredine, si sordidatus in vestium suarum sordibus, tanquam in vestitu deaurato gloriaretur, magna planè hæc est dementia, aut potiùs proterva præsumptio, non tantùm non erubescere, sed etiam gloriari de malitia. *Et quomodo* (subnectit præfatus auctor) *liceret gloriari in malitia, cùm non liceat gloriari in sapientia, vel divitiis, vel fortitudine?* Quid ergo de peccatorum sordibus gloriari audent sordidi peccatores? *gloria eorum, stercus & vermis.* In sordibus ergo & stercoribus suis, sicut sus in volutabro versata, gloriantur, cujus contactum, & fœtidas sordes quivis sanæ mentis exhorret: gloria eorum stercus, & fœtor. *Non adjicies ultra, ut glorieris.* Graviter nobilissimæ Solymorum urbi sordes exprobrat Ezechiel Propheta: *Sordida nobilis, grandis interitu.* Idem hodie de plebe Christiana deplorat Ecclesia: O plebs Christiana! Sordida nobilis, *quia* (uti exponit

V. Psal. 51. v. 1. Hugo hic

Dementia magna gloriari in peccatis.

1. Mach. 2

Isa. c. 23. v. 12. Ezech. c. 22. v. 5.

Plebs Christiana est sordida nobilis.

Hugo hic

ponit Hugo) *de nobilitate paupertatis, cecidit in sordes abundantiæ temporalis.* Vel sordida, *in vitijs, in iniquitatibus*, nobilis, *propter regalia quæ habet, & quia in nobilibus personis secundùm carnem abundat modò*: Sed sordida est *propter varia peccata*: Est ergo plebs Christiana, sordida nobilis, sed grandis interitu, id est, *paratus est tibi grandis interitus*, explicat Lyrā.

Lyranus hic.

VI. Erubesce ergo sordida nobilis, plebs Christiana nobilissima, sata sanguine divûm, sanguine Christi, sed sordida in

Isa. c. 23. v. 4. peccatis, erubesce de sordibus tuis. *Erubesce Sidon, ait mare*, id est, Tyrus munita, in mari sita. *Erubesce clerice*, ait mare, *id est, laicus melius vivens*, glossatur Hugo: vel Erubesce Sidon, *id est, Prælate negligens*, ait mare, *id est, subditus diligens.* Vel erubesce Sidon, *claustralis torpens*, ait mare, *sæcularis pœnitentiam faciens.* Vel erubesce Sidon, *barbate comedens*, ait mare, *puer abstinens.* Vel erubesce Sidon, *id est, peccator*, ait mare, *id est, peccatum.* Erubesce Sidon, plebs Christiana, erubesce sordida nobilis de sordibus tuis, ait mare, id est populus infidelis, & gentilis, quia populus Christianus abiit in viam gentium, & modum vivendi infidelium: Unde altùm suspirans devotus Ludovicus Granatensis testatur: *Non ex operibus, sed ex templorum solummodo turribus nos agnoscere, quòd in Christianorum regionibus versemur.*

Erubescāt de sordibus Christiani.

Hugo Card.

Ex turribus colligimus nos esse in terra Christianorū.

Si quis enim pagum, villam, oppidum, civitatem ingrediatur modernis temporibus, tantam in verbis impudentiam, in moribus dissolutionē, in actionibus petulantiam, in incessu vanitatem experietur, ut dubitare non immeritò possit, num inter Christicolas moretur, cùm non nisi sordes peccatorū, & fœtidum vitiorum lutum publicè in plateis dispersum intueatur. Sordes ejus in pedibus ejus.

Non ex moribus.

VII. Exacerbati contra Jeremiam, ex veritatis odio, aulici regij, *tulerunt Jeremiam, & projecerunt eum in lacum ... in quo non erat aqua, sed lutum, descendit itaque Jeremiæ in cœnum*: ut nempe in eo præfocatus moreretur, ille verò usque ad collum mersus, ibi manebat, teste Josepho historico, donec per Abdemelech Eunuchum Æthiopem extraheretur. Jeremias repræsentat populum Christianum, vel peccatorem, quem dæmones miserunt in lacum, *vitiorum* scilicet, uti Interlinearis glossatur; Et tunc sordes ejus hærent in pedibus ejus, imò sordes in manibus, sordes in pectore, sordes in vestibus, sordes in capite, sordes in facie, sordes in oculis, sordes in auribus, sordes in lingua; Erubesce plebs Christiana, *sordida nobilis, grandis interitu!*

Jerem. 38 v. 6. *Christiani immersi cœno.*

Glossa Interl.

Si

Si homo vestibus, corpore & facie totus incedat sordidus, non solùm pudendus est, & fœtidus, sed neque dignosci ex habitu, & facie potest: *Et non sunt cogniti in plateis.* Christiani subinde peccatorum sordibus immersi non solùm inter domesticos parietes, & l acum hærent, sed etiam hosce sordidos habitus, pedes, ora, & facies in publicis circumferre plateis nõ erubescunt, & sunt cogniti in plateis, in tali sordido vitiorum habitu, non sunt cogniti, quòd Christiani sint.

Thren. 4 v. 8.

Non agnoscuntur

Narrat Baronius, S. Martyri Attalo cum bestiis certaturo, & in Amphitheatrum producto, tabellam fuisse prælatam, hisce verbis inscriptam. *Hic est Attalus Christianus*; Christiani subinde ad bestialem sordidam vitam à dæmone protracti, tam parum Christiani hominis faciem, & habitum gerunt, ut operæpretium foret, in publicum prodituris tabellã præferri, vel frontibus eorum inscribi: *Hic est N. Christianus.* Aliter enim pro Christiano non erit cognitus in plateis, sed potius infidelis, aut bestia crederetur, & sus è volutabro producta. Sordes ejus in pedibus ejus & in facie ejus: non est recordatus finis sui, nempe *Christi*, uti notat Hugo: *Finis enim legis Christus, ad justitiam omni credenti.* Finis ergo sui, id est, Christi non recordatur plebs Christiana, neque se sanguine Christi satam, & ejus nomine insignitam recordatur.

Baron. An. 179. n. 17

Nomen fronti affigendum foret.

Hugo Card. Rom. c. 10. v. 4.

VIII.

Ad hujus nostri nominis recordationem nos cum Isaia excitemus: *Tantùm in te recordemur nominis tui: à Christo, Christiani dicti*, subnectit Interlinearis. Cùm tamen diversam longè, & absimilem Christo vitam ducamus. Egregiè antistes Valentinas: *Christum non solùm non imitaris, sed omnino contrariè vivis: Christus in paupertate, tu in divitiis: Christus in humilitate, tu in honoribus fastis, Christus in laboribus, tu quæris delicias, Christus in doloribus, tu in voluptatibus implicaris. Totus adversus, totus Antichristus, & vis cum Christo regnare?* Christus puritatis amator, tu cœni inhabitator, Christus agnus sine maculâ, tu peccatorum maculis contaminatus, Christus odore virtutum te præcedit, in odorem trahens unguentorum suorum, & tu sordium tuarum fœtore respersus, agnum purissimum, sus in cœno volutatus sequeris, totus Antichristus, totus sordidus & fœtens; *& amplexati sunt stercora.*

Isa. c. 26. v. 13. Glossa interl.

S. Thom. Villan. Dom. 2. Advent. *Christiani vita Christi contraria Videntur Antichristi.*

Thren. 4.

Ergo saltem erubesce Sidon, erubesce sordida nobilis, plebs Christiana de sordibus tuis & ad pœnitentiæ fontem emundanda propera, lavanda in sanguine agni immaculati; En balneum

IX.

Pro sordibus nostris

neum tibi è proprio sanguine paravit Dei filius, surge, propera, sordida nobilis, expectate Dei filius *de stercore erigens pauperem. Psal. 112.* O sordida nobilis, grandis interitu, quæ neque, ut munderis, curas, tergum, non faciem ostendens puritatis fonti. *Immunditia tua execrabilis; quia mundare te volui, & non es mundata à sordibus tuis: sed nec mundaberis priùs, donec quiescere faciam indignationem meam in te:* Immittendo scilicet flagella, miserias, tribulationes angustias. Sed major omnium pœna hæc est, si sordidam plebem deserat Deus, eam in sordibus suis interire, & suffocari permittens: *Qui in sordibus est, sordescat adhuc,* & de sordibus peccatorum, in cœnum infidelitatis, & de hoc in lacum inferni demergatur.

Christus balneum paravit ex suo sanguine.

Ezech. c. 24. v. 13.

Mundari nolumus.

Apoc. c. 22. v. 11.

Ne igitur de malo gravi in gravius, de sordibus in profundum stercorum plebs Christiana, sordida nobilis, gravis interitu, devoluatur, hortatur nos Prædicatores sancta mater Ecclesia: *Docebitis ergo filios Israel,* (scilicet *populum*, juxta mentem Lyrani, vel *magistri subditos* secundùm glossæ Interlinearis expositionem) *ut caveant immunditias, mentis vel corporis:* addit Interlinearis; & quidem teste glossa ordinaria, *omne peccatum immunditia est animæ, ut non moriantur in sordibus suis,* sed ab his mundati, & purgati, mundi ad finem sum Christum pertingere, & sine macula ad immaculati agni nuptias, & gloriam pervenire valeant, quia *non intrabit in eam aliquod inquinatum.* Accedite ergo sordidi nobiles Christiani, *lavamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum,* excutite pulverem, & sordem de pedibus vestris, ut vel sic in gloriam immaculati agni intrare, & fine vestro ultimo, Deo, frui æternum valeatis,

Amen.

Levit. 15. v. 31.

Glossa Ordin.

Apoc. 21. v. 27.

Isa. c. 1. v. 16

DISCVRSVS XVIII.

Teth.

Sordes ejus in pedibus ejus, nec est recordata finis sui. *Thren. 1. v. 9.*

DE ANIMA.

Finis ultimus animæ rationalis est Deus diligendus & fruendus, quo neglecto anima multùm, imò toto cœlo aberrat.

1.

Certantes & currentes.

PRo præmio seu bravio *concertantes*, sive currendo, sive jaculando, ad suam metam accuratè, & finem intendunt, & se extendunt, Nam currens in stadio fixis semper oculis cursûs sui præfixum intuetur terminum, ad quem attingat; in equestri se ludo exercens, attentè in annulum vel caput, oculorum aciem retorquet, lanceâ, vel gladio figendum, quo adepto lanceam, confixo feliciter signo, ornatam, glorioſus vibrat. Jaculator intentissimo oculo in metam, seu scopum contuetur, nam singuli horum evanescente ex oculis scopo, aut signo, in incertum currentes, aut jaculantes, uti nec scopum, sic nec bravium attingent. In stadio currimus omnes, sed non omnes accipiunt bravium: Ex quo defectu? Quia non omnes ad scopum, signum, & finem suum præfixum intuentur, in incertũ currentes. Quod etiam de peccatrice anima conqueri videtur Propheta, *non est recordata finis sui*, dum in incertũ currens, è mente & oculis finem, & scopum suum evanescere sibi passa est. *Ergo sic currite*, finis vestri semper memores, *ut comprehendatis*. Quis autem sit iste finis, & scopus animæ nostræ, ad quem semper mentis oculis intendere debet,

Certum scopum intendunt.

Omnes currimus.

1. Corint. 9. v. 24.

bet, ex neglecto in vanum laboratura, & multùm aberratura, in præsenti breviter exponam.

II. Unus omnibus in stadio currentibus, & jaculantibus præfigitur scopus, aut signum, ad unum omnes. Æquè omnibus pro bravio cœlestis gloriæ concertantibus unus scopus proponitur. Porro *unum est necessarium. Ad unum omnes.* Qui extra hunc scopum ad alia se extendit, aut alijs intendit, in incertum currens, ab uno illo solo necessario aberrat, unde vagam & diversis intentam Christus interpellat Martham: *Martha, Martha, solicita es, & turbaris erga plurima*: Ad unum ergo, ut intendat, hortatur. *Porro unum est necessarium*: Et quod illud unũ, quod multis, imò omnibus præponendum est? *Ipse Deus: qui unus est*, respondet Lyranus: Iste ergo unicus est finis, & scopus, animæ nostræ, ad quem intuendum, & fruendum ipsa anima fuit creata: in quem finem etiam Christus nos dilexit: *Cùm dilexisset suos, in finem dilexit eos. Finis autem ultimus* (exponit hunc passum glossa moralis) *est beatitudo vera, quæ consistit in clara Dei visione, & fruitione perfecta.*

Luc. 10. v. 42.

Vnum necessarium.

Est Deus.

Ioan. c. 13 v. 1.

Glossa moral.

Singulæ Creaturæ diversos habent fines.

Aliæ creaturæ, & præsertim animalia ad alios, & diversos sunt creata fines, & officia: uti egregiè observat S. Thomas de Villanova: *Habent omnia sub sole, destinata, & propria officia, quibus exerceantur, & nihil penitus in toto orbe otiosum. Cœlum voluitur, astra lucent, sol irradiat, terra germinat, plantæ pululant, arbores fructificant, bruta quoque destinatis officijs homini deserviunt, alia portandis oneribus, alia colendis agris, alia custodiendis hæreditatibus, alia deferendis hominibus, sicut cuique à natura donata est habilitas, ita servit.*

S. Thom. de Villan Con. 3. de assumpt. *Et officia.*

III. Cùm ergo omnes creaturæ & animantia ad certum finem, & officium, in quo homini inserviant, sint creata, optimè infert memoratus antistes, *nunquid homo solus sine officio erit? Nunquid Domine vanè constituisti filios hominum? Absit, ut homo solus vanus sit. Quæramus ergo, quod sit officium hominis proprium? quid opus illud, in quod conditus est? Hoc enim scire, maximè hominem decet, ut illud exequatur, & impleat; Qui enim jumentis proprias actiones adaptat, suam ipse ignorare non debet.*

Quod officium & finis hominis.

Psal. 88.

Scire hoc, & exequi convenit.

Inquiramus igitur in singula hominum genera, quæramus agricolam, quod tuum, vir bone, officium? Quis finis vitæ tuæ? Arare, seminare, plantare, metere, pecorum agere curam & in sudore vultûs mei, vesci pane meo. Et quod tuum mechanice officiũ? Texere suere, filare ædificare, dolare, ferrũ tundere, limare &c. Et quod tuũ mercator officium? Emere, ven-

Artificũ quis finis?

dere, de regione in regionem, de nundinis ad nundinas transire, prout mercatores, *planetæ urbium* olim appellari consueverunt, qui tanquam stellæ erratiles nusquam fixam habent sedē. Et quod vestrum officium nobiles, & magnates? Regere, militare, reipublicæ gubernationi intendere. Et vestrum literati? Scribere, docere, advocare, &c. Verùm quidem est, quod ad statum naturæ lapsæ hęc officia pro conservanda republica requirantur, non tamen hæc sunt officia, & finis ultimus, ad quem creatus est homo; Nam omnia hæc in statu innocentiæ originalis (in quo creatus est homo) erant supervacanea, sicut igitur non ad statum naturæ lapsæ Deus creavit hominem, sic nec ad ea officia solùm, & functiones, quæ istum statum consequuntur. Tam stupida igitur est creatura humana, ut non recordetur finis sui.

Cornel. in Epist. Iudæ. v. 13.

Magnasum?

IV. Si ex aliis quæras, ad quod officium, & finem creati sint? Ad comedendum & bibendum, ad divitias & delitias, se creatos certò sibi persuadebunt. O verè *gens sine consilio, & absque prudentia!* Agnoscebat gentilis Seneca, vel ex solo naturæ lumine, non se ad tam vilia natum; *Major sum; & ad majora sum natus, quàm ut vile manciptum sim sensuum meorum.* Brutorum animalium iste finis est, & officium, non hominis, & quidem inter omnia animalia bruta nullum porco dejectius, cujus Lanctantius graphicè describit fœditatem, & immunditiem. *Est enim* (ait ipse) *lutulentum hoc animal, & immundum: nec unquam cælum aspicit, sed in terram toto & corpore, & ore projectum, ventri semper, & pabulo servit.. Nec alium, dum vivit, præstare usum potest, sicut cæteræ animantes, quæ vel sedenti vehiculum præbent, vel in cultibus agrorum juvant, vel plaustra collo trahunt, vel onera tergo gestant, vel indumentum exuvijs suis exhibent, vel copia lactis exuberant, vel custodiendis domibus invigilant, &c.*

Epicurei pro fine habent voluptates. Seneca.

Lactant. l. 4. c. 17.

Sus abjectissimum animal.

Homines rurales & mechanici, qui (fine ultimo neglecto) ad laborem solùm se natos & creatos æstimantes, hunc finem suum esse sibi persuadent, laborioſi equi, bovis, aut cameli, &c. similitudinem induerunt, *facti sicut iumentum ante te.* Sed qui finem suum præcisè in carnis voluptatibus, & mundi deliciis ponunt, non honestius, quàm porci nomen merentur, sordidi & lutulenti. *Sordes eius in pedibus eius, non sunt recordati finis sui.* Hi enim porcorum instar toto corpore & ore in terram & cœnum projecti, ventri semper & gulæ servientes, alium nec sibi, nec proximo usum præstant, neque cœlum aspiciunt, porci propriè

Epicurei sunt porci.

Epicu-

Epicurei vocandi. Et sordes in pedibus eorum.

De porcorum natura non minùs amaro scribit animo Plinius: *Animal hoc maximè brutum, animámque ei pro sale datam, non illepidè existimatur.* Nec minùs Epicurei porci, animæ suæ dignitatem non agnoscentes, eam sibi pro sale, qui carnem à putredine conservat, datam æstimant; Sicut enim caro deficiente sale putrescit, sic carnis & corporis sui defectum & putredinem deficiente anima sequi putant, adeóque sicut corpus ad delicias carnales, sic animam ad corpus à corruptione conservandum, creatã esse sibi imaginãtur, ut potentias suas nutritivam, generativam, & sensitivã exercere valeant. O bestiale, ô brutũ hominum genus, quod sordibus immersum, non recordatur finis sui, nec dignitatem hominis agnoscit, ad imaginem, & similitudinem divinam creati, *in cujus faciem inspiravit Deus spiraculum vitæ*, sive (ut cum Ambrosio, Augustino, Chrysostomo, & Lyrano loquar) *spiraculum Deiformæ vitæ*, scilicet rationalem animam, quæ spiret ad Deum, ad cœlum, & cœlestia.

Plin l 8. c. 51.

Anima est porco pro sale.

Notat etiam Cornelius, quòd sicut unima habet in se imaginem Dei, sic corpus *in se habet imaginem cœli*: Caput nostrum sex ossibus compaginatum, in similitudinem cœlestis sphæræ, rotunda concavitate formatum est: oculi, tanquam duo lucentia sidera, corporis tenebras illuminant. Quare meritò erectam homini staturam, Deus esse voluit, cùm cœli imaginem habeat. Os homini sublime dedit, cœlúmque tueri jussit. Quemadmodum autem corpus, & facies, ita & anima sursum erecta esse debet. *Notandum*, (ait Doctor Angelicus) *cùm homo habeat figuram corporis erectam, ad cœlum, si anima non erigeretur ad contemplationem cœlestium, videretur corpus esse nobilius animâ.*

Cornel. Gen. c. 1. v. 7.

Homo cœli non terræ speciẽ refert.

S. Thom. in Comment. super Boëtium. l. 5. metro. 5.

Sicut ergo homo non graditur supra pectus suum, & terram commedit, velut serpens à Deo maledictus, neq; instar aliorum animaliũ os in terrã demittit, nec in cœno volvitur velut sus in volutabro, sic nec ad brutorum animaliũ sensuales appetitus, & terrena desideria, sed ad altiora, cœlestia, & divina creatus est. *Naturam rationalem ad hoc solum esse factam, ut factorem suum verum Deum intelligat* (asserit Seraphicus Doctor) *intelligendo diligat, diligendo, in eo, qui est æterna vita, æternaliter permaneat, & beatè vivat.* Iste, iste finis tuus, ô creatura nobilissima, ô homo, Deiformi spiraculo vitæ, animate: In hunc finem, & in hunc scopum totis animæ viribus intendas necesse est, hoc

Gen c. 3.

Homo erectus.

S Bonav. de 7. l. in æternit. in prologo.

Vt ad Deum se veritat, intelligendo.

& diligendo.

unum enim est necessarium, quid ergo solicita es ô anima, & turbaris erga plurima? Relinque plurima, desere varia, contemne omnia, & unum dilige, unum quære, unum appete, quia unum est necessarium. *Una uni*, clamabat magnus contemplator Ægidius.

V. Hoc unum quærebat, & suspirabat Apostolus, (uti notat S. Thomas de Villanova) dum ad Philippenses suos scribit: *Unum autem, quæ quidem retrò sunt, obliviscens, ad ea verò, quæ sunt priora extendens me ipsum.* Unum autem, supple: *Necessarium est*, inquit Anselmus, vel juxta Chrysostomi mentem: *Unum hoc studeo, & ago, uni huic totus intendo*; Quid autem unum hoc sit, in sequentibus se verbis explicat, nempe quòd omnium, quæ retrò sunt, id est, *temporalium bonorum, & lucrorum* obliviscens, (uti explicat Angelicus) ad priora, id ed, *ad æterna*, se extendat, ait Hugo. Ad priora, id est, *cœlestia*, glossatur Interlinearis se extendens, *toto desiderio, tota intentione.* Dum ergo omnia, quæ retrò sunt, id est, *terrena* (juxta expositionem glossæ Interlinearis) Paulus relinquit, oblivioni dat, & contemnit velut stercora, ad priora solum, id est, cœlestia, & divina, & ad unum se totis viribus extendit, unum desiderat, & suspirat:

Philipp. 3. v. 13.

Vnum hoc quærebat Paulus.

Non utique tria, vel duo (notat Interlinearis hîc) *sed unum, quod verè est unum, in quo omnia bona.* Unum scilicet Deum intelligendum, diligendum, & æternaliter fruendum. Gl. Intcal

Hoc est unum illud necessarium optimum, (addit Villanova) *quod sancti Patres in eremo requirebant, qui relictis omnibus, quæ desiderari possunt, huic soli operi tam sedulò, & tam solicitè vacabant, ut grandem jacturam facere viderentur, si vel per horam ab eo cessarent. Defixis namque in cœlum oculis, eos ad ista terrena deflectere ultra nolebant*; Et demum hisce concludit verbis: *Sed nunc legendo, nunc orando, nunc meditando, nunc contemplando, velut è diversis locis in unum signum, cordis sui sagittas dirigebant.* Villan. Con 3. de assumpt. *Ab uno hoc nunquam se avertebant Sancti.*

VI. Hoc ergo signum, hic scopus, hic finis est hominis, quem semper præ oculis habere, & in eum omnes desideriorum suorum tela dirigere debet anima rationalis, in hoc solo, & uno fine & scopo quietem repertura. Hunc finem & scopum fixum, & stabilem qui negligunt, aliósq; fines & scopos inquirunt, nusquam finem & scopum suorum appetituum attingent, imò quò plures fines appetunt, eò minùs appræhendent & quietem invenient, à fine quæsito semper aberraturi: Ut verè sic anima, non recordata finis sui, & ab eo aberrans, cum gemitu exclamare

Alios fines quærens.

Vnum & verum nunquam attinget.

re

Thren. 3. v. 18. re debeat : *Perijt finis meus.*

Siquis (ad signum & metam missurus sagittam, aut globum plumbeum) oculo vitrum diversis incisum angulis, & apicibus præfigeret, non unum tantùm, sed denos, & vicenos præ oculis haberet scopos, & signa, & tamen explosurus bombardam, seu sclopetum, aut emissurus sagittam, nullum attingeret scopum, sed aberraret ab omnibus, nisi inter eos scopos unum & verum dignoscens in hunc solum intenderet, nam hoc uno & vero apprehenso, & adepto, omnes alios attinget. Applicat mentis nostræ oculis mundi vanitas quasi vitrum fallax, & deludens mentis oculum, quo tot nobis repræsentantur scopi & fines, quot desiderabilia appetitus noster objecta habere potest, unum tantùm necessarium & verum rationalis appetitûs objectum, summum scilicet, & optimum bonum animus sibi vel non proponit, vel ita obscurè, & confusè, ut istud inter diversas & falsas finium species non discernat, multò minùs intendat, fictas tantùm & vanas scoporum species venando, nec eos tamen apprehensurus, sed eò plus deludendus, quò plures attingere tentaverit. Quod probè insinuare videtur Doctor mellifluus. *Ita enim fit, ut per varia & fallacia mundi oblectamenta vagabundus animus, inani labore discurrens fatigetur, non satietur... Imò verò his anfractibus ludit secum vanitas, mentitur iniquitas sibi.* Currens enim ad finem apprehendendum, inter multos deluditur, & fatigatur. *Hoc ergo* (pergit Bernardus) *in circuitu impii ambulant, naturaliter appetentes, unde finiant appetitum, & insipienter respuentes, unde propinquent fini.* At quò magis appropinquare, & palpando finem attingere sperant, magis aberrant. *Perijt finis meus. Quamobrem* (subnectit porrò Mellifluus) *nõ beato fine consummari, sed consumi vacuo labore accelerant, qui rerum magis specie, quàm auctore delectati, priùs universa percurrere, & de singulis cupiunt experiri, quàm ad ipsum curent, universitatis dominum, pervenire.*

Thren. 3. v. 18.

Vitrum multiplicans obiectum

Vnum. & verum nõ invenit.

Aberrare facit à scopo.

Sit homo multos fines quærens,

S. Bern. de dilig. Deo.

VII.

Dum ergo circa omnia & plurima soliciti mortales vagantur, & hæc omnia, & unum illud necessarium, metámque suam, & finem amittunt, qui si unum illud optimum & necessarium intenderent, simul omnia apprehenderent, cum, & in illo, qui est unum, & omne bonum. Hoc autem negligentes, & à fine suo aberrantes, omnia perdunt, & quietem nusquam inveniunt: *Perijt finis meus.* Alij vertunt: *Perijt stabilitas mea*, &, ut Cornelius explicat, perijt stabilitas, vel finis meus, id est: *Non est, quòd deinceps sperem ullam quietem, libertatem*

Talis Perdit quietem & finem.

Cornel. hic.

tem, gaudium, aut consolationem: Et consequenter quia verum & ultimum bonum & finem amisi, perijt finis meus, *hoc est, nullus erit malorum meorum finis*, juxta præfati auctoris explanationem.

Sap. c. 5. v. 3. & 5. Errorem hunc suum, quo à fine suo aberrârunt, agnoscent, sed serò nimis, damnati in inferno, *præ angustia spiritûs gementes*, & exclamantes: *Ergo erravimus!* Erravim⁹ imprimis à fine & meta nostra, quam insensati proposuimus nobis: Erravi, clamat superbus Holofernes, & periit finis meus, & desiderium, totum orbem ditioni Assyriorum subjiciendi. Perijt finis meus clamat Absalon præripiendi patri meo coronam regiam: erravi & perijt finis meus, ingemiscit Antiochus, Judaicum populum, & Sancta Sanctorum penitus evertendi: Erravi & perijt finis meus, suspirat ex furca Amañus, Mardochæum cum tota Israëlitarum gente eradicandi. Erravi & periit finis meus, coacervandi divitias, lamentatur avarus; Periit finis, fruendi deliciis, vociferatur libidinosus; periit finis meus, honoribus potiundi, deplorat ambitiosus, periit finis meus & nullus erit malorum finis.

Damnati serò agnoscunt errorem.

Erraverunt à suis variis finibus.

Ergo erravimus! Et erravimus non tantùm à fine nostro vanissimo, quem intendimus, sed maximè à fine nostro ultimo, quem nunquam respeximus: Erravimus, & toto cœlo erravimus, erravimus, & in æternum, errorem nostrum corrigere non valebimus.

Erraverunt toto cœlo.

Ridetur jaculator, si à meta aberret, quæ circulum unius mensæ non excedit, & nos aberravimus toto cœli circulo, qui tot milliades milliarium in se continet: Erravimus à Deo, qui circulus est, cujus centrum ubique, & circumferentia nusquam, in quo vivebamus, movebamur, & eramus, & tamen erravimus ab hac meta, scopo, & fine nostro. O quàm pudendus! ô quàm enormis! ô quàm irreparabilis error! *Quid profuit nobis superbia, aut divitiarum jactantia quid contulit nobis?* Semper illam, tanquam finem insequebamur, nec tamen plenè consequebamur: *Transierunt omnia illa, tanquam umbra*: Periit finis noster vanissimus, & ereptus est nobis finis noster ultimus, & præcelsissimus: & sic periit omnis finis noster, ab omnibus, & à toto aberravimus. Perdidimus, quicquid à mundo speravimus, & meritò cœlum denegatum est, quod insensati nos, tam parui æstimavimus. Ergo erravimus: Ergo erravimus.

Pudendus & enormis error.

à cœlo, & Deo aberrare.

Sap. c. 5. v. 8.

VIII.

In bello (ut commune fert proverbium) non licet bis errare, sed nec à cœlo & Deo bis errare licet: Qui semel erravit, &

Non licet bis errare.

& aberravit, æternũ erravit. Verùm quidẽ est, quòd multi *peccatores .. erraverunt ab utero*, sed postea pœnitentiâ ducti, errorem suũ correxerunt, oculos mentis ad unum, & optimũ finem, & scopũ dirigendo; sed si in ultimo puncto, à gratia finali aberratur, tunc æternùm erratur, tunc actum est: Periit finis meus, & nullus erit malorum finis. Psal. 57. v. v. 4.

Recordare igitur (ô Anima!) finis tui, & siquidem ab eo hactenus, in plurima, distracta aberrâsti, converte aciem mentis tuæ ad unum, & necessarium finem, Deum tuum, diligendum & fruendum. Nauta in alto mari jactatus, quamdiu errantia tantùm respicit sidera, nunquam attinget portum, sed fixum semper contemplatur polum, qui si ex oculis evanuerit, duce magnete illum inquirere non desistit, nunquam eo reperto aberraturus. In tumultuoso hoc mundi pelago jactatus, ô homo, noli sequi errantia vanitatum sidera, sed polarem, & fixam respice stellam, Deum tuum, à quo si aberraveris, divinam implora gratiam, quæ tanquam magnes te diriget ad Polum, finem tuum. Quare ergo finem hunc, cum patiente Propheta sedulò recogita, *quis finis meus, ut patienter agam?* Hunc tibi finem per dies ac noctes oculis tuis propone, in omnibus locis, & negotiis, hunc finem intende, in hunc omnes cordis tui sagittas dirige; Divinam, in hunc finem, implora gratiam, quæ te finaliter non deserens, ad finem tuum summum, unum & optimum æternaliter perfruendum te adducat, & perducat, Amen. *Nauta potiũ semper respicit.* *Duce magnete.* Iob. c. 6. v. 11.

DISCVRSVS XIX.

Iod.

Vidit gentes ingressas Sanctuarium suum, de quibus præceperas, ne intrarent in Ecclesiam tuam. *Thren. 1. v. 10.*

DE ECCLESIA.

Deplorat nullam Ecclesiis haberi reverentiam, in quas immundæ gentes, id est, concupiscentiæ, & carnales sensus ingrediuntur.

INfames ac spurios, uti & incircumcisos popolos, & immundos, præcipuè verò Ammonitas, & Moabitas ab ingressu Ecclesiæ proscripserat Deus, *Ammonites, & Moabites non intrabunt in Ecclesiam Domini in æternum.* Deplorat autem afflictum & perturbatũ Synagogæ suæ statum Propheta *dum vidit gentes*, non solùm Chaldæos (uti probè notat Cornelius) sed etiam Moabitas, & Ammonitas (quibus interdictus erat ex mandato Dei ingressus in Ecclesiam) *ingressas Sanctuarium suum, de quibus præceperas, ne intrarent in Ecclesiam tuam.*

Deut. c 23. v. 3.

Moabitæ olim prohibiti ab Ecclesia.

Sed nec minùs hodie lamentatur & conqueritur altis suspiriis & singultibus Ecclesia, gentes improbas, immundas, & à cultu veri Dei alienas, ingressas Ecclesiam, & templa, eásque ipsum Ecclesiæ Sanctuarium possidere, terram scilicet, & civitatem sanctam, sanguine unigeniti Dei consecratam.

Notat tamen Cornelius in Deutr. cit. quòd populus immundus & incircumcisus, maximè

Moabitæ sunt concupiscentia.

ximè verò Moab, (qui interpretatur de patre) *tropologicè significat concupiscentiam: quæ à patre diabolo est, item carnales sensus.* De hisce etiam immundis gentibus, & Moabitis maximè conqueritur sancta mater Ecclesia, quòd ipsum intrent Sanctuariũ, & Sancta Sanctorum, templa scilicet Deo vivo consecrata; Videt gentes has impuras, concupiscentiam, & carnales sensus ingressas Sanctuarium, de quibus præceperas, ne intrarent in Ecclesiam tuam, & cœtum fidelium.

II. Patriarcha Jacob, in Mesopotamiam profecturus post sole occasum, ad captandam quietem, compositio ex lapidibus cervicali, prostratus, *vidit in somnis scalam stantem super terram & cacumen ejus tangens cœlum, Angelos quoque Dei ascendentes, & descendentes per eam, & Dominum innixum scalæ ... Cumque evigilasset Jacob de somno, ait: Verè Dominus est in loco sancto isto, & ego nesciebam.* Móxque reverentiâ loci exterritus Jacob exclamavit: *Quàm terribilis est locus iste! non est hic aliud, nisi domus Dei, & porta cœli. Surgens ergo Jacob manè tulit lapidem, quem supposuerat capiti suo, & erexit in titulum, fundens oleum desuper: Apellavitque nomen urbis Bethel, quæ priùs Luza vocabatur.*

Gen. c. 28. v. 11.

Bethel domus Dei.

Bethel interpretatur *Domus Dei*, & allegoricè significat Ecclesiã, Deo consecratam, teste Cornelio, *quia in ea, quasi domo sua, Deus habitat per præsentiam tum spiritualem, tum realem, & corporalem in Eucharistia.* In domo Dei, & Ecclesia, (conformiter antiquæ observationi & consuetudini) eriguntur altaria, oleo sacro perfusa, in titulum. Nec est, quod Acatholici nos inculpent, & objiciant, erigere nos Sanctis ædes & altaria, iisque nos sacrificare, nam (uti bene docet Augustinus) *Nos martyribus nostris non templa, sicut diis, sed memorias,* (quod idem est, ac in titulum) *sicut hominibus mortuis, quorum apud Deum vivunt spiritus, fabricamus, nec ibi erigimus altaria, in quibus sacrificemus martyribus, sed uni Deo, & martyrum, & nostro sacrificium immolamus.* Sicut etiam superiùs pulchrè declaravit idem sanctus Doctor, monens sacerdotem ad altare facientem, non dicere: *offero tibi sacrificium Petre vel Paule, vel Cypriane, cùm apud eorum memorias offeratur Deo, qui eos & homines, & martyres fecit.*

Cornelius hic v. 17.

Erigimus altaria, & sacrificamus

S. Aug. de C. D. l. 22. c. 10.

Deo, non Sanctis.

Ibid l. 8. c. 27.

Sed, ut ad propositum meũ revertar, domus Dei, & Bethel, Ecclesiæ Deo dicatæ vocantur, in quibus fideles, mentis per orationem, tanquam per scalam ascensu, ad Deum se elevant, & ascendunt, internunciis & patrocinantibus sanctis Angelis, qui non tam

(112)

Ecclesia domus Dei.

orationes nostras, quàm sacratissimum sacrificium (in quo Dei filius sub speciebus sacramentalibus usque ad consummationem sæculi affectuosissimè nobiscum cohabitans offertur) Patri æterno pro nobis offerunt: Quare meritò cum S. Patriarcha exclamare nobis licet: *Verè Dominus est in loco sancto isto! Quàm terribilis est locus iste! Non est hic aliud, nisi Domus Dei & porta cœli*, imò ipsum cœlum.

Est cælū.

Ecclesia (ait Chrysostomus) *non est tonstrina, aut unguentaria taberna, aut officina forensis, sed locus Angelorum, locus Archangelorum, Regia cœli, cœlum ipsum.* In cœlo mysteriosum, & grave silentium factum fuisse, memorat dilectus Christi discipulus in sua Apocalypsi: *Factum est silentium in cœlo.* Accedit, quòd in illo templo gloriæ, summâ astent modestiâ, & reverentiâ spiritus illi cœlestes coram throno divinæ Majestatis, uti de Seraphinis expressè testatur Isaias: *Seraphim stabant super illud, sex alæ uni, & sex alæ alteri, duabus velabant faciem ejus, & duabus velabant pedes ejus.*

Chrysost. hom. 36. in 1 ad Corint.

Apoc. c. 8. v. 1. *Silentiū in cœlo.* Isa. c. 6. v. 2.

Locus Angelorum, Regia cœli, cœlum ipsum esse Ecclesiam Deo consecratam audivimus, quidni ergo silentium deceat cœlestem hanc regiam, Ecclesiam? quidni cum reverenti silentio verbum Dei in illa audire, & sacris interesse mysteriis conveniat? Quæ phantasiæ, quæ petulantia invertunt corda vestra, quaxantes ranæ, strepitantes hirundines, loquaces mulieres & viri, qui in cœlesti Ecclesiæ curia, non dico, turpiloquia, aut scurriloquia, at saltem vaniloquia instituitis? *An non domos habetis ad loquendum?* ait Chrysostomus, *an non habetis domum ad nugandum?* An non habetis forum ad conferendum? An non tabernas ad emendum, & vendendum? *An Ecclesiam Dei contemnitis?* Adhuc minaciùs idem sanctus loquitur hom. 24. in Act. Apost. *Loquentes, vel ridentes in templo, digni sunt, non qui verbere, sed fulmine de cœlo feriantur.* Quid enim de Ecclesia judicatis protervi, & irreverentes mortales? An Ecclesiam Dei tonstrinam, unguentariam tabernam, aut officinam forensem esse creditis? Erratis vani, & irreverentes mortales, & multùm aberratis, Ecclesia locus Angelorum, & cœlum ipsum est, quod silentio honoratur. *Hîc nihil, nisi sancta, sonare decet* (addit præfatus antistes,) nihil nisi laudes, & hymnos sacros, te decet hymnus Deus in Sion, ait Psaltes regius: Hebræa habet: *Tibi silentium Deus in Sion.* Magis enim pio & reverenti silentio, quam canticis & organis in Eccle-

Idem servandum in Eccles.

S. Chrysost. ibid.

Nil nisi sanctum sonare decet.

Psal. 64 v. 1.

Ecclesia honoratur Deus. Si quidem tamen cum Psalmista regio, etiam in tympano, & choro in chordis & organo laudare Deum placeat, saltem nihil, nisi sancta sonare decet: Non gallicâ levitate currentes oculos, non symphonias saltitantes, choræris ciendis, quàm excitandæ devotioni aptiores, non rugas & vanitates musicas sonare decet in Ecclesiis, quas tanquam regiam cœlestem sacrum decet silentium.

IV. Maximè autem in hoc Angelorum loco: & Regia cœlesti, cum sanctissimis Seraphim, & ora, & manus, & pedes reverenter & humiliter decet contegere. Prout mulieribus maximè præcipit Apostolus; *Ideò debet mulier potestatem*, (alij, inter quos & Hugo, legunt velamen) *habere supra caput, propter Angelos*: Angelorum enim locus, uti dictum, est Ecclesia, in qua non solùm Angeli divinis ministrant mysteriis invisibiliter, sed visibiliter sæpenumero assistere visi sunt. Quamvis per Angelos, Doctor Angelicus, Hugo & alij intelligant *Sacerdotes*, ob quorum reverentiam, & cautelam mulieres non nisi velatæ compareant in Ecclesiis, ut paucis dicam, voluit Apostolus, teste Lyrano, *quòd mulieres debent orare velatæ*, Seraphinorum ergo more, ora manus, pedes, & pectus contegere decet mulieres, maximè in Ecclesia.

Mulier velari debet.

1. Corint. 11. v. 10.

Propter Angelos.

Nempe Sacerdotes.

Lyranus hic.

In Ecclesia mulieres se maximè decet contegere.

Sed heu quàm rara hæc Seraphica mulierum in templis Religio & casta reverentia invenitur, cui æ nunquam magis, quàm Ecclesiam accessuræ, alas, & corporis sui pudendas officinas expandunt: nudata non tantùm facie, non erecto tantùm & nudato à collaribus collo, sed denudato insuper pectore, & brachiis, speciem suam lascivis oculis prostituentes, & hoc coram Angelis, imò coram Angelorum rege Christo Jesu, in Ecclesia Regia cœlesti.

V. Piscantibus in mari discipulis *fletit Jesus in littore, non tamen cognoverunt discipuli quia Jesus est.* Primus tamen illum agnovit dilectus discipulus, utpote virgo, puriori oculorum acie præditus, qui mox petro dixit: *Dominus est. Simon Petrus, cùm audisset, quia Dominus est, tunicâ succinxit se, erat enim nudus, & misit se in mare*, scilicet ad dulcissimum Magistrum perrecturus natando, uti Chrysostomus, Theophilactus, & alij volunt.

Joann. 21. v. 4.

Petrus texit se, accessurus ad Christum.

Sed si natando per mare properabat ad Dominum, quid opus tunicâ tegendo corpori?

Denudandum potiùs, quàm vestibus onerandum corpus erat, quò ad natandum foret expeditius. Quid ergo tunicâ succinxit se? *Ut cum majori reverentiâ accederet ad Christum*, respondet Lyranus, erat enim nudus; nudato pectore & collo, nudatis brachiis, piscatorum more, incedebat in navi Petrus, sic ergo nudus coram eo comparere non est ausus, coram quo faciem & pectus, & pedes alis reverenter contegunt Seraphini.

Lyranus hic.

Ex reverentia

At hodie (prô dolor!) impudentes ætatis nostræ fœminæ, licet in domo tunicis, velaminibúsque contectæ, in Ecclesiam tamen prodituræ ante conspectum Angelorum, ipsíúsque cœli Monarchæ Christi Jesu in venerabili Sacramento, velamina rejiciunt, nudum pectus, collúmque prostituunt manicas ad cubitos úsque retorquent, ut nudato pectore, & brachiis, non ad precandum, sed ad piscandum progressæ videantur, ad captandos, & inescandos Moabitas, scilicet *Carnales sensus*, quos sciunt ingredi Sanctuarium Dei, *de quibus præcepras, ne intrarent in Ecclesiam tuam.*

Mulieres denudatæ

Tanquâ ad piscandum procedunt.

VI. Ecclesia fit prostibulum.

Hac ratione Sanctuarium Dei fit theatrum vanitatis, forum concupiscentiæ, officina lasciviæ, pudicitiæ prostibulum, oculorum pascuum, vaniloquiorum gymnasium, quibus ille, qui prunas ardere facit, in cordibus impurum incendit ignem, cujus fumus in conspectum Dei indignantis ascendit. *Quis iste fumus est* (exclamat Chrysostomus) *tam gravis, tam molestus? Multi ad formas mulierum aspiciendas in Ecclesias veniunt, deinde non mireris, quomodo undique fulmina non deferuntur? Quomodo cuncta funditus non evertuntur. Hæc enim non fulminibus solùm, sed etiam gehennæ supplicio dignissima sunt.*

Chrysol. hom.

Hinc fulmina & flagella.

Non planè mirùm, quòd fulminibus Deus & tempestatibus destruat segetes, igne forròque everti patiatur Ecclesias, quas tam irreverenter fideles quandoque tractant, in iis enim (conqueritur Deus per Jeremiam) *vertunt ad me tergum, & non faciem*; Vanitatibus, & concupiscentiis suis attenti. Contra quos acriter apud Jeremiam demum intonat Deus: *Quid est, quòd dilectus meus, in domo mea fecit scelera multa?* Maximè hæc in domo, & templo suo conqueritur Deus, perpetrata ab his, qui non veniunt in spiritu in templum, sed in carnalibus desideriis, teste namque Origene, *interest peccare in sanctis, & peccare extra sancta*, injustitiæ enim risus, vaniloquia, turpiloquia, lasciviæ & petulantiæ

Jerem. c. 2. v. 27.

Jerom. c. 11. v. 15.

Origenes.

In sanctis peccare scelestius est.

extra

extra sancta commissæ, peccata sunt, sed in sanctis commissæ, scelera sunt, à Deo graviter vindicanda.

VII. Exemplariter advertunt magnates in delicta, in propriâ suâ residentiâ, ipsâ præsente majestate Regiâ, commissa. Accusato per Reginam Esther perfido Amano, ira Rex succensus in proximum arboribus consitum hortum regium ad digerendum furorem egressus est. Interim timore attonitus Aman, ad lectulum Reginæ corruit tremebundus, veniam & gratiam supplex rogaturus, quem ut rex ex horto reversus super lectum, in quo recumbebat Regina, corruisse vidit, indignabundus: *Etiam Reginam* (ait) *vult opprimere? Me præsente? In domo mea?* Statimque Aman velatis oculis ad furcam, quam Mardochæo paraverat, suspendendus rapitur.

Esther. c. 7. v. 7.

Indignatur Assuerus contra Aman.

Ubique quidem enter, realiter, & potenter præsens est Deus, qui & ubique terrarum graviter offenditur, singulari tamen, & miraculosâ ingenioſi amoris inventione, in Ecclesiis præsens est Christus, Dei filius, sacramentaliter, magno stipatus Angelorum numero, licet & aulicorum suorum assistentium præsentiam, suâmq; imprimis majestatem imperceptibili miraculo obvelet.

Sic & Christus

Contra lascivientes,

Cùm ergo Christiani vivâ fide de ejus præsentia nequaquam dubii, tamen in ejus reali, & sacramentali præsentia, & in domo ipsi solemniter consecrata peccare non erubescunt, meritò Dei filius, (velatis licet, sub sacramentalibus speciebus, suis sensibus) divinâ tamen suâ omniscientiâ fidelium delicta aspiciens, meritò contra eos gravissimè indignatur. *Quid est, quòd dilectus meus fecit scelera multa?* Quid est, quòd lascivis oculis, verbis, nutibus, & desideriis exarsit? Me præsente, sacramentaliter? In domo mea? In Sanctuario meo? Non hæc peccata, sed scelera reputanda sunt, hæc in sanctis commissa, æternis gehennæ suppliciis vindicanda.

Se præsente, in domo sua.

VIII. Si tanta severitate, & zelo insolito contra eos Christus advertit, qui oves, & boves, aliáque ad sacrificium necessaria non in ipsa domo, sed in atrio tantùm domûs Domini vendiderunt, de eo facientes domum negotiationis, quàm duris Christus flagellis in dorsum eorum fabricâsset, si non solùm in atrio, sed in medio domûs Dei, & Sanctuarij non tantùm negotiationes, sed alias quoque abominationes fecissent, non in illud tantùm animalia munda, sacrificiis destinata sed etiam porcos immundos inducendo. Et

Ioan. c. 2. v. 14.

A τῆς vio lationem ultus est.

Ecclesiæ vetus non nisi atrium & umbra

Et tamen ipsum Synagogæ Judaicæ Sanctuarium, non nisi atrium, imò vix atrium Ecclesiarum nostrarum dicendum, sed solùm umbra, & figura, cùm non ipsum Deum, ac Salvatorem nostrum, sed tantùm umbram, & figuram, scilicet Manna, Arcæ fœderis, inclusum habuerit, tantâ tamen reverentiâ veneratum, ut nemo intrare Sancta Sanctorum permitteretur, quantumvis Deo consecratus, nisi *semel in anno solus Pontifex.*

Hebr 9. v. 7.

Verùm porrò Sanctuarium, & Sancta Sanctorum sunt Ecclesiæ nostræ, ab ipso Dei Filio realiter, & sacramentaliter præsente, inhabitatæ, & tamen in Sanctuarium videmus ingredi gentes immundas, concupiscentias, & carnales sensus, aguntur in illud fœtidissimi porci, & fit ipsum subinde non tantùm domus negotiationis, sed abominationis non ipsum solum atrium, sed Sanctuarium templi, contra quos Deus per Ezechielem detonat: *Hæc fecerunt in medio domûs meæ.* Gloriamur nos Christiani in templis nostris, & in iis confidimus, sed meritò nobis illud Jeremiæ obtruditur: *Nolite confidere in verbis mendacii, dicentes: Templum Domini, Templum Domini, Templum Domini. Ne habeamus fiduciam in splendore ædificiorum*, ait glossa; si debita reverentia ea non tractemus, sed peccatis polluamus.

Nostræ sunt vera Sancta Sanctorũ.

Ezechiel. c. 14. v. 39.

Jerem. c. 7 v. 4.

His enim scelcribus justè irritatus Deus, templa, & cum ipsis templis tam irreverenter frequentatis, & violatis, ipsam fidei Religionem, & Dei agnitionem multis civitatibus, Provinciis, & Regnis subtraxit, uti etiam olim Judæis ob neglectam, licet umbratici tantùm, templi sui reverentiam fecerat, quibus (ut inde tantæ calamitatis originem exortam non dubitarent) ostendi digitis ruinam templi Deus per Ezechielem mandavit: *Tu autem fili hominis, ostende domui Israel templum, & confundantur ab iniquitatibus suis, cùm viderint se carere tali templo propter eos*, glossatur Hugo, *& erubescant ex omnibus, quæ fecerunt*, ex omnibus scilicet abominationibus, quas in ipso templo fecerunt, superiùs capite octavo per Ezechielem descriptas, quibus ita offensum se protestatur Deus, *procul recedam à Sanctuario meo*, quasi diceret, *ipsi me suis sceleribus templo abigunt, & cogunt recedere*, uti cùm S. Hieronymo explicat Cornelius.

IX.

Propter irreverentias.

Deus aufert templa.

Ezechiel. c. 34. v. 10

Hugo hic

Ezechiel. c. 8. v. 6. & seqq.

Ne ergo Deus à nobis recedere, & Sanctuarium suum à nobis auferre, illúdque infidelibus gentibus in prædam & conculcationem dare cogatur,

sum-

summâ utique reverentiâ illud frequentare convenit.

Arcam Dei captam juxta Dagon Deum suum Philistæi statuerunt in Azoto, sed ipse Dagon de loco suo præcipitatus divina virtute pronus jacere interra ante Arcam Domini, altera die, inventus est, quem licet loco suo restituissent, tamen *manè die altera consurgentes invenerunt Dagon jacentem super faciem suam in terra coram Arca Domini, caput autem Dagon, & duæ palmæ manuum ejus, abscissæ erant super limen.* Valde autem notabile est, quòd sacræ literæ addunt: *Propter hanc causam non calcant Sacerdotes Dagon, omnes, qui ingrediuntur templum ejus super limen Dagon in Azoto, usque in hodiernum diem.* Tanta reverentiâ colebant locum, ubi abscissisteterant, vel potius jacuerant pedes Dagon.

1 Reg. c. 5. v. 2.

Limen, super quod iacuit Dagon.

Non calcabant Philistæi.

Si ita Philistæis venerabilis & terribilis videbatur locus, ubi jacuerant pedes Dagon, quàm terribilis, ac venerabilis erit domus, & Ecclesia Dei viventis, in qua Dei viventis non tantùm vestigia, sed reale corpus præsens habemus? Hinc Christianos olim limina templorum osculari solitos, Cornelius testatur. Et siquidem hodieque Christiani loca, nascentis, & patientis Christi vestigiis decorata, tantâ veneratione colunt, ut per mare per terras inter maxima discrimina illuc tendant, illo se regii psaltis verbis animantes, *introibimus in tabernaculum ejus, adorabimus in loco, ubi steterunt pedes ejus,* Ps. 131. cur non eâdem reverentiâ accedamus sacratas Deo Ecclesias? Non longis opus peregrinationibus, & navigationibus? Ecce in Ecclesiis omnibus posuit Deus tabernaculum cum hominibus, illuc introeamus cum reverentia, adorantes locum, ubi steterunt non solùm pedes ejus, sed adhuc realiter verus Deus & homo Christus Jesus sub speciebus sacramentalibus subsistit, non in umbra tantùm & figura, sed reali præsentia sacratissimi Corporis, & Sanguinis sui. Si ergo Propheta umbram solummodo, & figuram sic veneratus est, solidè infert antistes Valentinas: *Quid putas fecisset David, quid Elias, quid Samuel, Isaias, Daniel, & cæteri sanctorum, si Dei majestatem in suis delubris præsentem, sicut nos, habuissent? Quo honore, quo timore, qua reverentiâ coluissent? Qui sic venerabantur umbram, quomodo ipsam coluissent veritatem?* Dic obsecro, frater charissimè, esne Christianus? credisne quod offertur, quod consecratur? Si credis, quomodo audes irreverenter assistere tantæ majestati, quomodo negligis debi-

X.

Quid! opus peregrinatione?

Christum præsentē habemus sacramentaliter.

S. Thom. Villan. in Dedic. Eccl.

debitam exhibere ei reverentiam? *Dæmones credunt, & contremiscunt;* Et tu credis, at rides? jocaris? nugaris? Ostende fidelibus templum, & confundantur, ut angelicâ, & Seraphicâ reverentiâ, humilitate, & silentio adorare discant, quem in Ecclesia Dei præsentem adesse credunt Jesum Christum Dominum nostrum, Amen.

Iacob. 2. v. 19.

DISCVRSUS XX.

Iod.

Manum suam misit hostis ad omnia desiderabilia ejus. *Thren c. 1 v. 10.*

DE ANIMA.

Quibus Anima bonis per peccatum spolietur?

1. Civitate seu fortalitio per hostem armatâ manu, & per assultum capto, incolæ, qui primo gladij furori se subduxerunt, vinculis, aut saltem captivitati mancipantur, datâ in prædam hostibus omni eorum substantiâ; omnia scrinia & cistæ securibus, aut aliàs violentâ manu rumpuntur, mittítque hostis manum suam ad omnia desiderabilia ejus.

Infelicem etiam hanc sortem cecidisse super Jerusalem à Chaldæis captam deplorat Jeremias; *Manum suam misit hostis ad omnia desiderabilia ejus*: nec ipso parcens templo, ornatum, & vasa ejus aurea diripiendo. Sed non benigniori, imò crudeliori furore, & immanitate malignus hostis, animam peccatricem violentâ manu sibi subactam, & captam deprædatur, uti in morali glossa advertit Lyranus: *Manum misit hostis diabolus; ad omnia desiderabilia ejus, id est, ad auferendum bona gratiæ, & virtutum*, & quicquid desiderabile, ac pretiosum à Deo anima accepit. *Moralitas de anima*

Lyranus hic.

Licet tota Jerosolymorum Civitas

Civitas cum omnibus suis incolis funestum, & lamentabile toti orbi spectaculum per Chaldæos factum sit, maxima tamen miseriarum amaritudo, & angustiarum acerbitas in ipsum fugitivum regem Sedeciam effusa est, intempestâ nocte cum suis ad viam deserti egressum, sed in ipso campo solitudinis Jerichontinæ è fugâ à Chaldæis retractum, atque ad regem Nabuchodonosor in Reblatha adductum. *Et locutus est ad eum judicia* rex Babylonis, irâ fremens in perfidũ Sedeciam, sed non contentus acerbis minis & verbis, *occidit Rex Babylonis filios Sedeciæ in Reblatha, in oculis ejus, & omnes nobiles Iuda occidit Rex Babylonis, oculos quoque Sedeciæ eruit, & vinxit eum compedibus, ut duceretur in Babylonem.* Addunt expositores, Sedeciam quasi feram caveæ inclusum in Babylonem deductum, cùm hostis jam misisset manum ad omnia desiderabilia ejus.

Ierem. c 39. v. 4.

Miseria Sedeciæ.

Sedecias *iustus Domini* interpretatur, quare magnus Gregorius optimè monet, quòd Jeremias, *dum Sedeciæ captivitatem narrat, ordinem captivitatis internæ denuntiat: Rex quippe Babylon est antiquus hostis, possessor intimæ confusionis*; iste longa obsidione pressam occupat Jerusalem, animam peccatricem, sibique subjicit Sedeciam, justũ Domini. Nam occupatis, per malignum hostẽ portis sensuum externorum, fit miser Sedecias fugitivus à facie Domini, ac per viam deserti (derelicto Deo) incedens à Babylonico tyranno compræhenditur in campo solitudinis Jerichontinæ, instabilis, & lunatici mũdi, spoliandus omni dignitate, ac celsitudine regiâ.

Sedecias figura animæ peccatricis.

Greg. 7 moral. c. 13.

Animæ Reginæ.

Est quippe Anima justi excelsa, & super creaturas terrenas omnes sublimata Regina, uti in Canticis dicitur: *Sexaginta sunt Reginæ*; In quæ verba sic commentatur Cardinalis à S. Caro: *Reginæ sunt, quæ Regem Christum casto amore diligunt, & filios generant, &c.* Et inter has *una est columbamea, ad unum solum creata. Viderunt eam filiæ Sion, & beatissimam prædicaverunt, & Reginæ laudaverunt eam. Reginæ sunt animæ* (docet S. Augustinus) *regnantes in intelligibilibus, & spiritualibus*: vel etiam, juxta mentem Cornelij, quæst. 53. animæ, Reginæ vocantur, *eò, quòd regnent peccato*, ac imperent suis passionibus, cupiditatibus, & inordinatis appetitibus, residentes in Jerusalem, quæ est visio pacis.

Cant. c. 6. v. 7. Hugo Card. hic.

S. Aug. l. 83. quæst. q. Cornel. hic.

De ejusmodi quoque Regina Propheta regius canit: *Astitit Regina à dextris tuis, in vestitu, scilicet virtutum, quæ sunt vestes animæ*, glossatur moralis, *deaurato*, *scilicet charitate, quæ est forma virtutum, circumdata varietate, scilicet bonorum operum.*

Psal. 44. v. 10. Glossa moral. *Amittit ornatum regium.*

Si ergo confractis externorum sensuum portis hæc Regina, Justitia Domini, sive anima justi, fugitiva à Deo, & inter Jerichontinæ solitudinis vanitates, in Babylonici, infernalis scilicet, tyranni potestatem devenit, sceptrum ipsi, & virgam directionis & æquitatis è manibus, coronam dignitatis à capite rapit, ut facta vilis, inter tumultuosam passionum, & cupiditatum suarum plebem, amissâ pacificâ residentiâ Jerusalem, quasi in Babylonicæ confusionis turbulentam captivitatem detrudatur, vestitu virtutum, auro charitatis, & varietate bonorum operum spoliata.

Et quietè regni.

III. Sed his non contentus spoliis Babylonicus tyrannus, animam, regali jam dignitate, & potestate exutam, innatâ, & naturali spoliat libertate, è Regina famulam, è famula vile faciens mancipium: *A quo enim quis superatus est, huius & servus est.*

2. Petr. c. 2. v. 19.

Fit mancipium.

Quemadmodum igitur servus omni suo labore & industriâ nihil sibi acquirit proprium, sed communi gentium, & civili jure statutum est, *quodcunque per servum acquiritur, Domino acquiri.* Sic etiam anima per peccati reatum in servitutem diaboli delapsa, nihil sibi de condigno (sequor terminos & modum loquendi Seraphici mei Doctoris) mereri potest operibus quantumvis pænosis, & moraliter bonis, non quòd desit ipsi libertas voluntatis, & liberi arbitrij, sed libertas dignitatis, & statûs, gratiæ scilicet sanctificantis, & gratum facientis, qua homo in libertatem, & ex servo filius & hæres Dei constitutus, mediantibus bonis operibus suis per gratiam ad merendi dignitatem elevatis, gloriam, ejusque augmentum mereri potest.

Instit. l. 1. c. 8.

Nil sibi lucrari, & mereri potest.

Deploranda ergo spiritualis servitutis miseria est, quòd anima diaboli facta mancipium, & instar Sedeciæ compedibus vincta, ac ferreæ quasi caveæ concluſa, in Babylonica sua vitiorum confusione in vanum laborat, sine vero, & propriè dicto merito condigni. Hanc statûs sui vilitatem altis deplorat singultibus peccatrix anima, *Vide Domine, & considera, quoniam facta sum vilis.* Vilis, & simul ad merendum impotens, & infirma: *Infirmata est virtus mea, dedit me Dominus in manum, de qua non potero surgere.*

Thren. c. 1. v. 11.

v. 14.

Sedeciam Regem captivum, Rex Babylon vinxit compedibus, lamentabiliter conquerentem; *Circumædificavit adversum me, ut non egrediar, aggravavit compedem meum.* Nec minus cum Sedecia, captiva ingemiscit anima, circumædificavit adversum me tartareus hostis, *in consuetudinem peccatorum inducendo, quæ laqueus est*

Ligatur compedibus.

Thren. c. 3. v. 7.

est impediens egressum de peccato (ait glossa moralis) *sicut filum, quod tenet avicula per pedem ligata, impedit eam, ne simpliciter avolet;* ideò sequitur: *Aggravavit compedem meum, per habitum vitiosum, ex consuetudine acquisitum. Conclusit vias meas procedendi in bonum,* lapidibus quadris, *id est, peccatis, quæ quatuor habent angulos, scilicet Dei offensam, obligationem ad pœnam, gratuitorum spoliationem, & naturalium vulnerationem.* Sic amissa regio ornatu, dignitate & libertate, turpi, ac diræ mancipatur servituti Sedecias, justus Domini, & anima in peccatum prolapsa, *& egressus est à filia Sion omnis decor eius.*

Gloss. mor.

Mala consuetudinis

Peccatum quatuor affert mala.

Thren. c. v. 6.

IV. Summa autem miseriarum amaritudo erat afflictissimo Sedeciæ, cruentum, & funestum spectaculum, quod paternis oculis immanis Rex Babyloniæ exhibuit in crudeli filiorum mactatione; *Et occidit Rex Nabuchodonosor filios Sedeciæ in oculis eius.* Quis unquam funestiorem vidit tragœdiam? quid unquam lamentabilius? Dum rex captivus cruentam filiorum necem propriis spectare oculis coactus, tot ipse læthales in corde ictus sensit, quot filiorum cædes spectavit, oculorum solùm beneficio adhuc donatus ut multiplicatas, in filiorum mactatione, mortes sustineret.

Ierem. c. 39. v. 6.

Filij trucidati,

Non parcit Sedeciæ, peccatrici animę Babylonicus inferorum tyrañus in eodem crudelitatis genere, in oculis captivæ animæ, carissimos ejus partus, & filios trucidans. Et quinam hi filij, ab anima in statu justitiæ cum dolore in lucem editi? cum labore nutriti? cum solicitudine educati? Non alij planè, quàm ipsi actus virtuosi, opera bona, pœnitentiæ, misericordiæ, &c. cum magna nonnunquam refragantis naturæ corruptæ violentia, & certamine peracta, quæ tamen hostis tartareus occidit: *Filios* (scribit S. Gregorius) *ante intuentis oculos trucidat, quia sæpe sic bona opera interficit, ut hæc se amittere, ipse, qui captus est, dolens cernat.*

Sunt bona opera amissa & merita.

S. Greg. cit. Idem habet Pet. Dam. apud Corn.

Maximam hanc Sedeciæ (justo in peccatum lapso) pœnam, & insupportabilẽ jacturam denuntiat Deus per Ezechielem: *Si averterit se iustus à iustitia sua, & fecerit iniquitatem... Omnes iustitiæ eius non recordabuntur.* Omnes justitiæ, *quas fecerat in gratia existens* (explicat Lyranus,) non recordabuntur, *ad præmiandum æternaliter.* O Damnum inexplicabile! jactura inæstimabilis! ut tanto labore progeniti, & nutriti filij, tanto sudore, & violentiâ eliciti virtutũ actus, & collecta merita, uno ictu mactentur, & trucidentur: *Omnes Iustitiæ non recordabuntur.*

Ezech. c. 18. 24.

Lyranus hic.

Non recordabuntur amplius.

Quod irreparabili damno suo olim viri clarissimi & in Ecclesia, vitæ integritate, & libris famosissimi experti sunt, inter quos Origenes, Lucifer Episcopus, & alij rigidissimæ vitæ Eremitæ, qui à justitia sua aversi, omnes filios, omnia opera, laboriosos partus meritorum, plurimis annis cumulatorum, in uno ictu oculi, mactatos, & trucidatos suo damno senserunt; *omnes justitiæ eius non recordabuntur.*

Magni viri miserè lapsi.

V. Optimè tamen annectit Lyranus, *si perseveraverit in malo.* Quâ enim horâ, & momento conversa fuerit ad Deum anima peccatrix, à Deo sanctificante gratia rursus donatur, & de omnibus amissis meritis, & bonis operibus in integrum restituitur, adeò ut filij trucidati, & mortui, (vel potiùs mortificati) reviviscant. *Si autem* (ait Lyranus) *recuperent gratiam, vivificabuntur & sic præmiabuntur, non solùm temporaliter, sed etiam æternaliter.*

Lyranus.

Merita possunt revivisc ere.

Advertendum etiam in allegato passu, quòd licet se declaret Deus, quòd justitiæ ejus, qui in peccatum, & statum injustitiæ lapsus est, non recordabuntur, ad præmiandum scilicet æternaliter, tamen etiam credibile est, merita, & opera bona præterita, in statu gratiæ exercita, non ita ex memoria, & oculis Dei esse deleta, quia etiam ea Deus in statu injustitiæ in tantùm respiciat, ut lapso peccatori cum divinæ suę gratiæ auxilio eò citiùs & efficaciùs subueniat, excitet, & è tartarei hostis captivitate unà cum amissis meritis eripiat, haud secus, quàm olim Patriarcha Abraham nepotem suum Loth cum omni substantia, & familia, ex hostium manibus ereptum pristinæ restituit libertati. Genes. c. 14. v. 16.

Ea aliquando liter in statu iniustitiæ respicit Deus.

Neque etiam anima in peccatum lapsa, ideò bene operari desistat, nam licet nihil de condigno, nec primam gratiam mereri possit, gratia sanctificante, seu justificante, privata, cùm careat dignitate, tamen de congruo, & congruè se disponit, ut eò faciliùs oculos misericordiæ in eam Deus conjiciat: quare bene operari, nunquam desistere debet homo, sed divinæ gratiæ implorare auxilium, ut ad hostem insequendum, & detrahenda spolia confortetur. *Disponit bona opera congruè ad gratiam.*

Summè verò deploranda illa anima est, quæ miseriæ suæ, & amissi thesauri & jacturæ inæstimabilis immemor, nec Dei auxilium implorare, nec oblatum gratiæ auxilium acceptare sustinet: *Nec virtutis brachium* (ait Gregorius) *contra Regem Babylonis levat*: Et hoc vel ex inordinato timore, & pusil- S. Greg. cit.

pusillanimitate, aut ex stupiditate & cæcitate, qua jacturam meritorum, & gratiæ æstimare negligit: Nam *quanto magis malis adhæret, tantò minùs intelligit bona, quæ perdit*, asserit S. Gregorius.

VI. Hæc animæ excæcatio maximè etiam in Sedecia figuratur, de quo Jeremias affirmat: *Oculos quoque Sedeciæ eruit.* Tam altè Judæorum corda vulneravit, & ad compassionem movit hæc immanis Sedeciæ excæcatio, ut pro ejus memoria annuum indixerit jejunium, sexto die, mensis octavi ob excæcatum Sedeciam. Advertit ergo Petrus Damianus, quòd Rex Babylon *inde Sedeciæ oculos eruit, quia malignus spiritus, subtractis priùs bonis operibus, post intelligentiæ lumen tollit. Id Sedecias patitur in Reblatha, quæ interpretatur, multa hæc; ei namque rationis lumen meritò clauditur, qui sanctæ quietis rigore postposito, per negotia mundana raptatur, cùm contempto uno, per multa vagus, & impatiens animus dissipatur.* Iisdem pene verbis utitur S. Gregorius, & concludit, quòd anima peccatrix in Reblatha (multa hæc) excæcatur, dum *ex iniquitatis suæ multitudine gravatur.*

Cornelius hic. *Excæcatio Sedeciæ.*

Pet. Dam. l. 2 Epist 4. ad Hil depran

Id est anima.

S. Greg. cit.

Hanc cæcitatem suam anima indictis sibi jejuniis & pœnitentiæ operibus annuis, imò quotidianis deflere deberet, exemplo pœnitentis Petri, qui lacrymis quotidianis ad galli cantum, præteriti delicti cæcitatem deflevit, tam copiosè & ardenter, ut quasi Sulcos genis calidæ & amaræ imprimerent lacrymæ.

VI. Inter alias gravissimas Sedeciæ captivi afflictiones erat non minima, quòd ante irati, & præ furore ardentibus oculis inflammati, & spumantis Regis Babylonici conspectum adductus, acerbis & fulminantibus verbis detonantem ipsius vocem audire debuit. *Et locutus est ad eum judicia.* Dum nempe Nabuchodonosor acriter, & justè pro meritis Sedeciam infidelitatis, & ingratitudinis arguit, quòd scilicet Rex à se constitutus pro Joachin, fœdus secum initum violâsset. Addit Lyranus, Sedeciam per Deum jurâsse fidelitatem Nabuchodonosori, qui proinde pro Mathania, vocavit eum Sedeciam, id est, Justitiam Dei, ut eum nomine suo moneret de fide, & justitia, sanctè, & constanter servanda, quòdque non tantùm sibi, sed etiam Deo esset injurius, perfidus & perjurus, si eam violaret. Hoc ergo ad literam Sedeciæ exprobravit Rex Babylonius, hæc sunt judicia, quę locutus est ad eum. Quę perfidia, & infidelitas, Sedeciæ coram proceribus Babylonicis

Locutus judicia Rex contra Sedeciam.

VI.

nicis in faciem exprobrata acriùs utique Sedeciam ussit, quàm si in frustra statim fuisset concisus.

Judex exprobrabit ingratitudinem.

Severa non minùs, & acerba Deus, contra animam peccatricem è corpore egredientem, loquetur judicia, infidelitatis & ingratitudinis eam arguens, quòd scilicet propter illius salutem de cœlo descendens, ad eam de potestate inimici redimendam, proprium sanguinem pro pretio redemptionis effuderit, eámque inter mille electam, de fidelibus parentibus natam, sacro fonte baptismatis regeneratam, Christiano nomine insignitam, omnia cœlestium mysteriorum secreta ipsam per fidem docuerit, non eam ut mancipium, sed charissimam amicam, imò & sponsam tractans, & omni charitatis, & benevolentiæ genere fovens. Uno verbo: *Quid est; quòd debui ultra facere, & non feci?* Tanta scilicet beneficia (qualia nec ipse homo sperare, aut prætendere præsumpsisset) in eam conferens.

Isa. 5. 3. v. 4.

Anima peccatrici

Loquetur ergo contra perfidum Sedeciam, hominem peccatorem, judicia justus Judex; Noñe tantis à me cumulatus beneficiis, & in baptismo, diabolo & pompis ejus renuncians, mihique fidelitatem jurans, perjurus contra me, diabolo, & mundo, (qui non nisi perditionem tibi æternam condicere poterant) te junxisti? & servato tantùm Christiani nominis titulo, vitam gentibus similem duxisti, nomen meum (à quo te Christianum nominasti) malâ tuâ & scandalosâ vitâ blasphemans? Vade ergo maledicte in ignem æternum. Adeste Justitiæ meæ executores, tyranni Babylonici, lictores infernales, *Ligatis manibus & pedibus ejus, mittite eum in tenebras exteriores, ibi erit fletus, & stridor dentium.*

Matth. 22. v. 13.

Etiam dæmon loquitur judicia.

Contra peccatorem vinculis tartareis indissolubiliter ligatũ, non minus loquetur judicia infernalis tyrannus. Quò tua te peccator adegit vesania, quòd *Deum, qui te genuit, derelinquisti, & oblitus es Domini creatoris tui?* Imò non tantùm creatoris, sed & redemptoris? Si pro me Dei Filius de cœlo descendisset, suo me sanguine redempturus, nunquid æternùm ipsi me flectere, & subjicere paratus esse debuissem? Equidem obstinatus permansi contra Deũ reprobantem me, tu contra morientem pro te, ego contra Deum è regno suo dejicientem me, tu contra eum, tam affectuosè vocantem, & invitantem te. Adhæsisti mihi, & secutus es me, qui nec creavi, nec redemi te, nec aliam servi-

VIII.

Deut. 32. v. 18.

tutis

tutis tuæ mercedem, quàm meam in pœnis societatem promisi. Ingredere in locum tenebrarum, & miseriæ, infernalis Babylonis confusionem, & ignem, qui paratus est mihi, & maledictis Angelis meis. Vinctam ergo animam compedibus ducent in fornacem ardentem Babylonis infernalis.

IX. Tanta fuit Sedeciæ captivi, liberis orbati, excæcati, compedibus vincti, & in carcerem Babylonis detrusi miseria, ut in parabolam, & proverbium apud Judæos verteretur, ut scilicet malè alicui insigniter precaturi, dicerent: *Contingat tibi, quod contigit Sedeciæ Regi Judæ.* Vel, *Plaga Sedeciæ tangatte:* Aut denique, *Sis frater, & socius Sedeciæ.*

maledictio Sedecia.

Apud Cornelii Jerem. c. 24. v. 9.

Sed longè formidabilior est imprecatio & maledictio, si cui dicatur: *Plaga peccatoris tangat te. Sis frater & socius peccatoris.* Quid enim majus malum contingere homini potest, quàm ut hostis infernalis manum mittat ad omnia desiderabilia ejus, omnibus meritis, bonis gratiæ & virtutum illum spolians, ut captivus diaboli, perditis omnibus bonorum operum filiis, excæcatus & vinctus compedibus, tradatur in tortorum manum, de qua æternùm non possit surgere, nec egrediendi spes ulla affulgeat. Hoc est enim dicere; Plaga peccatoris tangat te, sis frater, & socius peccatorum.

Maior peccatoris.

Ne ergo in tantum miseriarum detrudamur barathrum, & plaga aut maledictio Sedeciæ, peccatoris, nos tangat, fideles nos erga Deum & Redemptorem nostrum benignissimum exhibeamus, promissam in sacro fontis Baptismate fidelitatem servemus, in quo Christiani nomen nobis est inditum; Hanc ergo si Deo nostro fidelitatem servabimus, ipse non Reges cœlestis Jerusalem constituet, secúmque in cœlis æternum corregnare fecit,

Amen.

DISCVRSVS XXI.

Capb.

Omnis populus ejus gemens, & quærens panem. *Thren. 1. v. 11.*

DE ECCLESIA.

Deplorat Ecclesia populo suo Christiano in tam multis Europæ partibus, non tam Panem veri verbi Dei, quàm SS. Eucharistiæ subtractum.

1.

Ierem. c. 52. v. 6.

CLausâ, & circumvallatâ per exercitum Chaldaicum civitate Jerusalem per unius penè & dimidij anni spatium, *obtinuit fames civitatem*, uti narrat Jeremias Propheta, quòd ponderosiùs adhuc describit regum historia: *Prævaluitque fames in civitate, nec erat panis populo terræ.* Hinc ergo gementem præ fame populum inducit hoc loco Propheta: *Omnis populus ejus gemens, & quærens panem.*

4. Reg. 25. v. 3.

Fames in obsidione Ierusalem

Quamvis autem hæc plaga famis, vehementissimè homines affligat, tamen famem adhuc multò magis formidabilem minatur Deus populo per Amos Prophetã; *Mittam famem in terram, non famem panis, neque sitim aquæ, sed audiendi verbum Domini.* Et hanc ipsam modernis temporibus, non in remotis tantùm & barbaris, sed in ipsis Christianorum finibus exortam famem deplorat Mater Ecclesia, summo animi dolore experta, quòd sedeat multus *populus ejus* (in variis Europæ regnis, & provinciis) *gemens, & quærens panem*, nempe *Verbi Dei*, uti

Amos c. 8. v. 11.

Fames Verbi Dei & Corporis Christi

uti Interlinearis glossatur; At non tantùm panem Verbi Dei, sed etiam Panem Angelicum & cœlestem, SS. scilicet Corpus & Sanguinem Christi, sub speciebus Panis & Vini, in cibum, & potum, fidelibus, usque ad mundi consummationem testamento, morte testatoris confirmato, legatum, populus sibi subtractũ conqueritur. Quàm graviter ergo cum populo suo afflicta Mater Ecclesia hanc famem, & subtractum per impios Sectariorum ministros, Panem tam verbi Dei, quàm SS. Corporis & Sanguinis Christi, meritò deploret, in præsenti demonstrabo.

Gloss. Interl.

II. Non jam intendo controversisticis argumentis oppugnare Calvinistarum errorem, qui omnem realem Corporis Christi in venerabili Sacramento præsentiã negant, merâ umbrâ & figurâ cõtenti, negatis ipsis principiis, quòd scil. verba Christi verè, sed tantùm metaphoricè sint intelligenda. Nec etiam Lutheranorum falsum hîc refutare dogma cogito, qui verba Christi verè & non tantùm metaphoricè intelligenda esse concedunt quidem, tamen transubstantiationem negantes, cum impanatione, & ubiquitate sua nugantur, neque realem Corporis Christi præsentiã, nisi in ipsa sumptione admittunt.

Controversia de ven. Sacramento

Hanc quippe materiam controversisticam fusiùs in appendice controversistica duarum Concionum festi SS. Corporis Christi tractavi: Uti non minùs de verbo Dei, qualiter illud Acatholici in reprobrum sensum vertant, & sagittent in obscuro rectos corde; Concione feriæ secundæ Pasc. Quare modò ipsam materiæ controversisticæ substantiam prætereo, adducturus tantùm gravem injuriam & dolorem, quem ex subtractione panis tam verbi Dei, quàm Corporis Christi, cum fidelibus suis sentit sancta Mater Ecclesia.

Si copiosa messe albescant agri, nullus de fame metus est. *Levate oculos vestros* (ait Christus suis discipulis) *& videte regiones, quia albæ sunt iam ad messem: & qui metit, mercedem accipit, & congregat fructum in vitam æternam, ut & qui seminat simul gaudeat, & qui metit.* Per regiones messibus jam albas, *plebes regionum* intelligit Hugo, quia albæ sunt ad messem, *id est, quia aptæ sunt recipere fidem*, metendæ ab Apostolis, & Apostolicis prædicatoribus, & in horreum Ecclesiæ inferendæ. Sed nec minùs divina Veritas per semen verbi Dei intelligendum docuit: *Semen est verbum Dei*, quod à Christo, sanctisque Apostolis, & Apostolicis viris in agro Ecclesiæ seminatum, in copiosas

Ioan. c. 4. v. 35.

Hugo Card.

Luc. 2. v. 11.

Messis copiosa.

excrevit aristas, fructúmque non tantùm centuplum, sed etiam millenum dedit: Ex istis aristis in horreo Ecclesiæ, per sensûs literalis, moralis, & allegorici excussionem, frumentum & granum purum colligitur, quod rursus sub mola contritum, & maturâ considerationе masticatum ab Evangelicis prædicatoribus, atque sale & aqua sanctorum Patrum doctrina, & explicatione probè commixtum, in ferventi charitatis fornace, in panem doctrinæ Christianæ, cor hominis corroborantem, coquitur.

Ex quo fit panis Christianæ doctrinæ.

III. Hujus ergo panis corroborantis defectum deplorat populus etiam modernis temporibus; *Omnis populus eius gemens, & quærens panem*, dum fames prævalet, & *parvuli petierunt panem, & non erat, qui frangeret eis.* Nonne parvuli, simplices petierunt panem *verbi Dei*, (ait Glossa Interlinearis) & non erat qui frangeret, *id est, exponeret*. Nec mirum defecisse panem, *quia periit messis*, Joële teste.

Thren. c. 4. v. 4.

Panis hic deest parvulis.

Ioël. c. 1. v. 11.

Qua ratione autem messis perierit, cum stupore narrat idem Propheta: *Audite hæc senes, & auribus percipite omnes habitatores terræ, si factum est istud in diebus vestris, aut in diebus patrum vestrorum?* Et quid hoc? *Residuum erucæ comedit locusta, & residuum locustæ comedit bruchus, & residuum bruchi comedit rubigo.* Æstimant aliqui hoc ad literam de quatuor malis intelligendum, quibus omnes Hebræorum fructus vastati sint, alij verò quatuor regna intelligunt, nempe per Herucham Assyrios & Chaldæos, per locustam Medos & Persas, per Bruchum Macedones, & maximè Antiochum Epiphanem, per rubiginem Romanos, qui omnes successivè Judæos afflixerunt, & vastaverunt.

Ioël c. 1. v. 2.

Ager Ecclesiæ devastatus.

A gentibus.

Sic etiam ager Ecclesiæ à variis populis afflictus, & devastatus, primò insultantes Judæos obstinatos tanquam Heruchas persecutores habuit, quibus Romani Imperatores tanquam locustæ, potentiâ elatæ, successerunt, sed omnium vehementissima fuit devastatio per regnum Mahometanum, & Turcicum, quod majorem Ecclesiæ partem depopulatum est, *quia periit messis* per totam Palæstinam, Ægyptum, Africam, Asiam, Græciam, & totum Orientale Imperium, ubi in tantum prævaluit fames, quòd nec est panis, quo animæ nutriantur, *quia periit messis*, nec Semen verbi Dei seminari potest: Hinc *omnis populus eius gemens, & quærens panem.*

Novissimè ab hæreticis.

His omnibus malis successit ultimum & pessimum nostris infelicibus temporibus, dum resi-

reſiduum Eruchæ, locuſtæ, & bruchi gentilium, & infideliũ populorum, comedit rubigo hæreſum modernarum, à quibus intacta ab infidelibus regna, & provinciæ Europæ noſtræ, iſta hinc inde exeſæ, & depaſtæ ſunt, ut paucæ integrę, & intactæ cum ſemine, & meſſe ſua permanſerint, reliquis vel adulterato ſemine corruptis, vel meſſibus vaſtatis, aut in ipſo horreo corroſis, *perijt meſſis*, invaluit fames, non panis, ſed verbi Dei, *parvuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis.*

IV. Quid lamentabilius, quàm ſi mater fame aut ſiti morientem cernat filium, cui ſuccurrendi non habet poteſtatem?

Expulſa è domo Abrahæ Agar cum filio ſuo Iſmaële, *errabat in ſolitudine Berſabee, cúmque conſumpta eſſet aqua in utre, abiecit puerum ſubter unam arborum, quæ ibi erat: Et abijt, ſeditque è regione procul,.. dixit enim: Non videbo morientem puerum; & ſedens contrà, levavit vocem ſuam, & flevit.* Intuetur afflicta mater Eccleſia, filios hinc inde in ſolitudine errorum vagabundos, ſiti, & fame verbi Dei perire, quibus ſubuenire nequiens, non ſuſtinet maternis oculis aſpicere morientes filios; *Defecerunt*, inquit, *præ lacrymis oculi mei, conturbata ſunt viſcera mea, effuſum eſt in terra jecur meum,.. Cùm deficeret parvulus, & lactens in plateis oppidi.*

Genes. 24 v. 14.

Agar ſiti morientẽ deplorat filium.

Thren. c 2. v. 11.

Quis non miſereatur parvulorum horum afflictis oculis deſolatam aſpicientium matrem, & lamentabiliter ad eam clamantium è deſerto errorũ: *Matribus ſuis dixerunt, ubi eſt triticum & vinum? Cùm deficerent quaſi vulnerati in plateis, cùm exhalarent animas ſuas in ſinu matrum ſuarum.* Ubi eſt triticum? *Spiritualis doctrina*, explicat gloſa Interlinearis, & vinum, *quod lætificat cor hominis.* Vel ſecundùm Hugonis mentem: ubi eſt triticum, *verbum Dei*, vel triticum, *id eſt Chriſtus?* Nempe in venerabili Sacramento. *Periit ſacrificium & libatio de domo domini, & luxerunt Sacerdotes miniſtri Domini.* Videntes tam numeroſum populum, gementem, & quærentem panem, deſiderantem triticum & vinum, ex cujus ſubtractione deficiunt parvuli & lactentes.

Sic & Eccleſia.

v. 12.

Gloſſa Interlin.

Hugo Card.

Hinc præ compaſſione *Confuſi ſunt agricolæ, ululaverunt vinitores, id eſt, Prædicatores, Doctores, & ſacramin ſtrantes* veri & Catholici, *ſuper frumento, vino, & hordeo, quia periit meſſis agri; vinea confuſa eſt*: & inde ſacrificium & libatio periit in tot regnis & provinciis.

Ioël c. 1. v. 12.

Lyranus in morali

Magna ſolicitudine & charitate de tritico & vino Eccle-

V.

Prov. 9. v. 1. *Christus ædificavit domum.*

siæ suæ providerat æterna Dei Sapientia. *Sapientia ædificavit sibi domum, excidit columnas septem, immolavit victimas suas, miscuit vinum & proposuit mensam.* Ut alias mysticas & morales expositiones præteream, cum Lyrano ad propositum nostrum dico: Quòd Sapientia divina, Christus Jesus, ædificavit sibi domum, scilicet *Ecclesiam*, excidit columnas septem, *septem Sacramenta; immolavit victimas suas, id est, seipsum in cruce; quod dicitur victimæ in plurali, quia continet virtutem cuiuslibet alterius sacrificii, & hujus sacrificii memoriale, est Sacramentum Eucharistiæ, in qua sub specie panis continetur Corpus Christi immolatum, quod est fidelibus cibus. Miscuit vinum, id est, dedit nobis sanguinem suũ qui conficitur in vino aqua mixto, & proposuit mensam, &c.* sacri scil. Altaris. Ad hanc ergo mensam, parvulos, (id est, humiles) per ancillas (Prædicatores) invitat divina Sapientia: *Venite, comedite panem meum, id est, Corpus meum, sub specie panis exhibitum; Et bibite vinum, quod miscui vobis: id est, Sanguinem meum, sub specie vini, in quo admiscetur aqua. In utraque enim specie* (pergit Lyranus) *communicabant antiquitus fideles, sed propter periculum effusionis sanguinis, ordinatum est, quod detur laicis, sub specie panis tantùm.* Clamant ergo invitati à divina Sapientia parvuli, & dicunt matribus, Ecclesiis particularibus: ubi est triticum, & vinũ? Ubi panis quem præbuit, ubi vinum, quod miscuit nobis Dei Filius? Ubi mensa, ubi altare, quod proposuit.

Lyranus hic. *Ecclesiam. Septem Columnæ 7. Sacramenta.* *Mensam altaris* Lyranus. *Cur modò sub una tantùm specie?*

Narrat Baronius magnum quondam Antonium miram de Arianis habuisse visionem, quam ipse S. Antonius his verbis simpliciter, & breviter descripsit. *Vidi Altare Domini, mulorum circumdatum multitudine, qui crebris calcium ictibus omnia dissipabant.* Verè mulorum multitudinem dicere possumus moderni temporis nostri Hæresiarchas, factos *sicut equus, & mulus, quibus non est intellectus*, hiniebant enim equorum instar ad luxuriam, & tanquam muli voluptuosa tantùm sequebantur pascua: Obstinatam cervicem in equis, maximè autem mulis notat Augustinus, super illud Psalmistæ, *nolite fieri sicut equus & mulus, quibus non est intellectus; nam equus & mulus* (ait ipse) *erecta cervice sunt, non sunt equus & mulus, sicut ille bos, qui agnovit possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui.* Sed maxillæ equi ferocis & muli duræ cervicis, in fræno constringendæ sunt. Duræ cervicis, & effrænes muli erant sectariorum anteSigna-

VI. Baron. An 339. n. 17. *Visio S. Antonii magni.* Pfal. 31. v. 8. S. Aug hic. *Muli hæretici.*

ni

nì, qui excusso obedientiæ jugo & fræno, tanquam onagri liberi in solitudine errantes, Apostolicæ sedis potestati se subtraxerunt: de quibus bene illud Jobi effatum intelligi potest: *Vir vanus in superbiam erigitur, tanquam pullum onagri, se liberum natum putat.*

Job c. 11. v. 12.

Sed ut ad propriam mulorum speciem revertamur, experientia docet, quòd mulus, cùm saturatus est lacte materno, calcibus petit matrem, hinc Plato recalcitrantem erga se discipulum Aristotelem, mulum vocabat tanquam ingratũ animal, quod à se doctrinæ lacte nutritum, beneficiũ non agnosceret. Nutriverat Ecclesia hos ingratos (ut decet piam matrem,) filios, sed tanquam ingratos contra se experta mulos, lamentatur: *Filios enutrivi, & exaltavi, ipsi autem spreverunt me.* Spreverunt scilicet, cùm senuerat, matrem suam, justè igitur erga Deum conqueritur: *Vide Domine, & considera, quoniam facta sum vilis.*

Mulus ingratus matri.

Hæreticus Ecclesiæ.

Isa. c. 1. v. 2.

Thren. c. 1. v. 11.

VI.

Sed non tantùm contra matrem Ecclesiam, & Christi Vicarium, sed contra ipsum altare Dei hi muli recalcitrârunt, omnia crebris calcium jctibus dissipantes. Calcibus enim suis omnes Sanctorum, imò & ipsius Christi Crucifixi imagines de altaribus, & Ecclesiis dejectas, tanquam profana gulosi Bacchi, aut luxuriosæ Veneris idola conculcârunt, de qua materia in Concione de uno Martyre fusiùs tractatum.

Recalcitrando dejiciunt imagines Sanctorũ.

Calcibus insuper petierunt septem in domo Dei excisas columnas, scilicet septem Ecclesiæ Sacramenta, ita ut aliqui eorum quatuor, alij quinque, alij sex columnas & Sacramenta penitus dejicerent, reservatis tantùm tribus, vel uno solùm, prout spiritus vertiginis ipsis dictabat, mutato ad libitum, & diruto SS. Sacramentorum numero.

Columnæ Sacramentorum.

Summum verò, ingrati hi muli, furorem in ipsam à divina Sapientia propositam mensam effuderunt, dissipantes scilicet calcibus mensam Domini, & sacrum missæ Sacrificium, ut periret Sacrificium & libatio de domo Domini: effuderunt vinum germinans virgines, panem Angelicum, cor hominis confortans, ipsúmque Corpus & Sanguinem Christi sub sacramentalibus speciebus reconditum conculcârunt, à memoria hominum eradere conantes hoc Sacramentum pietatis, signum unitatis, vinculum charitatis, sacramentorum, & *miraculorum ab ipso factorũ maximum*, uti testatur Doctor Angelicus.

Panem & vinũ consecratum.

S. Thom. Aquin. Opusc. 57.

Inde ingratiores effecti sunt hi

hi muli, unde se gratiores exhibere debebant, propter ipsam miraculi magnitudinem, miraculum divinæ omnipotentiæ spernentes: *In multitudine virtutũ*, (vel ut Augustinus legit, potentiæ) *tuæ mentientur tibi inimici tui.* In quem locum quærit Augustinus: *Quare solent inimici mentiri? Ut potentiam cuiusque minuant, de quo mentiuntur.* Mentiuntur inimici, mentiuntur sectarij moderni, ut minuant potentiam Dei, eámque progredi non posse asserunt, ut accidentia subsistere sine substantia, corpus humanum existere in tam parva hostiæ quantitate possit, ut fractis seu divisis speciebus non etiam frangi ipsum corpus debeat, & desinente panis substantiâ, remanere panis species, & accidentia possint. Hîc jubet Plato cum sua philosopha quiescere, & hîc sectarij quiescere jubent divinam omnipotentiam, ne talia audeat attentare miracula: Hîc columnas herculeas divinæ ponunt virtuti: *Non plus ultrà.* Hîc, hîc, omnipotentiæ Dei ponunt *vectem & ostia*, & dicunt: *Usque huc venies, & non procedes amplius, hîc confringes tumentes fluctus tuos.* Hîc siste, Dei omnipotentia, & noli ea attentare miracula, contra quæ, tota reclamat peripatheticorum schola, quæ omnia invertit Aristotelicitæ doctrinæ fundamenta.

Psal. 65. v. 3.

S. August.

Hæretici mentiuntur divinæ potentiæ.

Iob c. 38. v. 10.

O insensati equi, & muli! Qui divinæ potentiæ terminos, subtilibus philosophicarum aranearum texturis circumscribere, & irretire tentatis? Nunquid Philosophiæ legibus tenetur, nunquid ad angustos intellectûs vestri cancellos restringitur, nunquid ad oculorum vestrorum judicium commensuratur divina potentia? VII. *Divina potentia nostrum intellectũ superat.*

Quodsi secundum oculum, & naturale rationis & intellectûs dictamen divina judicare velitis mysteria, ubi SS. Trinitatis, ubi Incarnationis mysterium locum inveniet? Ubi unquam inventa mulier *Gaudia Matris habens cum virginitatis honore?* Nunquid omnis reclamat Philosophorum doctrina, & tamen plus tribuendum divinæ potentiæ, quàm physicorum demonstrationibus in hoc mysterio non dubitatis. Quid ergo vos ad hujus fidei mysterium, & miraculum divinæ potentiæ in SS. scilicet Altaris Sacramento negandum impellit, quod à SS. Patribus pletumque pari, cum incarnatione, miraculo commensuratur. *Hæ sunt* (exclamat S. Thomas de Villanova) *mirabiles illæ inventiones, quas in populis prædicari Propheta commonet, dicens: Notas*

Transubstantiatio.

Et Incarnatio.

pari passu ambulant.

S. Thom. de Villan. Conc. de Sacram.

facite

Isa. c. 12. v. *facite in populis inventiones ejus; O inventio singularis! Deus & homo, in uno supposito, Christo. O aliam huic, etsi non æqualem, certè similem inventionem! Deus & homo Christus, in exiguo Sacramento.* De hoc mysterio fidei, & SS. Sacramenti veritate cum præfato Antistite, omnes testantur SS. Patres, excepto nec unico, quorum testimonia jam alibi allegata, uti repetere supervacaneum est, sic ea omnia rejicere, non hominis rationalis est, sed Equi & muli, quibus non est intellectus.

Omnes sancti Patres testantur.

S. Th. de Villan. Con. 3. in die S. Corp. Christi. *O impudentiam malignorum! O frontem durissimam hæreticorum! quo judicio, qua ratione, tam evidentibus testimonijs refragari conantur? Quid ais, ô hæretice? quid dicis? Christus asserit. Hoc est corpus meum; Et tu dicis, non est ibi corpus Christi. Christus ait: Caro mea verè est cibus, & tu ais: non est verè sed mysticè? Miser, si Evangelium profiteris, cur tam impudenter Evangelio contradicis?*

Hæretici non credunt. Si autem hominum testimonia non accipitis, vel ipsius Dei testimonium accipite: tam clarè dicentis, Hoc est corpus meum: Non enim dixit: hoc significat corpus meum. *Quid dicere potest Deus* (argumentatur memoratus Archiep. Valentinas) *ut non rei difficultas à dicentis auctoritate superetur? Et quidem, si credibilia per seipsa attendas, difficilia sunt, si ad dicentem conferas, facilia sunt. Hinc omnis hæreticorum, & paganorum cæcitas oritur, quia cum dicente dicta non conferunt, sed per se illa discutiunt. Unde dicunt: Durus est sermo iste, & quis potest eum audire?* Cessent ergo discutere rationibus ea, quæ rationem omnem transcendunt: *Ratio facti, est potentia facientis*, ait S. Augustinus.

Quia ratione tam imminuitur.

Joan. c. 6.

VIII.

In multitudine hujus *potentiæ mentiuntur tibi* quidem *inimici tui*, sed enim (ut etiam de mysterio, & potentia Resurrectionis advertit Augustinus) *mendacium illorum, ad commendandam multùm potentiam tuam valebit, ... Nam minus appareret potentia tua, si tibi illi non mentirentur.* Si enim mentiti non fuissent inimici, & hæretici in potentiam Dei circa mysterium SS. Sacramenti, summa Dei potentia (quæ ad probandum hoc veritatis mysterium maxima miracula operata est) nunquam ita toti mundo illuxisset, nisi Hæreticus mulâ suâ stolidiòr, realem Christi præsentiam in Venerabili Sacramento negâsset, non illud mula famelicia flexis poplitibus adorâsset; nec totus populus & mundus hanc potentiam ita deprædicasset, nisi nobilis ille Seefeldensis, Osualdus Mulserus, minori hostiæ particula non contentus, majorem hostiam consecratam, qualem Sacer-

S. Aug. in Psal. hîc.

Mètiendo provocant miracula.

Ille Rimi-nensis. *Exempla.*

Bredenbachius, Lucas Pinelli. & speculum exemplorum.

cerdos in missa adhibet, porrigendam sibi prætendisset, terra ad ipsum deglutiendum non dehiâsset. Nisi Marburgensis ille, dubitans de vera Christi carne, dentibus momordisset hostiam consecratam mentiens potentiæ tuæ, ea in veram carnis particulam, seu frustulum transformata non fuisset (cujus pars una Coloniæ, altera Lovanii apud RR. PP. Augustinianos asservatur, hancque propriis vidi oculis) nisi ergo mentiti fuissent inimici tui, non ita apparuisset miralosè potentia tua.

Recensetiamnum aliqua recentia S. Thomas de Villan. nec de antiquioribus, & sanctorum Patrũ testimonio roboratis miraculis ulteriorẽ vult facere mentionem. *Omitto* (inquit) *quæ in sanctorum codicibus passim leguntur, de hoc Sacramento miracula potentissima*, quæ temerẽ, (sanctorum testimonjis roborata) negantur. Agnoscant ergo inimici Corporis, & Sanguinis Christi veritatẽ, nam mentiendo potentiæ tuæ, non tantùm eam non mineunt, sed *mendacium illorum ad commendandam multam potentiam tuam valebit.*

9. Thom. Villan. cit.

SS. Patribus non creditur.

Et creditur historicis.

IX. Sicut ergo inimicorum & hæreticorum mendacium divinam excitat potentiam, ita etiam nostram excitare debet devotionem erga hoc Ven. Sacramentum, prout etiam de S. Theresia legimus, quòd inaudiens hoc SS. Sacramentum ab hæreticis nostri temporis, & regionis, penitus exauctoratum, non solùm maximum inde conceperit dolorem, quòd hic amoris divini excessus per excessum perfidiæ apud eos obliteratus sit, sed etiam quòd inde inimicorum mentientium defectum, ardentiori fide & devotione sua supplere conata, eò reverentius & ardentius hoc augustissimum Sacramentum venerata sit.

S. Theresiæ zelus erga SS. Sacramentum.

Tam ardentem erga hoc mysterium fidei zelum B. Catharina Bononiensis in vitâ gesserat, ut is mortuo corpori adhuc inhærere visus sit; narrant quippe chronica nostra Minoritana, eam decimo nono post obitum die rursus effossam, & exhumatam, atque incorruptam ante altare majus (in quo Venerabile Sacramentum asservabatur) collocatam, Augustissimo Sacramento mortuam, eam (quam viva consueverat) exhibuisse inclinando, reverentiam.

B. Cathar. Bon. jam mortua.

Chron. Ital. p. 1. l. 4. c. 30. Germanica p. 4. l. 4. c. 29.

Quid ad hæc Lutherane? quid Zuingliane? En flectuntur mortui, prosternuntur muli, dehiscit terra, & tu petra durior, mortuo rigidior, mulo obstinatior, non tantùm reverentiam

Hæretici mortuis rigidiores, Mulis obstinatiores.

tiam exhibere detrectas huic augustissimo Sacramento, sed etiam instar muli recalcitrando & vinum, & panem, & mensam à Deo propositam evertere, & parvulis triticum & vinum eripere conaris. Proscribe sensuum externorum experientiam: *Quod non tangis, quod non vides, animosa firmat fides præter rerum ordinem.*

Adoremus igitur Deum nostrum sub speciebus sacramentalibus, tanquam in speculo & in ænigmate velatum, ut eum de facie in faciem aspicere mereamur, & hoc Angelorum pane æternum perfruamur in gloria, Amen.

DISCVRSUS XXII.

Caph.

Dederunt pretiosa quæque pro cibo, ad refocillandam animam. *Thren. c. 1. v. 11.*

DE ANIMA.

Anima peccatrix pro vilissimo terrenæ consolationis cibo, pretiosissima sua dilapidat, & largitur.

Sic fame Solymorum civitas, à Chaldæis obsessa præmebatur, ut populus non tantùm *gemens, & quærens panem*, discurreret, sed etiam *pretiosa quæq;*, nempe *vestes, vasa aurea & hu-*
Hugo hic. *iusmodi* (ut Hugo exponit) offerret *pro cibo, ad refocillandam animam.* Ubi bene notat præfatus auctor, *Non dicit ad sustentandam; quia illa non sufficiebant ad sustentationem, tanta erat penuria & defectus:* Sed tantùm ad refocillandā animam dederunt pretiosa quæque.

Moraliter; omnia quæcunque terrena, quæcunque transito- *Pro micis consolationis*

sitoria sunt, ad sustentationem animæ, & pellendam internam appetituum famem non sufficiunt, sed momentaneam tantùm præbent refocillationem, pro qua tamen peccator pretiosa quæque largitur; quod bene Cornelius insinuat: *Sic peccator* (ait) *propane, imò mica una consolationis, puta pro exiguis deliciis, pro modica gula, fastu, & ambitu, puncto honoris, dat omnia sua desiderabilia, quin & vires suas omnes, ipsámque animam impendit & dæmoni vendit.* Huic etiam expositioni consentit Hugo Carensis, qui tria maximè desiderabilia, & pretiosa esse notat: *Tria sunt pretiosa: Anima,* quam scilicet pretioso sanguine suo Dei Filius redemit, & inæstimabilis omnino pretij est, uti in Conc. Dom. 22. Pent. demonstratum fuit. *Item virtutes, quibus regnum cœlorum emitur,* de sapientia enim testatur patiens Propheta: *nescit homo pretium eius.* Et demum *vita æterna,* quæ est pretiosa illa margarita & thesaurus absconditus, quem qui invenit homo, abijt & vendidit omnia, & emit eum. Hunc tamen thesaurum ita vilipendit peccator, ut non gravetur pro mica consolationis terrenæ, totum thesaurum hunc, & æternæ vitæ hæreditatem dare.

Cornelius hic.

Peccator dat pretiosa sua.

Hugo Card.

Animam.

Virtutes, Iob. c. 28. v. v. 13.

Vitam & æternam

Math. c 13. v. 45.

II. Coxerat sibi de lentibus ruffis pulmentum Jacob, cui superveniens de agro lassus Esau, ait: *Da mihi de coctione hac ruffa, quia oppidò lassus sum.* Recusaverat famelici fratris precibus condescendere Jacob, nisi probè sibi pretio pulmentum solveret, quod quidem pretium justam rei æstimationem longè excedebat, jus quippe primogenituræ prætendebat pro pulmento sibi donari Jacob, quo contractu non tantùm ultra dimidium Esau lædebatur, sed inusitata omniò apparebat improportio, ut jus primogenituræ, cui sacerdotij & hæreditatis jus connexum fuerat, pulmento venderetur. Sed tanta erat lassati Esau fames, ut vel ipsa primogenita vendere, quàm perire mallet: *En morior!* exclamat: *quid mihi proderunt primogenita?* Quare Jacob ad jus suum meliùs stabiliendum, juramento contractum firmari postulat: *Jura mihi. Juravit Esau, & vendidit primogenita; & sic accepto pane, & lentis edulio comedit, & bibit, & abiit, parvipendens, quòd primogenita vendidisset.*

Gen. c. 25. v. 29.

Esau famelicus

Vendit primogenita pro lenticula.

Per Esau venationis gnarum, & avidum, rectè peccatorem intelligit magnus Gregorius, *venatio Esau, vitam illorum significat, qui exterioribus voluptatibus fusi, carnem sequuntur.* Currunt hi venatores silvatici,

Esau venator, peccator.

Apud Hugonem & hic.

& inculti per devia & avia, vagantur per omnia dumeta, vepres & spinas, feras suas, & indomitas venaturi voluptates, diu noctúque in sua occupati quantumvis laboriosa venatione, quò plus labore gravantur & exercentur, eò minùs desistere à labore sciunt: non generosis feris, sed tantùm muscis & papilionibus vanitatum & noctuis venandis intenti & cum suis venabulis, cassibus, & pharetris, circumvagantes, casso consumuntur labore, quare lassi & defatigati cum Esau venatore, fame penè conficiuntur. Nam *Esau de agro lassus* illos significat, qui apud Sapientem ingemiscunt, *lassati sumus in via iniquitatis*, uti Hugo notat, qui addit, quòd *in hoc contractu significatur, quòd reprobi, propter lenticulã, id est, temporalia, vendunt æternã hæreditatẽ. Omnis populus gemens, & quærens panem; dederunt pretiosa quæque pro cibo, ad refocillandam animam.* Non ad sustentandam, sed refocillandam tantùm animam omnia deserviunt terrena, nam teste Bernardo, *non plùs satiatur cor hominis auro, quàm corpus vento. Unde Oseæ 12. Ephraim pascit ventum, & sequitur æstum.* Famelicus ergo venator peccator insatiabilis, cum Esau lassatus exclamàt: *Ecce morior!* Quippe (ut cum præfato Expositore loquar) *Mali se mori æstimant si temporalibus non abundant.* Isaiæ 50. *Computrescent pisces sine aqua, & morientur in siti.*

Lassatur venando.

Sap. c. 5. v. 7.

Hugo ibid

Capit cibum vilissimum.

Apud eund Glossa Interl.

Luc. 15. v. 16.

Glossa moralis.

Voluptas, cibus porcorum.

Tam ardens sitis & valida fames horum venatorum, est ut cum filio prodigo facilè omnem substantiam suam, & cum Esau primogenita vendant pro cibo levissimo: Nam lenticula, *esca est brutorum animalium*, uti Interlinearis testatur, pariter filius prodigus *cupiebat implere ventrem de siliquis, quas porci manducabant*, nempe *de cibo porcorum, qui est carnalitas!*, quam isti venatores tam ardenter esuriunt, ut totam substantiam suam, & pretiosa sua, animam, virtutes, & ipsam vitam æternã pro cibo isto vilissimo dare non graventur. Et sicut famelicis omnia (etiam aliàs humano sapori & nutrimento incongrua & insipida) sapiunt, licet sanitas & vita maximè inde lædatur, sic peccatores fame sua insatiabiali stimulati ad fœtidissima quæque (contemptis pretiosis, & humanis, cibis) esculenta inhiant.

III.

Ineffabili Deus providentiâ Israëliticum populum manna de cœlis demisso sustentavit in deserto, quod saporem omnis continebat cibi delectabilis, sic enim expresè in libro Sapientiæ commemoratur: *Angelorum esca nutrivisti populum tuum, & paratum*

Sap. c. 16 v. 20.

ratum panem de cœlo præstitisti illis, *Manna sine labore, omne delectamentum in omnem hasę habentem, & omnem saporis suavitatem*: adeò ut manna eum cuique saporem, quem volebat, exhiberet, quod miraculum Deus per 40. omnino annos continuabat.

Viluit Israelitis. Hoc tamen continuum miraculum, ipsúmque manna ita Israëlitico populo viluerat, ut nausearet illud, tanquam cibum vilissimum, *flagravit desiderio carnium, sedens & flens*, ac contra Moysen & Deum expostulans clamavit: *Quis dabit nobis ad vescendum carnes? ... In mentem nobis veniunt cucumeres & pepones, porrique & cepe, & allia. Anima nostra arida est, & nihil aliud respiciunt oculi nostri, nisi Man.* Conqueritur insipidus populus animam suam arescere cibo illo cœlesti, quam saginandam, & impinguandam alliis, & cepe sperabant, *quæ solent* (uti Doctor meus Seraphicus notat) *oculos intuentium, & comedentium ad lacrimas provocare.*

Num c. 11 v. 4.

Allia lacrymas provocant

S. Bonav. in Thren. c. 1. v. 11.

Quid igitur delectamenti, quid consolationis ex alliis, cepe & porris hauserunt Israelitæ, ut his (rejecto, & contempto manna) tam avidè inhiarent? Nempe fames & appetitus perversus hominis ita vetitis inhiat, & illicita esurit, ut magis perverso illius gustui sapiant amara, aspera, & damnosa illicita, quàm sana, dulcia, utilia & licita. Hinc ergo etiam peccatrix anima Manna nauseat. *Quid enim signatur in Manna* (scribit Gregorius:) *nisi esca gratiæ, suave sapiens ad refectionem interioris vitæ*, quam refectionē gratiæ peccatrix anima nauseans, ollis Ægypti inhiat. *Quid signatur per ollas carnium*, (infert idem Gregorius) *nisi carnalia vitæ opera, in tribulationum doloribus, quasi ignibus excoquenda?* Cùm tamen manna cœlestis gratiæ, & consolationis sine labore sine igne ardentium illarum (quales mundanæ vitæ sectatores patiuntur) tribulationum, diligentibus se Deus largiatur: Sed pergo cum magno Doctore Gregorio: *Quid per pepones, nisi terrenæ dulcedines? Quid per porros, & cepas exprimitur, quæ plerumq; qui comedunt, lacrymas emittunt, nisi difficultas vitæ præsentis, quæ à dilectoribus suis, & non sine luctu agitur, & tamen cum lacrymis amatur? Manna igitur deserentes, cum peponibus ac carnibus porras, cepásque quæsierunt, quia videlicet perversæ mentes dulcia per gratiam quietis, dona despiciunt, & pro carnalibus voluptatibus, laboriosa huius vitæ itinera, etiam lacrymis plena concupiscunt; Contemnunt habere, unde spiritualiter gaudeant; desiderant er appetunt, ubi & carnaliter gemant ... Perversi iudicio, perturbata tranquillis, dura lenibus, aspera*

Manna gratia consolationis. Greg. 20. Mor. c. 16

Ollæ carnium consolationes carnales.

Sic & alia & cepa

Lacrymas provocant

aspera mitibus, transitoria æternis, suspecta securis anteponunt. Hæc D. Gregorius.

IV. Ratio horum est, quòd palatus internus animæ, ex inordinata fame destructus, & depravatus per mundanarum consolationum avidam ingurgitationem, nihil discernere amplius sciat, quasi ebrius: *nam ebrius quisque, quod patitur, nescit*, ait Gregorius. Conqueritur Jeremias, vel potius anima peccatrix, *Inebriavit me absynthio. Qui absynthio inebriatur, & hoc, quod sumpsit, amarum est, & tamen non intelligit eandem amaritudinem, qua repletur: quia & amara sunt, quæ pro hujus vitæ amore tolerat, & tamen eandem amaritudinem, cæcitate cupiditatis, quasi præ insensibilitate ebrietatis ignorat: mundi enim gloriam sitiens, dum multas pro ea tribulationes reperit, amarum est, quod bibit, sed quia hoc nimis inhianter sumpsit, ejusdem amaritudinis malum discernere, tam præ ipsa ebrietate non sufficit.* Ebrietas ergo, & appetitus (sitísque & famis) pruritus faciunt, ne sentiat peccator, & discernat vilissimi potûs, vel cibi sui amaritudinem, aut impuritatem.

Ebrius nescit, quid patitur.

Thren. c. 3. n. 15.

Peccatores sunt ebrij.

Canis venaticus esuriens, sordidissima quæque rodit cadavera, & fœtentes bibit lacunas, sic & peccator venandis tantùm vanitatibus intentus, & ad divina piger, & otiosus, comparatur â Doctore seraphico cani famelico: *Huiusmodi enim piger & otiosus, ad modum canis esurit, & omnes sensus, universalem famem patiuntur: juxta illud psalmi. Famem patientur, ut canes. Os enim eius esurit cibaria delicata, lingua verba vana, manus vilia, cor honores, auris rumores, & oculi vanitates.* Et hæc omnia quid sunt, nisi fœtentes lacunæ, & sordida cadavera, quibus tamen instar canis famelici inhiat peccator, & pro cibo hoc vilissimo dat pretiosa quæque, ad refocillandam animam.

Canis famelicus Peccator.

S. Bonav. Diæt tit. 1. c. 7,

Psal. 58. v. 15.

Asinus (uti idem seraphicus observat) urticis urentibus & pungitivis carduis pascitur, nec tantùm habet discretionis & luminis, ut asperis hisce relictis pascuis, ad pinguiora se convertat: Haud secus acedioſus, & piger peccator. *Libenter pascitur huiusmodi pungitivis, id est delectationibus perversis, quasi aculeatis.*

Sicut asinus pascitur pungitivis.

S. Bonav. ibidem.

V.

Hoc insinuare etiam videtur Job; *Et manducabant herbas, & arborum cortices, & radix iuniperorum erat cibus eorum. Herba, est terrena consolatio; cortex, exterior gloria ... Iuniperi pro foliis, quasi spinas habent, spina verò est omne peccatum, quia dum trahit ad delectationem, quasi pungendo lacerat mentem:* Hæc, glossa ord. nec tamen pungitivos hos cibos recusant peccatores, *& esse sub sentibus,*

Iob. c. 30. v. 4.

Cortex & iuniperus peccata.

Glossa ord Iob. c. 30. c. 7.

tibus, *delicias computabant*, sub sentibus, *peccatorum* glossatur Hugo Cardinalis; nervosiùs Interlinearis, notat, quòd peccatores sub hujusmodi lætantur, *ignari veri gaudij, ... In his delectantur, in quibus tamen punguntur adversis, quod à stultis didicerant filij stultorum, & ignobilium*, imò Asini irrationales, non nisi his pungitivis delectari, & refocillari edocti. *Hinc est* (uti docet Gregorius) *quòd lacrymarum causas tripudiantes peragunt, hinc est, quòd mortis suæ negotium ridentes exequuntur*, & tanquam asini carduis, aut jumenta fæno, cari emptis contenti, ad cœlestia pascua non suspirent.

His nutritur peccator.

S. Greg. 20. Mor. c. 15. in fine.

Iob. c. 6. v. 5.

Quærit Vir Patiens: *Nunquid rugiet Onager, cum habuerit herbam, aut mugiet bos, cùm ante præsepe plenum steterit? Per onagrum & bovem*, (juxta expositionem glossæ moralis) *qui sunt animalia bruta, significantur homines carnales, vitam pecudum eligentes, & per herbam & præsepe plenum, abundantia delitiarum, in quibus quiescunt voluptuosi, tanquam in optato fine.* Licet vera quies non sit, cùm plenum nunquam sit præsepe, plenúmque gaudium, quare semper rugiunt, & mugiunt miseri peccatores, insuper herba & fænū semper pungentibus carduis, & urentibus urticis mixtum erit. At quomodo homines tanquam bruta hisce delectari possunt? *Aut poterit comedi insulsum, quod non est sale conditum?* quærit ulteriùs Patientissimus mortalium, *aut potest aliquis gustare, quod gustatum affert mortem? Animæ enim esurienti, etiam amara, dulcia esse videntur. Id est: anima esuriens, etiam amarum pro dulci sumet*, exponit Hugo Card. Quamvis fateatur ipse: *Hæc clausula, non est in antiquis codicibus, nec Gregorius exponit eam.* Emphaticè autem propositionem suam Job concludit: *Quæ priùs nolebat tangere anima mea, nunc præ angustia cibi mei sunt:* Urgente scilicet fame, & pruritu concupiscentiæ, dum peccator veri gaudij, & consolationis cœlestis ignarus, ad terrena quævis, licet pungentia, amara insulsa, & insipida se convertit, dans pretiosa quæque cum filio prodigo, totámque substantiā pro cibo levissimo, & pro mica consolationis terrenæ totam hæreditatem regni cœlestis.

Hugo Card. hic.

Peccator esurient insulsa comedit.

VI.

Indignum homine cibus.

O miseri mortales! ô emptores fatui! tanto pretio, tam pretiosis pignoribus interitum & miseriam vestram comparatis? tam cari carduos, & urticas, allia & cepas, siliquas, & lenticulas insulsas terrenarum delectationum coëmitis? quid homini cum cibo porcorum? quid animæ cum pascuis asinorum? cùm insignis Theologus,

S. Pe-

Petri Trigosi dictū. S. Petrus Trigosus, Capuccinus noster, tomum illum de uno & trino conscriberet, vix alia, *Annales Anno 159.* quàm fabarum obsonia à coquo recipiebat, cui jocando objecisse fertur: *Quid fabis cum Trinitate?* unde commune inter fratres ortum proverbium: *quid fabis cum Trinitate?* vel, *Quid Trinitati cum fabis?* At quæso, mi Christiane, quid animæ (SS. Trinitatis imagine insignitæ) cum fabis agrestibus, carduis, & siliquis? quid electo populo cum cepis Ægyptiorum lacrymas copiosè provocantibus? Si famelici estis, non circuite civitatem, famen patientes, ut canes, rodendis ossibus & cadaveribus assueti, sed ad mensam Domini, & benigni Patris vestri recurrite. Recogitate obsecro cum filio prodigo jam meliora sentiente: *Quanti necessarii, in domo Patris, abundant panibus?* scilicet consolationibus internis, prout innuere videtur in hunc locum Doctor seraphicus, *Abundant panibus*, id est, *in domo Dei feliciter & suaviter vivunt: Et ego hîc fame pereo!* Bene notat Gregorius: *Qui intus gustare nolumus paratam dulcedinem, propterea jejuni & famelici amamus miserè famem nostram*, & eam amando perimus. *Gustate ergo & videte, quoniam suavis est Dominus*, Gustate prius in affectu (ait Hugo) & secundò videte in intellectu. Quia gustatio facit videre; unde 1. Reg. 14. dicit Jonathas: *vidistis ipsi, quòd illuminati sunt oculi mei, eò quòd gustaverim paululum de melle isto.* Nam caligaverant oculi Jonathæ, *nimio calore, & prelio & ieiunio priùs reverberati.* Sic etiam peccator terrenarum rerum, & cupiditatum labore & calore, jejunio & fame debilitatus caligare incipit, ut miseriæ suæ abjectam conditionem aspicere, & cognoscere non possit, sed cùm paululùm mellis (quod est, teste Hugone, *Dulcedo divinæ bonitatis*) gustaverit, tunc illuminantur oculi, ut videat cum horrore brutalis cibi sui, cui priùs inhiaverat, fœditatē, illo rejecto paternæ domûs mensam, & panem, sibi à Patre oblatum gustaturus.

Luc. 15. v. 17. S. Bonav. hic. *Apud S. Bonav. solil. c. 1.* *Psal. 33. v. 9.* *Hugo Card. h. c.* *1. Reg. c. 14. v. 29.* *Glos. Interl.* *Mel dulcedinis divinæ, aperit oculos.*

VII.

Ad hanc consolatoriam animi refectionem affectuosè nos invitat divina clementia: *Omnes sitientes, venite ad aquas, & qui non habetis argentum, properate, emite, & comedite, spiritualem delectationem*, exponit Card. à S. Caro. sed quomodo, qui argentum non habent, emere jubentur? Explicat se Divina benignitas: *venite, emite, absque argento, & absque ulla commutatione vinum & lac. Quare appenditis argentum non in panibus, & laborem vestrum non in saturitate?* Hoc est (secundùm Cornelij explicationem) *non in cibo, & pane satu-*

Isa. c. 55. v. 1. Hugo Card. *Emite.* *Cornelius hic.*

saturante? Quasi diceret: Cur laborem vestrum, argentum vestrum, pretiosa vestra, animam, virtutes, famam, terrena, & cœlestia bona in cibum vilissimum, bestialem, insipidum, & non saturantem expenditis? Optimè in hoc loco hortatur nos glossa ordinaria, quare *ponitis studium & laborem vestrum, circa bona temporalia transitoria, & deceptoria, quæ non reficiunt, sed magis famem & sitim faciunt, quia cupiditatem augent.* Emite ergo, & quidem sine argento, cibum solidum, sapidum & angelicum, pro hoc pretiosa quæque largimini. *Audite audientes me, & comedite bonum, & delectabitur in crassitudine anima vestra:* In crassitudine *charitatis, & aliarum virtutum,* addit Hugo Carensis cum glossa Interlineari. *Inclinate* igitur *aurem vestram, & venite ad me: audite, & vivet anima vestra, vitâ gratiæ* (ait ordinaria) *& posteagloriæ. Amen.*

Sed sine argento.

Glossa Interl.

Hugo & Interl.

DISCUR-

DISCVRSVS XXIII.

Lamed.

O vos omnes, qui transitis per viam, attendite & videte, si est dolor, sicut dolor meus!
Thren. c. 1. v. 12.

DE ECCLESIA.

Transeunt omnes status, & vulneratam Ecclesiam prætereunt, nec est, qui Samaritani munus obire velit.

II

Vox Ecclesiæ

LAcrymabilis gemitus, alta suspiria, tristes singultus, vox lugubris aures vestras pulsat, auditores. *O vos omnes, qui transitis per viam, attendite, & videte, si est dolor, sicut dolor meus.* O *vos omnes*, sive necessarij & amici, sive extranei, *qui transitis per viam*, in qua gemens & dolens jaceo, *attendite*, diligenter, *& videte*, compatiendo, *si est dolor*, tam graviter affligens, *Afflicta.* & torquens, sicut dolor meus, quo ego affligor. Unde hæ querelæ lamentabiles? cujus sunt hæc funesta altis singultibus fracta verba? Cujus vox lacrymabilis? *Est vox Ecclesiæ in tribulatione constitutæ*, respondet Doctor meus Seraphicus, *quæ ab alienis impugnatur, à filiis propriis non defenditur, sed potiùs à plurimis deshonestatur.* Clamat ergo, ingemiscit, plangit, suspirat jacens in afflictione S. mater Ecclesia, & transeuntium omnium lamentabiliter opem implorat, sed transeunt omnes per viam, non attendunt vulneratam, non vident compatiendo desolatam, ut meritò

S. Bonav. in Thren. hic.

Ab omnibus derelicta.

Psal. 21. v. 8. cum regio propheta conqueri possit: *Omnes videntes me, deriserunt me; locuti sunt labiis, & moverunt caput.*

II. Legisperito argutè Dominum tentanti, appositè divina Sapientia parabolâ illâ hominis ab Jerusalem in Jericho descendentis obviavit, qui in latronum manus incidens, non tantùm omnibus spoliatus, sed insuper graviter vulneratus, semivivus relictus est. Casu igitur transiens eâdem viâ Sacerdos, vulneratum vidit quidem, sed ad compassionem parum commotus, præterivit: Similiter & Levita, uti vestigia Sacerdotis, ita duritiem cordis secutus pertransijt. Demum Samaritanus quidam iter faciens, & videns *eum, misericordiâ motus est, & appropians alligavit vulnera ejus, infundens oleum, & vinum, &c.*

Luc. 10. v. 30. *Vulneratus in via Jericho,*

Denotat Ecclesiam vulneratam.

Similis ferè casus est, afflictæ, & desolatæ matris Ecclesiæ, quæ incidit in latrones, per quos Hugo Cardinalis etiam hæreticos intelligit, & possunt pari ratione latronum nomine omnes gentiles & infideles populi designari, qui desertum hujus mundi deprædando percurrentes, Ecclesiam quasi viduam desolatam inter angustias comprehensam, spoliârunt, & impositis plagis semivivam reliquerunt, unde cum cœlesti sponsa conqueritur: *invencrunt me Custodes, qui circumeunt civitatem; percusserunt me, & vulneraverunt me, tulerunt pallium meum mihi Custodes murorum.* Cant. 5. v. 7.

Quamvis non desint, qui cum S. Gregorio & Hugone hunc passum in bonam partem interpretentur, meliùs tamen & germaniùs Theodoretus, Titelmannus & alij in malam partem accipiunt, unde per Custodes intelligunt Reges & Tyrannos hæreticos, & perversos; Tales fuerunt Reges Ariani, ut Valens Theodericus, Gensericus, Hunericus, cæteríque, qui in persecutione Gothica & Wandalica, Ecclesiæ orthodoxos Doctores & Episcopos bonis, libertate, & vitâ spoliârunt. Tales hodiéq; sunt Saraceni, & Mahumetani. Tales quoque fuerunt impij Episcopi & Prælati, qui in hæresim declinaverunt, ut Dioscorus, Nestorius, Eutiches, Pelagius, Priscilianus, qui palliũ Ecclesiæ per schisma & hæresim discíderunt, maximè autem Arius; unde Petrus Alexandrinus Episcopus testatur, *noctu apparuisse sibi Jesum veste dississâ causámque rei sciscitanti dixisse: Arius vestem meam, quæ est Ecclesia, dilaceravit.* Breviar. Roman. 26. Nov.

à Latronibus, id est, infidelibus Cornelius hic. *Principibus* *Episcopis Arianis, &c.*

Eâdem crudelitate in Ecclesiam Dei modernis temporibus desævierunt Custodes infideles Lutherus

Lutherus, Calvinus, Zvvinglius cum suis sectatoribus, qui turpiter Ecclesiæ vestem per doctrinarum falsarum schismata lacerârunt, pallium pudicitiæ, & integritatis gloriam abstulerunt, Reges autem & Principes hetherodoxi, nec minus Mahumetani, & Saraceni graviter Ecclesiam percusserunt, & vulneraverunt, tot quasi amputatis artubus & membris, quot provincias & regna ab Ecclesiæ unitate abscisderunt. Clamat ergo gemens Ecclesia, & spoliata, nudata, percussa, & vulnerata omnium implorat opem: *O vos omnes, qui transitis, attendite, & videte, si est dolor, sicut dolor meus.*

Modernis hæreticis.

Saracenis.

III. Quis siccis hoc spectaculum lacrymabile intueatur oculis? Quis cum plorante, & ingemiscente matre, non ingemiscat, & collacrymetur? Quis non compatiatur vulnera ejus non alligari? *Nunquid resina non est in Galaad? Aut medicus non est ibi? Quare ergo non est obducta cicatrix populi mei?* Nunquid medicus non est ibi, *Propheta, vel Sacerdos*, glossatur Interlinearis, horum enim maximè est, officium medici Ecclesiæ vulneratæ præstare; Medici enim, & Samaritani (qui Custos interpretatur) & pastoris munus Sacerdos obire debet, præcipuè verò Summi Sacerdotes, Pontifices, Episcopi & Prælati. Sed prô dolor Sacerdotes multi eâdem viâ descendentes, visâ licet Ecclesiâ vulneratâ, & percussâ, tamen prætereunt: *Nullâ facta misericordiâ* (notat Hugo) *cùm tamen ideò ungantur manus Sacerdotum, ut affluant misericordiâ.* His graviter comminatur Deus per Ezechielem; *Væ Pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos... Lac comedebatis & lanis operiebamini, &c.* Sed è contra, *quod infirmum fuit, non consolidastis, & quòd ægrotum, non sanâstis: quod fractum est, non alligastis.* O Pastores, Sacerdotes, Prælati, & Custodes, *stupor obtinuit me. Nunquid resina non est in Galaad, aut Medicus non est ibi? Quis medebitur tui?*

Jerem. c. 8 v. 22.

Glossa Interl.

Non est medicus.

Hugo hîc.

Ezech. c. 34. v. 4.

Medici Prælati Ecclesiæ.

Thren c. 2. v. 13.

Fuerunt, qui, æquè muneris sui memores, ac afflictæ Ecclesiæ compatientes, Medici, & Chyrurgi officium subire non recusabant: Sed nec medicina, nec tempus, tot, tantísque vulneribus suppeditabat. Nam *Languor prolixior gravat medicum.* Alij vel minùs peritè, vel minùs fideliter, officio medici functi sunt, contra quos cum paupercula illa (sanguinis profluvio duodecim annis afflicta) muliere, bene sancta & afflicta mater Ecclesia conqueritur, quòd *fuerat multa perpessa à compluribus medicis, & erogaverat omnia sua, nec quicquam profecerat, sed magis*

Eccli. c. 10 v. 11.

Aliqui imperitè medicantur.

Marci. 5. v. 26. *Ecclesia passa à medicis.*

Ecclesia passa à medicis.

magis deteriùs habebat. Quod idē confirmat Lucas medicus; *in medicos erogaverat omnem substantiā suam.* Hi ergo Ecclesiam, substantiâ suâ exhaustam derelinquentes, prætereunt. *Quis medebitur tui?*

Luc. c 8. v. 43.

IV. Succedunt Sacerdotibus Levitis & Prælatis, Principes, Reges & Monachæ, descendentes eâdem viâ, in qua spoliata, percussa, & vulnerata jacet Ecclesia, quæ non minùs eos lamentabili voce interpellat: *O vos omnes, qui transitis, attendite & videte, si est dolor, sicut dolor meus.* Meritò tam miserabilis Ecclesiæ facies, ad compassionem movere deberet humanum Christiani Principis animum.

Principes deberent esse medici.

Tam tenero Magnus Alexander Hephestionem suum prosequebatur amore, ut de ipso Plutarchus testetur: *Alexander, cùm obijsset Hephestion, non solùm equos totondit, verùm etiam pinnas & propugnacula è mœnibus eripuit, ut etiam civitates lacrymari viderentur.* Non minorem compassionem Christiani magnates in lacrymabili Ecclesiæ statu exhibere deberent, sed nec equos tondere, sed phaleris adornare, non pinnas & propugnacula dejicere, sed nova erigere, & è contra Ecclesias evertere cernuntur, ut dum tubis & tympanis resonantes urbes non collacrymantur Ecclesiæ, saltem diruto-

Plut. in Pelopida.

Alexander luget Hephestionem.

rum templorum lapides clament.

De Alexandro quoque Magno recenset Q. Curtius, quòd vulnus Lysimachi in fronte acceptum diademate, è capite suo detracto, obligaverit. Nec minus olim Christiani Principes diademata, & fascias regias de capite detrahebant, ut jis vulneratam ligarent Ecclesiam, ac foverent, hodie scissa Ecclesiæ vestimenta & pallium apprehendere non erubescunt, ex quibus fascias regias, & diademata capiti suo adaptent.

Lysimachi vulnus suo diademate ligat.

Non ita Principes Christiani.

Et siquidem vulnerata, & spoliata Ecclesia medicam ab ipsis manum imploret, non nisi hauriendum, & fundendum per cruenta bella sanguinem expectare potest, quo penitus debilitata, extremum actura spiritum, & cum sanguine effusura simul vitā videtur. Quodsi ergo Chyrurgus aut Medicus, immoderatè ægro copiosum effundens sanguinem, graviter inculpatur, cur non & Principes Christiani, tam cruentis & immanibus bellis inter se concertantes, & christianum sanguinem tanquam aquam in circuitu Jerusalem effundentes, gravem coram severo Judicis æterni tribunali rationem reddituri sint?

Fundunt immoderatè sanguinem.

V. Guilielmus Angliæ Rex, jam moribundus, lacrymantibus oculis

Baron 1087.

Guilielmus Anglus ind. angustiatur.

culis peractæ vitæ maculas plangere, & corde ob peccata gravia tremente circumstantes alloqui cœpit: Væ mihi, mox ante tremendum Judicis tribunal sistendo, qui in sexaginta quatuor annorum spatio tam copiosè effudi sanguinem christianum, templa & monasteria in domos venatorias converti, Melitensium sive Rhodiensium equitum Ecclesiâ etiam in cineres redactâ.

Petrus Aragonius globo occisus.

Petrus Aragonius Alphonsi frater cinctâ, obsidione, Neapoli, à Germano, ut tormenta bellica ab æde B. Virginis Carmelitanæ, mœnibus juncta averteret, admonitus, in hisce casibus non Ecclesiaram, sed bellicæ artis rationem habendam respondit: explosо itaque tormento bellico, globus rectâ in ædem Divæ Virginis, licet sine damno impulsus, magna omnium admiratione repercussus resilijt, ac caput Petri Aragonij confregit. Ita Thomas Costus, Mariana.

Templa tanquam Idolorum Fana diruuntur.

Inter moderna Christianorum Principum bella, exigua templorum, sed bellici tantùm status habetur ratio, dejicere templa, ædes sacras in cineres redigere, monasteria solo æquare, quotidiana nobis sunt spectacula, ac tam parum sacra Martyrum ossa, & reliquiæ, imò ipsius Christi Corpus & Sanguis realiter sub Sacramentalibus speciebus præsens Martium furorem avertit, ac si Babylonicus tantummodò Bel, aut Philistæorum Dagon ædes illas inhabitaret, neque summo Deo, ac Matri Virgini, sed Saturno, aut Veneri dedicata Christianorũ templa essent. An non ergo tristibus hisce spectaculis cor mœrens desolatæ Ecclesiæ contremiscat, & in gemitibus deficiat, dum non tantùm ab alienis, hæreticis, schismaticis & Saracenis, sed à proprijs filijs impugnatur, spoliatur, percutitur & vulneratur. *O vos omnes, qui transitis, attendite, & videte, si est dolor, sicut dolor meus!*

VI.

Milites olim Ecclesiæ Defensores.

Transeunt etiam coram afflicta, & vulnerata Ecclesia milites, à quibus magnum olim acceperat auxilium, & defensionem. Nam & Caius Pontifex *B. Sebastianum, qui ad multorum profectum sub specie militiæ latebat, Ecclesiæ Defensorem constituit:* uti testatur Baronius, adeóque primus ille hoc glorioso Defensoris Ecclesiæ nomine honoratus fuit. Ut etiam Martinos, Mauritios, Gereones, & alios primitivæ Ecclesiæ heroës præteream, in gladio Magnorum Constantini, & Caroli, in gladijs Equitum Rhodiorum, Templariorum, Teutonicorũ magnam Baron. An. 286.

nam ponebat fiduciam, quorum generositate Terra sancta, Archipelagi Insulæ, Prussia tota & Livonia cum adjacentibus Provincijs Romanæ Ecclesiæ subjecta est, & obducta cicatrix à saracenis inflicta. Sed hodie spoliata & vulnerata Ecclesia aut parum aut nihil sperare à milite christiano auxilij potest: Pertransit enim, afflictam cernens Ecclesiam, & movens caput, illud Isaiæ proferre videtur: *non sum Medicus, & in domo mea non est panis.* Non enim milites, professionis suæ esse censent, ut medicari, & curare vulneratã Ecclesiam, eámque spoliatam pallio dimidiato, ad exemplum S. Martini contegere, & optatam, pugnando contra pacis perturbatores, restituere quietem debeant, sed ita militare optant, ne sua promovendæ pacis damna, sed prolongandi belli utilitatem sentiant; clamet interim, torqueatur, percutiatur, spolietur, vulneretur Ecclesia, hoc nihil ad militem, *non sum Medicus, & in domo mea non est panis.* Hebræus legit, *non sum Chyrurgus;* Pintus, *non ero ligans*, sumpta metaphorâ à chyrurgis. Si ergo Miles Medicus, ligans, vel Chyrurgus non est vocandus, quod ergo illi nomen dabimus? *voca nomen ejus: Accelera, spolia detrahere, festina prædari;* ait Dominus ad Isaiam, Non equidem milites nostros christianos, prædones, & spoliatores nominare intendo, aut præsumo, scio enim, non deesse qui fideliter pro patria pugnare desiderent, sed quod ipsa bella non necessaria inter Christianos Principes excitata, aliud nomen non mereantur, quàm, *Accelera spolia detrahere, festina prædari*, quia per ea, Ecclesia desolata, nunquam non spoliatur, percutitur, & vulneratur.

Hodie spoliatores.

Isa. c. 3. v. 7.

Non milites iuriantur.

Sed bella damnosa.

VII. Fortè in Ministris regijs, & Consiliarijs plus sperare poterit Ecclesia spoliata & vulnerata? Hi enim consilium quasi medicum in Curijs principum convocant, de Ecclesiæ salute consulturi. Præsidet consilio ratio statûs; præscribitur modus procedendi, per sophismata Politica; & fit processus, & conclusio secundùm regulas proprij interesse: prout ergo Interesse proprium, Ratio status, & sophismata Politica dictaverint, ita Politici languenti Ecclesiæ obviare decernunt, subinde ad Patientiam hortantur Ecclesiam, & aliquo lenitivo, blandísque verbis consolantur, ut spe lactata interpellare ipsos importunè cesset; aliquando sub specie exigentis necessitatis per cruenta bella, superfluum sanguinem haurienda suadent, aliâ occasione sudori-

Politici Medici.

Isa. c. 8. v. 1.

Non Ecclesiæ salutem.

dorifera præparant, quibus angustiata Ecclesia, sudorem pene emittit sanguineũ, quem pro ipsius salute per salubrem fore asserunt, expellendæ de præcordijs malignitati internæ. Demum pro temporis opportunitate amaros potus præscribunt, purgando, ut ajunt, corpori, imò integra etiam membra à corpore rescindenda decernunt, consultius fore prætendentes, amputare partem, ne totum pereat. Nec corrosiva subinde desunt emplastra, quibus vulnera à putredine pura conserventur, cùm tamen curatione potiùs, quam refricatione indigerent. Verbo, ut absolvam: Non confortativa, sed corrosiva tantùm, & acerba remedia præparat Alchimia politica, juxta Rationis statum, & proprium Interesse. Interim inter horum medicorum manus plurima patitur vulnerata Ecclesia, non citò sananda, sed diu torquenda; Et siquidem testatur Plinius, *medico tantùm hominem occidisse impunitas summa est*, sic & politicis (qui sub medicorum larva carnificum personam agunt) solis occidisse, vel afflixisse saltem Ecclesiam impunitas summa est. Licet Seneca medicis hoc saltem tribuat encomium, quòd *ad alienum commodum pro suo veniunt*, tamen nec politici de Ecclesia hoc merentur præconium, *ad huius enim incommodum pro suo veniunt commodo*, quos remunerari copiosiùs mallet Ecclesia, si manus medicas, muneribus & sanguine plenas, à se removerent. In horum ergo medicorum manus incidens Ecclesia exclamat: *O vos omnes, qui transitis, attendite & videte, si est dolor, sicut dolor meus.*

Sed proprium curant interesse.

Seneca l. 4 de benef. c. 13.

Ad incommodũ Ecclesiæ suo commodo veniunt.

IX.

Nobiles & illustres hujus mundi parum curant Ecclesiam languentem, equitando, & venando assueti, si quando vulneratam aspiciunt Ecclesiam, pertranseunt, nullum afflictæ exhibituri beneficium, nisi fortè canes, Dominis mitiores, lambant ulcera & vulnera ejus.

Nobiles non curãt Ecclesiam.

Nec major in mercatoribus ponenda fiducia, nam lucro suo immersi, expediendas tantùm, & recipiendas merces cogitant, nec resinam, nec medicum domi suæ alunt. Nec est, quòd in literatis confidat; Legisperiti enim in suis actionibus hæreditariis, in titulis de usucapionibus & longi temporis præscriptionibus, de contractibus, obligationibus, &c. Theologi in suis speculationibus; Philosophi in suis distinctionibus realibus, modalibus, & formalibus ita sunt profundati, ut Archimedis instar, toto, per Martios furores, fluctuante orbe, vix ruentis Ecclesiæ

Nec mercatores.

Nec literati.

siæ tumultum, aut percussæ, & vulneratæ gemitum attendant. Sed licet attendant, vulneratam respiciant, & compatienter succurrere parati sint, parum tamen, aut nihil efficient; Mich. c. 1. v. 9 *Quia desperata est plaga ejus*; ac tanta, quæ non hominem medicum, sed Samaritanum cœlestem, & divinum requirit. Thren. c. 2. v. 13. Glossa Ord. & Moral. *Magna est velut mare contritio tua, Ecclesiæ corruptæ*, ait ordinaria: *Quis medebitur tui? Quasi diceret: Solus Deus hoc potest*, addit moralis.

X. Respice itaque cœlestis Samaritane, & magne de cœlo descende medice, quia magna in terris jacet ægrota, non tantùm à latronibus spoliata, percussa & vulnerata, sed etiam plurimùm perpessa à compluribus medicis. Attende & vide, si est dolor, sicut dolor ejus. Thren. c. 1. v. 2. *Omnes amici ejus spreverunt eam, facti sunt ei inimici.* Custodes, qui Samaritani gerere debebant officium, tulerunt pallium ejus, sciderunt vestimentum, percusserunt, & vulneraverunt, *& ipsa oppressa amaritudine*, facta est vilis. Videns ergo afflictionem Ecclesiæ Sponsæ tuæ è gentibus electæ, miserecordia motûs descende, Samaritane cœlestis, alliga vulnera, infunde oleum, *gratiam conferendo*, & vinum, *spiritualem lætitiam tribuendo.* Hugo Card. hic. En quantas uno, & amplius ab hinc sæculo, percussiones & vulnera excepit Ecclesia tua ab alienis, & à propriis filiis? Impone vulneratam super jumentum tuum, nempe super carnem propriam, pro nobis vulneratam, & vulneribus tuis, vulnera ejus sana. *Sana me Domine, & sanabor, salvum me fac, & salvus ero.* *A te solo* (exponit Hugo) *peto medicinam, qui solus es vera medicina.* Tu ergo qui solus es medicina, desperatam plagam curare potes, & antiquas restaurare vires. Jerem. c. 17. 4. Hugo Card. Sana ergo pretiosâ sanguinis tui medicinâ languentem Ecclesiam, conforta debilem, recrea afflictam, ut de infirmitate & plaga sua consurgens, pristino vigori, & decori restituta, & induta vestimentis gloriæ suæ, in occursum sponsi sui exultabunda, filiorum cincta multitudine procedere, & cum ipso feliciter, & perenniter regnare valeat, Amen.

Christus Samaritanus.

DISCUR

DISCVRSUS XXIV.

Lamed.

O vos omnes, qui transitis per viam, attendite, & videte, si est dolor, sicut dolor meus. *Thren. c. 1. v. 12.*

DE ANIMA.

Dolor, seu contritio animæ per peccatum à Deo separatæ, qualis, & quàm efficax sit?

1. SOlent magnatib. sumptuosa poni Epitaphia, in quibus plerumque compellatur, & sistere jubetur viator: *Sta viator.* Epitaphium quoddã viatoribus propositum videtur in his verbis: *O vos omnes, qui transitis &c.* Et quidem ad literam hoc Epitaphium sacræ, & devastatæ Solymorum urbi positum existimat Cornelius. Sed tamen juxta mentem Doctoris Seraphici & Hugonis, *vox est animæ pœnitentis, quæ vitijs aggravata, sed non omnino excæcata est, &c.* Cùm enim anima peccatrix à Deo separata sit, & mortua, hoc ipsa sibi quasi Epitaphium ponit: *O vos omnes, qui transitis attendite, & videte, si est dolor, sicut dolor meus: Quia nulla major desolatio* (scribit in hunc passum Seraphicus) *quàm separatio à Deo.* Hæc separatio terribilitatem mortis naturalis, animam à corpore separantis, longè superat, est enim illa respectu hujus, tantùm umbra quædam. Uti observat Gregorius, *in scriptura, mors carnis, dicitur umbra mortis: Quia sicut vera mors est, qua anima separatur à Deo; ita umbra mortis est, qua caro separatur ab anima.* cùm ergo mors hæc civilis, seu potiùs moralis, adeò sit terribilis & amara, non mirum, quòd anima.

Epitaphiũ devastatæ urbis.

Hugo Card. hic

Item animæ peccatricis.

S. Bonav. in Thren. hic.

Greg. 4. moral c. 14.

Mors naturalis umbra tantùm, spiritualis mortis.

ma peccatrix tam lugubre sibi ponat Epitaphium, & contestetur: *Non est dolor, sicut dolor meus.*

Titulus autem Epitaphij hujus funestissimi, est *Lamed*, & teste Hugone, interpretatur *Contritio*, de qua Thren: c. 2. *Magna velut mare contritio tua.* Cordis ergo contritio, & verus de peccatis dolor, meritò fronti peccantis, & pœnitentis animæ inscribitur, qui quidem in anima verè pœnitente talis est, ut asserere non vereatur, *non est dolor, sicut dolor meus.* Qualis ergo & quantus verus hic dolor, & contritio pœnitentis sit animæ, & quàm efficax, in præsenti exponam.

Thren. c. 2. v. 13.

Dolor summus, contritio.

11. Ut omnia flumina præcipiti cursu devolvuntur ad mare, ita etiam omnes secum in illud fæces, & impuritates trahunt, unde mirum non esset, si mare sordium omnium fœtens efficeretur sentina, quòd tamen per motum, turbationem & fervorem, tanquam olla fervens, se purgat, & purificat. Impios quasi mare fervens, vocat Isaias, in quod fluentes dulcium voluptatum, & deliciarum aquæ, secum fœtidas trahunt sordes, quare fœtida scelerum cloaca, & sentina efficitur cor peccatoris, nisi vehementi se motu, conturbatione, & fervore purget. Sed quisnam hic motus, & fervens conturbatio? *Est pœnitentia* (respondet Doctor meus Seraphicus) *sicut quædam maris conturbatio; nam sicut mare non emittit immunditias, nisi turbatum, sic anima mea non emittit peccatum, nisi habeat in se pœnitentiæ & contritionis conturbationem, & motum.* Unde in Threnis dicitur: *Magna velut mare, contritio tua.*

Mare purgatur turbatione.

Isai. c. 57. v. 20.

Sic anima Contritio nis motu.

S. Bonav. dist. 18. 2. q. 1.

Thr en. 2. 13.

Est autem hæc animæ pœnitentis conturbatio, seu motus contritionis, juxta Concilij Tridentini doctrinam: *Animi dolor, & detestatio de peccato commisso, cum proposito, non peccandi de cætero.* Suscipit autem hic dolor, majus & minus, non tantùm in intensione fervoris, sed etiam in ipso conturbationis motivo; hinc dolor alius perfectus, imperfectus est alius. Dolor perfectus ipsa est contritio; imperfectus, attritio. Ista ex metu magis servili, & interessato procedit, scilicet ex metu infligendæ à Deo pœnæ, v. g. gehennæ, privationis gloriæ, turpitudinis peccati, &c. Quo quidem dolore attritionis, peccator extra Sacramentalem confessionem in statum gratiæ non restituitur, bene autem accedente Sacramento pœnitentiæ, per quod ex attrito fieri dicitur contritus.

Conc. Trid. sess. 4. c. 4.

Attritio quid?

Perfectus autem dolor seu contritio, est dolor de peccato, *ut est offensa, & malum Dei:*

Contritio quid?

Ita

Ita communiter Theologi. Mittit hic dolor perfectus foras omnem timorem servilem, & interessatum, in charitate, & filiali timore radicatus & fundatus, in Dei offensi se conijciens misericordem sinum, cum proposito, saltem implicito, confitendi, & satisfaciendi. Cùm filio enim prodigo in se reversus peccator, non de perpessis in misero peccati statu angustijs, non de tolerata turpis servitutis miseria, non de amissis temporalibus bonis, & dilapidata hæreditate, sed de offenso tantùm Deo benigno patre, ex intimo dolet corde, altis ingemiscens suspiriis: *Pater peccavi in cœlum, & coram te, & jam non sum dignus vocari filius tuus.*

Seponit timorem servilem.

Luc. 15. v. 21.

Quandoquidem autem, *ubi abundavit delictum, superabundavit gratia*, hinc in maximis subinde peccatoribus, intensissima, perfectissima, & lacrymosissima invenitur contritio.

Rom. 5. v. 20.

III.

Nam sicut ligna viridia (ait S. Bonaventurâ) *reddunt aliquem humorem per virtutem ignis, sic peccatorum oculi, eructant virtute pœnitentiæ humorem lacrymosæ compunctionis*: Dum nempe consideratâ propriorum delictorum fœditate, & ingratitudine, nec non divina bonitate & charitate, gravitatem peccati, & injuriam Deo factam ponderant, ignem divini amoris concipiunt, & ardentiùs inde in peccati detestationem exardescunt, quod idem Seraphicus pulchrè confirmat: *Sicut ligna viridia, quæ sunt bene accensa, fortiùs ardent, vel calefiunt; Sic peccatores pœnitentes, qui sunt igne pœnitentiæ vehementer accensi, fortiùs diligunt, sicut patet in Luca, ubi dicit Salvator; Cui multum dimittitur, multùm diligit.*

S. Bonav. diæt. tit. 2. c. 1.

Peccatores magni

Maximè subinde ardent amore Dei

Luc. c. 7.

Et quemadmodum quò plures collectæ ad distillandum sunt herbæ, & vehementior suppositus fuit ignis, eò ardentiores, & copiosiores, distillant aquæ, sic quò plures peccator collegit in corde culpas, eò copiosiores & ferventiores subinde distillant ex oculis lacrymarum rivi, si vehemens in corde contritio, & intensus accedat divini amoris ignis. Hinc David quò graviores & plures cumulavit culpas, eò abundantiores fudit pœnitentiæ lacrymas: *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non custodierunt legem tuam.*

Lacryma distillant

Ex collectis peccatis, & calore amoris.

Psal. 118. v. 136.

Per lacrymabiles istos aquarum exitus mundandum se penitus, & dealbandum non frustra confidebat David: *Asperges me hyssopo, & mundabor, lavabis me, & super nivem dealbabor. Asperdes me hyssopo, id est, humilitate pœnitentiæ, & mundabor per Contritionem*, glossatur Hugo Card.

Psal. 50. v. 9.

Hugo Card. hic.

Super nivem dealbant

vel *lavabis me aqua lacrymarum, & super nivem dealbabor, id est, incomparabiliter ero albus, sine macula nigredinis peccati.*

IV.

Etiam pœnam delent.

Imò non tantùm peccati & culpæ maculam vera & lacrymabilis contritio abluit, sed ipsam etiam delet pœnã, prout Christus B. Brigittæ hisce verbis contestatus est: *Propter veram contritionẽ si perfecta, & stabilis fuerit, dimitto non solùm peccatum, sed & pœnam peccato debitam.* Quòd egregiè Seraphicus Doctor confirmat. *Nota etiam, quòd contritio potest tantùm intendi, quòd non solùm culpa, sed etiam tota pœna dimittitur. Hoc autem potest fieri dupliciter; Uno modo, ex parte charitatis, quæ displicentiam peccati causat, quia quandoq; contingit, tantùm charitatem intendi in actu, quòd contritio inde sequens, mereatur absolutionem ab omni pœna. Alio modo fit id ex parte doloris sensualis, quem voluntas in contritione excitat, quia ille dolor, quædam pœna est, quæ tantùm potest intendi, quòd sufficiat ad deletionem culpæ & pœnæ.* Hæc S. Bonaventura.

Apud Ludolphum Blosium in Monili Spir. c. 1.

S. Bonav. Compend. Theol. ver. l. 6. c. 24

Vel ex parte charitatis.

Vel doloris sensibilis.

Notabilem in hunc finem narrat historiã insignis Prædicator Hieronymus Baptista Delanuzza, de aliquo peccatore, qui septennalem pœnitentiam à Confessario sibi injunctam, nimis levem æstimans, graviorem petebat; Sed confessarius cognitâ ejus ardenti contritione, non aggravavit, sed minuit pœnitentiam, septennali in triduanam commutatâ. Sed crescente apud pœnitentem scrupulo, & contritione, Confessarius non nisi ter dicendum Pater noster præcepit: *Tantúsque dolor eum arripuit ex immensa Dei misericordia, ut recitando primum Pater noster ad pedes Confessarij mortuus corruerit, cui sequenti nocte apparens ait: Nec quidem semel tetigi purgatorium.*

Exemplũ.

De la Nuzza hom. 4. num. 107.

Nota etiam est illa historia duorum latronum, qui ad mortem damnati, ex ferventi S. Vincentij Prædicatione tantâ contra peccatum perpetratum contritione exarserunt, *ut finito sermone, cumillos ad sententiæ vellent deducere executionem, flammasque tradere, remoto velo in carbones repererint immutatos.*

Aliud de latronibus à S. Vincentio.

Non minùs famosum illud est, quod in vita Paduani nostri Antonij legitur, de quodam, qui tantam de peccatis conceperat contritionem, ut præ singultibus, & lacrymarum copia, peccata profari non posset, cui vir Seraphicus peccata scriptis mandanda præcepit. Sed cum conscriptam sanctus vir schedam aperuisset, omnia peccata divinitus deleta invenit, ex quo miraculo animam illam pœnitentem ardentibus contritionis lacrymis super nivem dealbatam & æquè à pœna ac culpa solutam collegit.

Chron. p. l. 5. c. 10.

Aliud cum S. Antonio.

Quare

Quare non immeritò contritio vera, & pœnitentia, alter baptismus nominatur. *Quid enim est aliud* (testatur Cardinalis à Caro) *lavacrum lacrymarum, quàm secundus baptismus?* Quo scilicet non culpa tantùm, sed & ipsa debita deletur pœna.

Lacryma secundus baptismus Hugo in Matth. c. 5.

V. Cùm ergo tantæ efficaciæ, sit fervens, & verus actus Contritionis, illius exercendi praxin toto conatu, addiscere, & illi assuescere studeamus, per quem omnes anteactæ vitæ maculas non solùm abluere, sed in abyssum demergere omnes malas concupiscentias valemus. Per ventum urentem contra Pharaõnem levatæ fuerant locustæ, quæ universam terræ superficiem contegentes, omnia devastabant. Pœnitente tamen impio rege, Deus *flare fecit ventum ab occidente vehementissimum, & arreptam locustam projecit in mare rubrum: Non remansit nec una quidem in cunctis finibus Ægypti.* *Locustæ* (ut ait Isidorus in glossa Ordinaria) *pro mobilitate levitatis accipiuntur, tanquam vagæ, & salientes animæ pro voluptate sæculi:* Vel ipsas etiam leves, vagas, & salientes animi concupiscentias & voluptates dicere possumus, quæ depascuntur omne animæ meritum; & virtutum flores ac fructus, Sed quid remedij? Spiret ab occidente ventus vehementissimus, & locustas projiciat in mare rubrum. Sed quale hoc mare, qualis ventus?

Exod. c 10. v 12.

Locustæ dientes

Glossa Ord. hic.

Concupiscentiæ & peccata.

Contritio ventus.

Non alius planè, nisi ille, de quo Psalmista testatur, *in spiritu vehementi, conteres naves Tharsis.* Nempe teste Seraphico nostro Ulissiponensi, *contritio dicitur spiritus. In spiritu contritionis conterit Dominus naves Tharsis*; omnem scilicet diaboli armaturam; Glossa Ordinaria notat, quòd *Interpretatur Tharsis, exploratio gaudij*, per naves ergo Tharsis intelligit, *discursores, in diversis experientiis, gaudia mundi explorantes*, vel ipsam peccaminosam vani gaudij, & voluptatis explorationem intelligere aptè possumus: Has ergo naves Tharsis, quasi locustas in vento & spiritu vehementi contritionis conterere, & in mare rubrum projicere, & demergere debemus, nempe in mare rubrum, & pelagus profundissimum passionis Christi, in quo omnes non modò parvæ locustæ, & noxæ veniales, sed etiam magnæ & armatæ naves Tharsis, & enormissima peccata, & habituata vitia ita penitus demerguntur, & absorbentur, ut ne vestigium quidem eorum amplius, tanquàm in profundo mari absorptorum appareat, ita in abyssum profundatâ culpâ, ut simul suffocetur & pœna. Oportet autem, ut ventus sit vehementissimus, ab occidente flans, contritio scilicet

Psal. 47. v. 8.

S Anton. pad serm. 2 Dom. inf. Epiph

Naves Tharsis Exploratio voluptatis.

Submerguntur peccata per ventum contritionis.

cet

cet totis viribus se à creatura avertens, & ad Creatorem se convertens; Quæ tantæ est virtutis & efficaciæ, ut illuminatus Thaulerus dicere non vereatur: *Posset quis brevi spatio, ex vero Dei amore, cum tanta displicentia ac sui ipsius dedignatione, seu aspernatione, purè ad Dei gloriam, seipsum ab omni peccato, tam strenuè, ac fortiter avertere, ut cuncta ei peccata sua, etiam cum pœna dimitterentur, ita ut si sic mori eum contingeret, ad Deum sine medio evolaret, licet etiam totius mundi peccata solus admisisset.* Hæc Thaulerus.

Etiam pœna.

Ioann. Thaul. Institut. c. 1.

VI. Hanc ergo ob causam maximè contritionis actibus exercendis incumbere debemus; Est enim hoc exercitium non tantùm delendis culpis & pœnis efficacissimum, sed etiam à dolosa inimici infernalis infestatione & fraude securissimum, à quo subinde viri sancti, & contemplativi se abstrahentes, & alijs altis contemplativis exercitiis inhærentes, dum de spiritu contritionis remiserunt, turpissimè ab hoste maligno prostrati sunt.

Exercitiũ contritionis securissimum.

Deinde cùm contritio hominem in statum gratiæ reponat, ac opera ejus Deo grata, & meritoria faciat, maximè consultum, in principio orationis ac aliorum piorum exercitiorum, actum contritionis præmittere, quo non tantùm vagæ & salientes locustæ concupiscentiarum, & distractionum, tanquam spiritu, & vento vehementissimo in mare rubrum demergantur, sed etiam subsequentia opera, Deo grata, & meritoria fiant.

Facit opera meritoria.

Accedit, quòd communis quidem sit sententia, in confessione Sacramentali pœnitentem de attrito fieri contritum; cùm tamen hæc sententia non sit de fide, ideò per contritionem nos de salute securos reddere debemus. Præterquam quòd conando attritionem elicere, facilè dolor tantùm naturalis producatur, ex respectu infamiæ, jactura bonorum, &c. causatus sine supernaturali ad Deum conversione, qui dolor cùm naturalis, & attritio tantùm putata sit, nec ad justificationem, nec sacramentalem confessionem sufficit. Conetur ergo quisque elicere contritionem perfectissimam, & tamen vereatur tremens, ne in attritionem declinaverit.

Attritio non facit de salute securum.

Maximè autem exercendis contritionum actibus quis insistere debet, ut ijs in casu necessitatis, & imminente improviso mortis periculo uti possit, ille enim qui usum contritionis non habet, tepidis tantùm attritionum actibus assuetus, in casu necessitatis conturbatus, vix actum contritionis eliciet,

Attritioni tantùm assuetus.

In casum necessitatis vix eliciet contritionem.

ciet, pro contritione attritionē arripiens.

VII. Evenire solet ejusmodi peccatori, quod illi medico forensi, qui duas tiriacæ species habebat, unam veram, & incorruptam; viliorem alteram, & fallificatam, hanc spectatoribus venalem proponebat, alteram sibi curando reservabat. Accidit ergo, ut semel coram spectatoribus speciem daturus vendendæ tiriacæ, hausto veneno per tiriacam veram more solito sibi mederi pararet, inperplexitate autem animi, viliorem, & mixtam tiriacam apprehenderet, quæ cùm hausto veneno esset insufficiens, obtumescens interiit. Tiriaca pretiosissima, & præsentissimum contra omnia peccati venena, remedium est contritio: Attritio verò tiriaca quidem etiam est, non pura, sed mixta, & minus efficax, non nisi accedente Sacramento culpam expellere potens. Ille ergo qui in confessione sacramentali hac tantùm imperfectiori tiriacâ, & dolore uti consueverat, adventante subitaneo mortis periculo, naufragij, catarri suffocativi, &c. optat quidem efficacem contritionem elicere; & vera hac tiriaca expellere è corde, culpæ venenum, sed in confusione, & ex antiqua consuetudine (cum contritionis usum non habeat) attritionem arripit, & in statu peccati existens, si cum attritione decedat, æternum perit. *Nisi enim pœnitentiam habueritis* (virtutem scilicet pœnitentiæ, quæ est vera, & pura contritio) *omnes simul peribitis.* Luc. 13. v. 3.

Attritio tiriaca mixta, & falsificata.

Contritio tiriaca pura.

Nec quisquam sibi persuadeat esse veram contritionem illis tam facilem, qui in vita illius usum non habuerunt, est enim actus perfectissimus, & velut tiriaca, ex pretiosissimis virtutum, fidei, spei, charitatis, humilitatis, timoris filialis, &c. ingredientibus compositus, cujus proinde praxis per totam vitam exercenda est, ut ea in necessitate, & mortis articulo faciliùs valeat exerceri.

Contritio est actus arduus.

VIII. Ad exercendum igitur, & eliciendum ardentem contritionis actum, fac tibi planctum amarum, & coram Christi Cruci affixi imagine, te siste, oculis coronatum spinis, & inclinatum caput, manus & pedes conclavatos, cor lancea vulneratum & apertum, totum corpus vulneribus laceratum probè, & vivâ fide inspice, & nimiam charitatem, qua dilexit te, perpende, cum gentium doctore expendens, *quoniam dilexit me, & tradidit semetipsum pro me.* Considerată ergo infinitâ Dei erga te charitate, oculos ad tuam converte infidelitatem, perfidiam, & ingratitudinem, qui toties contra Deum pro te do-

Quomodo contritio eliciendat?

Galat. 2. v. 20.

Co- loroſè-

lorosè patientem, & morientem recalcitrâsti, conculcato ejus pretioso sanguine. Ex probra tibi illud Deuteronomij, *Deum, qui te genuit, dereliquisti, & oblitus es Domini Creatoris* (adde & amorosissimi redemptoris) *tui?*

Deut. c. 32.

Expendi quoque monet Thaulerus, *quòd Deus interim plurimos justo quidē, & æquissimo judicio, tartareis flammis immersserit, qui tot haud quaquam scelera, quot ipse, commiserunt, ipsóque meliores fuerunt.*

Io. Thaul. Instit. c. 1.

His ita consideratis, & probè perpensis, hac alto cordis suspirio flare ventum vehementissimum, spiritum scilicet contritionis, & in spiritu vehementi contere naves Tharsis. Vehementem enim animi motum & concitationem, si non physicum, saltem moralem requirit contritio, quæ etiam plerumque in externas se potentias effundit; Unde notat Seraphicus, quòd Esau neglectis primogenitis, & paternâ benedictione, *Irrugijt clamore magno* quare præfatus Doctor infert: *Peccator debet rugire contra peccatū.* Hinc etiam Christus quatriduanum Lazarum (qui peccatoris inveterati erat typus) resuscitaturus, *infremuit spiritu, turbavit seipsum, lacrymatus est .. elevatis sursum oculis, voce magna clamavit, &c. Ostendens quid agendum sit ijs, qui in sepulchro malæ consuetudinis, qui lapide obstinationis pressi sunt,* ait Bonaventura. Nempe quòd infremere spiritu, lacrymari, & elevatis in cœlum oculis, rugire, & cum filio prodigo exclamare debeant: *Pater peccavi in cœlum, & coram te, & jam non sum dignus vocari filius tuus.* Vel cum Propheta regio. *Peccavi.* Cum publicano humiliato: *Deus propitius esto mihi peccatori.* Cùm cæco juxta viam: *IESU Fili David, miserere mei.* Attendite & videte, si est dolor, sicut dolor meus!

In spiritu vehementi.

Gen. c. 27

Ioan. c. 11 v. 33.

S. Bonav. serm. 2. Dom. 17 Trin.

Actus contritionis.

Gieſù d' amor acceſo, che mai t' haveſſi offeſo!
O JESU amantissime, Ah nunquam offendissem te!

Sic ergo clamando, rugiendo, turbando teipsum, infremendo in spiritu vehementi, naves Tharsis & locustas, ut nec una remaneat, omnia scilicet peccata & culpas, quantumvis graves & enormes in mare rubrum demerges, & dum magna erit, velut mare contritia tua, erunt in mari viæ tuæ, quibus securus pertranseas ad terram promissionis cœlestis patriæ,

Amen.

DISCUR-

DISCVRSVS XXV.

Mem.

De excelso misit ignem in ossibus meis, & erudivit me. *Thren. 1. v. 13.*

DE ECCLESIA.

Ex malæ Pastorum vita, non est reijcienda bona eorum doctrina.

1. IN varia significatione, ad bonum, & malum, accipitur ignis; unde Hugo Cardinalis præsentē Scripturæ passum, intelligit imprimis de igne tribulationis quem Deus quandóque immittit Ecclesiæ, aut animæ peccatrici, ut per hunc ignem eam non tam purificet, quàm erudiat, & de hoc inferiùs.

Hugo Card. hic.

Ignis tribulatio.

Aliter idem Auctor exponit in bonum; de excelso misit ignem, *Spiritum sanctum*, vel *ignem Amoris*, in ossibus meis, id est, *in doctoribus, principibus*; Vel (ait ipse) *ossa Ecclesiæ sunt Clerici* (idem de Religiosis intellige) *quæ ossa debent esse candida per innocentiam generaliter, fortia per patientiam, latentia per intentionem rectam, medullata per orationem devotam.* Per ossa ista, igne sancti Spiritûs, & amoris accensa, eruditur, & instruitur Ecclesia, & fideles doctrinam veram, intemeratam, & orthodoxam ab illis accipiunt.

Spiritus S. vel amor.

Ossa Clerici & Prælati.

Advertant autem, cum Hugone, Acatholici, quòd ignis aliquando, *non est de excelso, sed de infimo, ignis scil. luxuriæ, ignis avaritiæ*, quo igne si quandoque ossa aliqua succendantur, magnũ inde non solùm concipiunt scandalum, ex parte, ad corruptionem totius, argumentantes, sed etiam ex mala, & corrupta Ministrorũ vita & moribus, ad malã etiam doctrinã, negantes, sanâ doctrinâ fideles ab ijs erudiri posse, qui igne minùs puro, terrenorum desideriorum accensi, inculpatos non habent mores. Adhunc ergo

Ex malæ vita,

Nondum præsumenda mala doctrina.

ergo conceptum Hetherodoxorum errorem refutandum, in præsenti demonstrabo, nequaquam ex malis Pastorum, aut verbi Dei Disseminatorum moribus, esse sanam eorum rejiciendam doctrinam.

II. Ad hostium insultus repellendos necessaria omnino sunt arma, ex duro ferri metallo, ad ignem malleo, super incudem, fabricata, quare in ordinata republica de fabris ferrarijs armorum fabricandorū peritis, provideri solet, quibus deficientibus, vix defendendæ patriæ, & repellendi hostis spes esse potest. Unde extirpandis Hebræis hoc subtili stratagemate usi sunt Philistæi, ut fabros ferrarios ipsis subducerent; *Porrò Faber Ferrarius non inveniebatur in omni terra Israël; caverant enim Philistijm, ne forte facerent Hebræi gladium, aut lanceam.* Eodem contra Ecclesiam militantem stratagemate utuntur hostes maligni, Dæmones enim (uti glossa moralis notat) *studeant ad hoc, quòd fabricatores armorum spiritualium tollantur de terra fidelium; hujusmodi verò fabri, sunt Doctores, & prædicatores, qui contra dæmonum insultus, fideles armant suis sanctis exhortationibus, propter quod illi, qui eos impediunt in tam bono actu, ministri sunt dæmonum in hoc casu.*

Magno Ecclesiam militantem impetu agressuri præterito sæculo hostes maligni, per novarum hæresum doctrinas, maximè præoccupando cavebant, ne inter Catholicos fierent gladij, & lanceæ, arma scilicet spiritualia, & ne acueretur gladius Verbi Dei; unde & contigit, quòd infelici eo tempore, vix inveniretur in istis regionibus nostris expertus Faber ferrarius, qui spiritualia arma, gladium Verbi Dei, lanceas penetrantes controversisticæ doctrinæ fabricaret, contra novos exurgentes sectarios, *qui intenderunt arcum, & paraverunt sagittas suas in pharetra, ut sagittent in obscuro rectos corde.* Hinc tam magna facta animarum strages, & multi in captivitatem hæresum abducti populi.

III. Damno suo sapientior effecta Ecclesia militans, de fabris ferrarijs sibi melius providere cœpit, de Doctoribus scilicet, & prædicatoribus; nam *faber ferrarius* (ait Hugo) *est Prædicator vel Doctor, qui operatur in igne, vel malleo super incudem, id est in verbis sacræ scripturæ, quæ sunt ignis & malleus.* Imo Prædicatores, & Doctores (docet idem Expositor) *sunt etiam malleus, quia duritiam cordium frangunt, & emolliunt ad compunctionem.*

Hos malleos, hos fabros, (qui jam magna ex doctrinis & argumentis suis contra hæreses fabricatis erexerunt armaria)

hor-

Fabri armis cudendis necessarii.

1. Reg. 13. v. 19.

Fabri Doctores & Prædicatores.

Glossa moralis.

Defectus fabrorum

Præteriti sæculo.

Psal. 10. v. 2.

Hugo Card. hic.

Modò abundant fabri. Prædicatores.

horrent nostri Novellantes, & torvis respiciunt oculis, jam gravibus contusi verberibus, & magnis notati cicatricibus, cùm ergo infringere ipsa arma, & malleos solidæ doctrinæ conterere nesciant, contra ipsam fabricantium insurgunt, & excipiunt subinde vitam; & illud nobis Hugonis Cardinalis objiciunt, quòd apud nos Catholicos, *multi sunt Doctores & Prædicatores, sed pauci fabri ferrarii, quia pauci sunt, qui ob studium, & amorem Verbi Dei, sustineant ardorem, aut laborem, ut faber ferrarius facit.* Non pauci ab adversarijs nostris conspiciuntur ejusmodi fabri, qui habitu modesto, honesto, & moderato non contenti, non sacerdotaliter, aut clericaliter, sed magis sæculariter & aulicè incedunt, compti, & phalerati, argento & auro in apparatibus suis splendidi, & plùs aurum quàm ferrum tractantes non fabri ferrarij, sed aurifabri apparent; accidit quòd subinde non ad ignē amoris divini, sed terrenum potiùs ignem, & minùs purum adusti cernuntur. Hos ergo linceis observāt oculis sectarij, & non tantùm Germaniam nostrā, sed etiam Galliam, & Italiam peragrantes, maximum, in hoc studium ponunt, ut inveniant in Fabris, Doctoribus, & Prædicatoribus suliginem, quæ minùs statum, & honestatem eorum decet, ex horum defectu, doctrinam eorum impugnaturi.

Hugo Card. ibidem.

Sed non sunt fabri,

Ad verum ignē.

Plures Aurifabri, quàm ferrarii.

Sed quid hæc ad illos? Nunquid miles adversarij vestes, incessum, aut vitæ observat honestatem, aut apparatum? non: sed arma tantùm hostiū observanda curat; si bona hæc, si limata, si penetrantia, & formidanda sint, jam satis habet, quod timeat; his enim vulneratus, & prostratus, frustra contra hostis provocat incessum, & mores: de armis enim non de habitu agitatur in hostili congressu: arma, & doctrinam respiciat, & dijudicet homo; habitus virtutum, & vitæ bonitatem Deus sibi in Sacerdotibus, Doctoribus, & Prædicatoribus dijudicandam reservavit.

Arma; non incessus, hostis spectanda.

Inter alia sacerdotalis vestimenti ornamenta, præcepit etiam Deus, *pones autem in rationali judicii doctrinam & veritatem*, quæ erunt in pectore Aaron: & hoc ideò (ait Interlinearis) *ut studeat Sacerdos doctrinam, & veritatem inquirere, & docere.* Sed nunquid non minùs Sacerdotem decet bonitas, & puritas, quàm Doctrina, & Veritas? cur ergo in pectore Sacerdotis, non etiam bonitas & pietas scripta, & populo legenda, & inspiciendā fuit exposita? nempe bonitatem & puritatem Sacerdotis, solus inspiciendam sibi reser-

IV.

Exod. c 28. v. 30

Glos. Interl.

In Sacerdote necessaria doctrina, & veritas.

servavit, scrutator cordium Deus, à quo homines solam Doctorum, & Sacerdotum doctrinam, & veritatem attendere jubenter, & sequi.

Bonitatem diiudicat Deus.

Hoc Judæis insinuare volebat Dei Filius, bonam comendans in Pharisæis doctrinam, sed mala reprehendens opera; *super Cathedram Moysis sederunt scribæ & Pharisæi; super Cathedram*, id est, *doctrinam, quàm docuit Moyses* (exponit Interlinearis) sederunt scribæ, & Pharisæi, *omnia quæcunque dixerint vobis, ad Cathedram pertinentia, servate & facite; secundùm opera verò eorum, nolite facere*: nempe (addit Interlinearis) *doctrinam tenete, non vitam*, Quod idem Lyranus in glossa morali confirmat: *hoc generaliter intelligendum est de omnibus bene docentibus, & male viventibus; nam eorum doctrina debet acceptari, & vita repudiari.* Adeoque hoc loco expresè colligitur, malam vitam non semper præjudicare bonæ doctrinæ, uti bene notat Chrysostomus: *Frequenter enim de homine malo, bona doctrina procedit, sicut autem aurum de terra eligitur, & terra relinquitur, sic & auditores doctrinam accipiant, & mores relinquant*, ait Chrysostomus. Huc facit illud Augustini: *Botrum cape, spinam cave*, sic & apes in horto circumvolitantes, nocivas herbas relinquunt, floribus insident, & mella colligunt; hoc illis verbis voluit insinuare Chrysost. de Doctoribus minùs probis; *doctrinam accipiant, & mores relinquant*, nec enim propter malos docentium mores, relinquenda, & rejicienda est bona, & salubris doctrina.

Matt. c. 23. v. 1.

Glossa Interl.

Doctrina, non vita tenenda

Glossa moralis

S. Chrysost. super Matt. in catena S. Tomæ, citatus.

Sæpe de malo homine, bona doctrina.

S. Aug. tract. 45. in Ioan.

Cum Deus ob malitiam hominum, maximè autem impij regis Achab, ad instantiam Eliæ clausisset cœlum, ut nec ros nec pluvia descenderet, jussit ipsum Prophetam in eremum secedere, & se *abscondere in torrente Carith, qui est contra Iordanem; & ibi de torrente bibes, corvisque præcepi, ut pascant te ibi.* Paruit divino mandato, Prophetа, nec promissis suis defuit Deus. *Corvi deferebant ei panem & carnes.*

V.

3. Reg. 17. v. 1. 3.

Elias à Corvo pascitur.

Miratur seraphicus meus Bonaventura, hunc panis & carnis ministrum: *mirabile quòd panem per corvum ministrabat Dominus, non per hominem?* vel si hominem huic ministerio deputare nolebat Deus, cur non saltem columbam, aut aliam puritatis amantem avem Prophetæ ministerio designavit? nempe mirabile hoc fuit, respondet seraphicus, *sicut mirabile est, quòd Corpus suum per Sacerdotes ministrat; & mirabilius, quòd per corvos, propter vitiorum nigredinem fortè significantur.* Sicut enim inter Sacerdotes multæ inveniuntur puræ, & castæ columbæ, sic quandoque etiam

S. Bonav. serm. 5. in cœna Domini.

Corvus; malus pastor.

Sacramenta administrat.

am niger invenitur corvus, quē tamen etiam ab administratione Sacramentorum non rejicit Deus, nec etiam homo eum (corvum) rejicere, & spem suam in homine ponere præsumat, cujus cor videre non potest. Noluit enim Deus, vel disseminandi Verbi Dei veritatem & doctrinam, vel Sacramentorum valorem bonitati Sacerdotis alligare, de qua securus nemo esse potest. In Domino ergo, non in Ministro Verbi Dei, & Sacramentorum, confidendum, quæ non ex opere operantis, sed ex opere operato valorem, & efficaciam suam habent. *In Domino ergo confido*, cum regio Propheta. Notat autem Augustinus hîc: *non enim confidunt in Domino, qui tunc dicunt sancta Sacramenta, si per sanctos homines dentur.* Hoc enim supposito requisito, quivis de Sacramenti ministro, an corvus an columba sit, dubitans, interpellare eum cogeretur, & scrupulosam quæstionem movere: *quodsi non es sanctus? ostende cor tuum; quodsi non potes? ubi videbo, quòd sanctus es?* concludit Augustinus. Ubi cognoscam, an corvus, an columba sis? corvum ergo latorem panis & carnis, Eliæ Deus constituit, nec corvum à Verbi Dei, & Sacramentorum ministerio excluſit, ut dubitandi, de valore Sacramenti ratio, & de ministri bonitate judicandi occasio penit' abscinderetur, & debitus semper (non attentâ personæ bonitate, aut pravitate) potestati & officio honor præstaretur. Monet optimè Chrysostomus; *subditi propter bonos Sacerdotes, etiam malos honorent; ne propter malos, boni etiam contemnantur. Melius est enim malu injusta præstare, quàm bonis iusta subtrahere.* Quamvis etiam malo Sacerdoti exhibendo honorem, & reverentiam, non injusta præstentur, uti & Seraphicus Pater id testamento nobis reliquit, suo exemplo nos instruens, & se declarans: *Et ipsos* (scilicet Sacerdotes) *volo timere, amare, & honorare, sicut meos Dominos, & nolo in ipsis considerare peccatum, quia Filium Dei discerno in eis, & Domini mei sunt.* Justè ergo etiam malis & injustis honor debetur, etiamsi malè præsint. Econtrà verò juxta Apostoli mandatum, *qui benè præsunt Presbyteri* (id est *vita & doctrina*, ait glossa) *duplici honore digni habeantur.* Siquidem ergo illi, qui bene, vitâ & doctrinâ præsunt, duplici, ergo saltem simplici honore digni habeantur illi, qui, licet non vitâ, tamē doctrinâ benè præsunt. Hinc omnia quæcunque dixerint vobis, ad cathedram, & doctrinam pertinentia, servate & facite: doctrinam accipite, mores

VI.

S. Chrysost. cit.

Mali propter bonos honorandi.

Honor etiam malis Sacerdotibus debetur.

1. Timet. 5. v. 17.

Psal. 10. v. 1. S. August. hic.

Sacramenta non sunt sancta, si à sancto administrantur.

res relinquite, frequenter enim de homine malo, bona doctrina procedit.

Eccli. 38. v. 1. Mandat Ecclesiasticus, *honora medicum propter necessitatem*, nempe Medicum *corporalem*, & *spiritualem*, ait Hugo, propter necessitatem *corporis*, & *animæ*: *etenim illum creavit altissimus, ad aliorum utilitatem.* Imò *& quantò pretiosior est anima corpore, tantò Medicus spiritualis magis honorandus est, medico corporali*, uti bene Hugo arguit. Multa præscribit ægro medicus, venæ sectiones, amaras potiones, strictas diætas, quas tamen ipse Medicus, eodem fortè, vel graviori malo decumbens non observat, ut meritò ipsi objici possit, *medice ipsi non sit cura teipsum*; hæc tamen dissolutio medici parum movet ægrotum, quin ejus sequatur consilia, præscripta applicet medicamenta, & medicum honoret, plùs alienæ, quàm propriæ sanitatis, & vitæ studiosum. Sic interdū spirituales medici multas infirmis suis oviculis medicinas præscribunt, mortificationes imponunt, jejunia prædicant, excessus in potu sanctè inhibent, interim salùtis suæ incurii, media alijs præscripta negligunt, excessus vetitos ipsi committunt; miseri medici, sicut commiseratione digni, sic honore suo non indigni, non enim æger in medico vitæ ra-

Hugo Card. hic.

Medicus honorandus.

Licet sibi ipsi non sit curæ teipsum proficuus.

Medicina à Deo, non à benitate medici habet efficaciam.

tionem, & propriæ salùtis studium, sed artem illi à Deo concessam veneratur; *etenim illum creavit altissimus; à Deo est enim medela*, ait Ecclesiasticus. A Deo autem cùm sit medela, & medicina Sacramentorum, & verbi Dei, & non à manibus spiritualis medici, hinc est, quòd efficaciam non à bonitate vel sanctitate medici, sed in, & ex seipsa (per efficaciam ipsi à Deo inditam) verbum Dei, & Sacramenta curandi habent virtutem

VII. Verùm quidem est, quod subinde zelus, & dexteritas medici, Sacerdotis, aut Prædicatoris multùm etiam conferant ægro, non quòd efficaciam addat medicinæ illi co'.sti, sed quòd ægrum meliùs ad recipiendam disponat medicinam; neque ægri interest inquirere, an etiam medicus, suas patiens infirmitates, & ipse ad medicinam sit per bonitatem dispositus, nam dispositio interna medici, nil ægro confert ad sanitatem, sed tantùm doctrina & veritas, qua medicinam applicare ægro, & sincerè istius procurare sanitatem noverit.

Dexteritas medici multùm valet.

Interim negare non possum miserum, imò stolidum illum esse Medicum, qui de aliorum salùte sollicitus, suam non curat, & doctrinas alijs traditas, ac regulas præscriptas ipse neglí-

Miser Medicus sui incuriosus.

gligit, cujus exemplum ægri næ Veritatis effatum utriq; ob-
S. Thom. in Catena Math. imitantes salutem consequi ne-queunt, non imitantes consequuntur. Quod probè ad propositum nostrum observat Angelicus: *Quid est autem Doctore illo miserabilius, cuius vitâ discipuli cùm non sequuntur, salvantur, cùm imitantur, perduntur?* Secundùm opera eorum nolite facere.

Tales miserabiles medicos, Prælatos, & Doctores cùm quandoque nutriat Ecclesia, eos acutis & malevolis Novellantes nostri perscrutantur oculis, & illud tritum jactant: *Qui sibi nequam, cui bonus?* Et ob quorundam malitiam, aliorum bonitatem æstimare negligentes, & doctrinam, & veritatem nostram Catholicam contemnunt. Optimè de istis illud Augustini dici potest: *Dic, quid isti faciunt, cùm illis commemorantur tam innumerabilia, & quotidiana peccata, & scelera eorum, quibus plena est illa societas?* Maximè autem ipsi, sectarum illarum, auctores, & inventores, Lutherus, Calvinus Lilio ob nefandum delictum stigmatizatus. Et tamen uterque cum suis asseclis Ecclesiam Dei reformare & ministrorum defectus, & bonitatem dijudicare, & ex bonitatis defectu, doctrinam, & veritatem rejicere præsumpsit, & arguere.

Incurios medicos haretici respiciunt, & spernũt.

S. August in psal. 10

Nunquid ipsi meliores?

jicitur: *quid vides festucam in oculo fratris tui, & trabem in oculo tuo non vides? Sicut hydropicus* (scribit in hunc passum Hugo Cardinalis) *corripit cum, cui digitus tumet, & ipse sui ventris immemor est.* Erubescant digiti tumorem arguere, illi, quorum Deus venter est, ebrietatibus, & luxuriis, ambitionibus inflatus, & tumidus. Et tamen hi curare languentem conabantur Ecclesiam, & abstergere sordes in pedibus ejus. Egregiè horum temeritati obviavit Gregorius: *Superiectas sordes* (inquiens) *manus tergere non valent, quæ lutum tenent.* Luto utiq;, & immunditiâ plenæ erant eorum manus, quas priùs mundare convenerat & calido pœnitentiæ lixivio lavare, antequam eas mundandis Ecclesiæ pedibus, Doctoribus, & Prælatis applicare præsumerent.

Math. c. 7. v. 3.

Hugo Card. hic.

Hydropicus arguit tumentem digitum.

S. Greg. apud eund. *Sordidis manibus nos lavare volunt.*

Siquidem autem etiam in Ecclesiæ Ministris, & Doctoribus labes, & sordes terrenarum, aut carnalium cupiditatum inveniantur, saltem hoc in ipsis meritò commendatur, quòd vitæ suæ doctrinam non accomodent, sed inter corruptæ vitæ mores, incorruptam servent doctrinam, qua alios saltem commonent, ne secundùm opera ipsorum faciant. Ministri verò hetherodoxi, dum

Nostri, saltem mala vita non conformãt doctrinã.

VIII. Nunquid meritò illud æter-

dum prima sectarum suarum fundamenta jecerunt, ne quis de vita sua impura scandalum sumeret, vitæ & moribus etiam doctrinam adaptârunt, liberam Religiosis votorum rupturam, & jugi Dominici excussionem non tam permittendo, imò & cogendo. Hæc ergo est inter Catholicos, & Aacatholicos verbi Dei ministros immorigeros differentia, quòd Catholici, dicunt, non faciunt: Dicunt faciendum bonum, & non faciunt bonum, sed malum. Acatholici, dicunt & faciunt: faciunt malum, & illud faciendum dicunt & docent: duplici irretiti malo, vitæ & doctrinæ.

Nostri dicunt, & non faciũt

Illi malè dicunt, & faciunt.

Erubescunt quidem moderni Acatholici fundatorum suorum lutosam vitam, & doctrinam, qui *parietem liniebant luto absque paleis*. Quare superædificare fabricam honestiùs apparentem studuerunt, *lateres ceciderunt, sed quadris lapidibus ædificabimus*. Sed superædificent, quantum volent, tamen non efficient, quin prima adhuc videantur fabricæ fundamenta; quodsi & hæc (uti & de nomine fecerunt, ex Calvinistis, Lutheranis, Zvvinglianis se Evangelicos nominando) eruere, & unà cum Lutheri, & Calvini, aut Zvvinglij nomine, etiam fundamenta doctrinæ evertere conentur, ubi unitatem fidei, & continuatam fidei in eorum Ecclesia unitatem & conformitatem conservabunt, si luto lateres, lateribus lapides quadros annuatim substituere pergant?

Ezech 13. v. 10

Isa. c. 9. v. 10.

Moderni erubescũt suos hæresiarchas.

IX.

Quod porrò Acatholici ministri subinde meliùs vitæ honestatem (quàm primi ipsorum fundatores fecerant) saltem secundùm externam speciem observare ex sæcularis potestatis terrore, studeant, hoc nihil bonitati doctrinæ tribuit, sicut enim mala vita non præjudicat bonæ doctrinæ, & veritati, sic, bonitas moralis non emendat malitiam doctrinæ. Et pluris æstimandus, malus (in moribus) medicus, qui bona ægro subministrat medicamenta, quam bonus (in vita morali) medicus, qui venenatam malæ doctrinæ propinat medicinam.

Bonitas vitæ non iuvat in lam doctrinam.

Quæ cùm ita sint, ex mala Pastorum vita nullatenus bonam ipsorum rejiciendam esse doctrinã constat; doctrinãaccipiant, mores relinquant, frequenter enim de malo homine, bona doctrina procedit, & licet de infimo aliquando impurus ignis in ossibus, Doctoribus, & Pastoribus Ecclesiæ, immissus sit, per eos tamen Ecclesiam, & fideles erudiri nihil impedit; quamvis convenitentius omni-

Munditiã decet Sacerdotes.

no

no sit puræ doctrinæ, etiam puram respondere vitam, & ut verbi minister, non corvus sit, sed columba.

Prov. 22. v. 11.

Qui diligit cordis munditiam, propter gratiam labiorum suorum, habebit amicum regem; Salomone teste. Sed dubium movet Hugo Cardinalis. *Sed nunquid qui non habet cordis munditiam, cessare debet à doctrina, & prædicatione veritatis? Respondeo, Si non sit notorius, & habet officium, non debet cessare; Unde Origenes: Nolo duplicati criminis esse reus, ut & bona non faciam, & bona, quæ novi, taceam.* Quamvis bona illa, à Prædicatore segniùs operante edocta, minùs penetrent. *Sagittæ parvulorum factæ sunt plagæ eorum*, ait psalmista, sed cum parvo effectu: *Et infirmatæ sunt contra eos linguæ eorum.* Quod *de quibusdam prædicatoribus, qui dicunt & non faciunt, potest exponi sic,* (ut Hugo docet.) *Sunt quasi sagittæ parvulorum, id est, non multum penetrant, eò quòd non sint fortes manibus, nec arcum sacræ scripturæ possunt tendere manibus, id est, operando. Isti debiles sunt sagittarij, & cutis diaboli dura est, & spissa, ut sagittæ prædicationis, quæ tales emittunt, non possint eam perforare.* Econtra sagittæ potentis (illius scilicet, qui potens est opere & sermone) acutæ sunt. Quare arcam studeamus potenter manibus, id est, opere, & sermone tendere, & sagittas tanquam indefessi Fabri ferrarii ad ignem divini amoris acuere, ut sic duritiam cordium peccatorum penetrare, & optatam filio Dei prædam, feras, & filios arietum offerre & prædâ animarum maligno hosti ereptarum divites, cœlestem patriam triumphaliter ingredi valeamus, Amen.

Hugo Card.

An malus à docendo cessare debeat?

Psal. 63. v. 8.

Hugo Card.

Verba sine operibus

Sunt sagittæ parvulorum.

Psal. 119. v. 4.

DISCVRSVS XXVI.

Mem.

De excelso misit ignem in ossibus meis, & erudivit me. *Thren. 1. v. 13.*

DE ANIMA.

Tribulatio est Schola, in qua boni à malis exercentur, & eruduntur.

1. *Iudæi per tribulationem eruditi.*

INeruditi & rudes, ad scholas mittuntur erudiendi. Rudes erant Hebræi, virtutis, & pietatis eruditione alieni. Hos ergo ad scholam ablegare, disciplinæ subjicere, & erudire necesse erat. Sed severa erat, & acerba hæc disciplina, & schola: *Misit ignem in ossibus meis, & erudivit me.* Notat meus Doctor Seraphicus, hoc loco per ignem denotari *vehementiam tribulationis, deinde eius utilitatem*, in illis verbis, *erudivit me*. id est, *extra ruditatem peccati posuit*, exponit Hugo: qui etiam ad literam hæc annectit verba: *Quia dicitur, quòd post Babylonicam captivitatem, nunquam postea fuerunt Idolatræ, &c.* adeóque igne tribulationis erudivit me, fatetur populus in afflictione, & in igne tribulationis positus.

S. Bonav. in Thren. hic.

Hugo Card.

Sed & eadem vox est Ecclesiæ, & animæ in sensu spirituali: Exclamat ergo partim ingemiscens, partim de eruditione sua sibi congratulans anima peccatrix, at pœnitens: *De excelso misit ignem*, id est, *atrocissimam tribulationem* (glossatur Seraphicus) *in ossibus meis*, id est, *in intima mea, & erudivit me*, id est, *docuit me per adversitatem, quod in prosperitatis tempore capere nolebam.* Hanc ergo utilem tribulationum scholam subire lubeat, quæ in omnibus scientiis discipulos suos eruditos, & exercitatos facit, unde & huic versui præponitur litera *Mem*, quod idem est, ac *ex ipsis*, quasi diceret, ex ipsis tribulationibus animam eruditi. Om-

S. Bonav. hic.

Tribulatio docet.

II. Omnis homo scire desiderat, inditum quippe humano ingenio est curiosum sciendi desiderium, in antiquis quidem Philosophis ita immoderatum, ut non solùm plerique eorum longinquas, discendi, & sciendiam acquirendi gratiâ, terras peragrarent, sed etiam Crates opes suas, sapientiæ, & scientiæ remoras, alto demerserit. Quamvis autem nasuti illi Philosophi, ingenij sui acumine subtiles scientias, tanquam aranearum telas è cerebro suo produxerint, subtiliter definientes, dividentes, & disputantes, nunquam tamen ita veritatis fundum penetrare potuerunt, quin in multos impingerent errores, in cognitione naturalium, sed in plures contra veritatem rerum divinarũ, & supernaturalium.

Homo scire desiderat.

Philosophi subtiliter disputantes aberrarunt.

Ineruditos ergo, & rudes divina scientia mortales eruditura, Divina Sapientia de cœlo descendit, quæ cathedram sibi elegit Crucem, & scholam suam, ac Gymnasium in monte Calvario constituit: Nec ullum exercitium virtutis & patientiæ, nulla lectio quamvis dura, & aspera fuit, quam ipse discipulis suis *non in actu exercito* imitandam exhibuerit, *discite à me*, qui non tantùm verbis, sed ipso opere, & laborum dura perpessione vos docco.

Christus scholam erexit.

Matth. 11.

Subductus nobis, & in cœlum elevatus cœlestis ille Magister, alium discipulis suis promisit magistrum, sibi non inferiorem, scilicet spiritum paraclitum, *ille vos docebit omnia: Misit ignem in ossibus meis*, id est, *Spiritum sanctum*, uti Hugo exponit, *& erudivit me.* Sed suos etiam provisores supremus habet ille Magister, per quos rudes discipuli erudiantur, & eruditi exerceantur.

Successit illi Spiritus sanctus.

Qui ergo provisores illi, qui erudiendis, & exercendis justis, & veris Christi discipulis à Deò constituti sunt? Ipsi mali, ipsi impij in hoc mundo, ad erudiendos, & exercendos justos in schola tribulationis constituuntur, ad nullum nisi hoc solum officium mundo utiles. Perantiqua jam erat inter Sapientes quæstio: *Quare impius vivit?* Hanc (ut aliorum opiniones præteream) nervosè, & cathegoricè resolvit magnum Africæ lumen Augustinus: *Omnis malus aut ideò vivit, ut corrigatur; aut ideò vivit, ut per eum bonus exerceatur*; Ad exercitium ergo, & servitium in schola tribulationis præstandum, justis mali destinantur.

Mali, sunt provisores bonorum.

S. Augustin. in ps. 54.

III. Dum Rebecca gemello gravida, parvulos in utero collidi sentiret, anxia perrexit, ut consuleret Dominum, qui illi respondit, duas gentes, & populos utero ejus recludi, *& ma-*

Genes. 25. v. 23.

Maior seruiet minori. *ior serviet minori*, non quidem in persona propria, sed in posteris, quia Idumæi posteri Esau, servierunt Jacobi posteris, scilicet Israëlitis. Observat autem Cornelius à Lapide hîc, quòd *tropologicè mali serviunt bonis, quia sua persecutione, cruciibus, & tormentis parant, & fabricant eis coronas æternas.* Hoc etiam innuit Hugo Cardinalis: major serviet minori, *quia cum persecutus est.* Persequi igitur, tribulare, exercere, servire est. Notat etiam præfatus Expositor. *Ecclesia concepit in die Pentecostes, quando recepit Spiritum sanctum.* Non tamen omnes filij sunt Jacobi, sed multi inter eos inveniuntur Esau, id est, mali, persequentes; Persequentes, & simul servientes.

Cornelius hic.

Hugo Card.

Mali bonis, persequendo,

Quid ergo persequentes torvo aspicis vultu Christiane? An nescis eos tibi esse servientes? Eos, qui tibi serviunt, amplectere, fove, remunera; serviunt tibi persequentes te, exercent, instruunt, & ad scholam, & disciplinam adducunt: Non ergo nos pudeat etiam à rudioribus, & magis indisciplinatis doceri, & erudiri.

Boni à malis erudituntur,

Induratis quibusdam Judæis, & maledicentibus viam Domini, Paulus *discedens ab eis, segregavit discipulos, quotidie disputans in schola Tyranni cujusdam*; Varij variè de hac Tyranni schola exponunt, alij enim per Tyrannum, aliquem potentem, alij nomen proprium viri sic apellati intelligunt. Sed quicquid demum sit, planè in schola tyranni, non tam disputâsse, quàm profeciisse Paulum certum est, cùm toties à tyrannis & persecutoribus exercitatus, in vinculis, & calamitatibus virtutum omnium magister effectus est. In hac eadem schola Tyranni, omnes reliqui Discipuli studuerunt, quamvis doctrina hæc valde sit ardua, & corpori fastidiosa. Ad perfectionem autem qui volet attingere, huic se disciplinæ subijciat necesse est, quam etiam Regius Propheta cum magno sui profectu erpertus est: *Et disciplina tua correxit me in finem,* S. Augustinus legit: *direxit me in finem, ad finem Christum*, exponit Hugo, *qui est finis noster, corona, & præmium. Finis legis Christus, & disciplina tua ipsa me docebit. Doctrina tua*, legit S. Hieronymus & addit, *necesse est, dum sumus hîc, sub doctrina esse.* Unde Paulus ait; *Omnis doctrina,* (vulgata habet, disciplina) *in præsenti non videtur esse gaudij, sed mœroris*, unde sicut pueri scholam, & disciplinam, sic & Christiani, hanc perfectionis scholam, disciplinam, & doctrinam naturali modo declinant, & horrent, quibus tamen

Act. 19. v. 9.

Paulus Tyranni scholam

frequentat.

Pſal. 17. v. 36.

Rom 10.

S. Hieron. h.c.

Hebr. 12. v. 11.

Disciplina utilis.

utili-

utilitatem futuram Paulus ob oculos ponit; *sed postea in futurũ reddit fructum plurimum*, non tantùm ratione futuræ remunerationis, sed etiam profectûs spiritualis.

IV. Hæc schola, disciplina, seu tribulatio magnos facit Theologos, est enim *Repertorium divinorum*, (ut ait Pacian. Episcopus Barcin.) *& inventarium cognitionis Dei.* Ab Augustino optimè intitulatur, *disciplina, magistra Religionis, magistra veræ pietatis, quæ nec ideò increpat, ut lædat, nec ideò castigat, ut noceat.*

apud Cron Prov. 3. v. 13. *Est magistra.*

Solent Pelliones pelles à tineis infestatas, aut pulvere respersas virgis aut baccellis excutere, unde bene pelli à pellione excussę, quidã hãc posuit inscriptionem: *Excutiendo perficitur.* Eâdem ratione (uti affirmat S. Thomas de Villanova) *Tribulatio hominem à vitiis & concupiscentiis, & vanis sæculi desideriis purificat, & ab eo pulverem vanitatis excutit. Sicut enim vestes diu apothecis inclusas, & à tineæ corrosas, vel nimio pulvere respersas aliquando virgâ percutimus, & ab eis vermes, & pulverem percutientes excutimus, sic Deus homines nimio luxu, & abundantiâ corruptos, illecebrosis appetitibus, veluti vermibus corrosos, vanitatis & cupiditatis pulvere fœdatos, tribulationis virgâ excussa vanitate, & carnalibus desideriis extinctis, purificat.*

S. Thom. Villan Conc. de SS Quirito & Iulia.

Sicut pellio. Deus excutit. pulverem.

Sustineret fortè lubens homo pellionem Deum, si virgâ tantùm, & disciplinâ tribulationum ipsum excuteret; sed hoc molestum, & insupportabile videtur, quòd Deus aliquando non tantùm virgas, sed fustes & grossos baculos pelli nostræ immittat, rudes scilicet, & incultos peccatores, qui sua persecutionum nodositate nimiũ nos torquent. Sed sive baculo sive virgâ utatur Deus, sustinere nos convenit, cùm certissimus, quòd non percutiat, ut lædat, *castigans castigavit me Deus, & morti non tradidit me.* Castigando non occidit, non lædit, sed tineas tantùm, & pulverem nobis excutit Deus. Imò non exteriorem tantùm pulverem & tineas, sed intus etiam purgat nos tribulatio: Sicut enim homo non exteriores tantùm in moribus tineas, sed internos in cerebro, & animo etiam patitur vermes, à nullo facilè medico expellendos, sic etiam eos expellere tribulatione satagit Deus, nam *tribulationis acrimonia* (asserit idem Archiepiscopus Valentinas) *veluti absinthii poculo omnes animæ vermes, intus viscera eius corrodentes, sua amaritudine inficit, & interficit.* Qui ergo bonus evadere medicus desiderat, & solidam expellendi à se vermes scientiam addiscere, hanc cœlestis Hypocratis

Baculi peccatores

Psal. 117. v. 18.

Tribulatione vermes expurgantur.

cratis scholam, & Academiam frequentet, tribulationem scilicet, nam *melius est ire in domum luctûs, quàm ad domum convivii*, docet Ecclesiastes, in hac nihil nisi quæ animæ sunt nociva hauriuntur, & addiscuntur, in illa autem homo veram addiscet medicinã, & animæ suæ curandæ artẽ: *Et erudivit me.* Overè ars utilis & diu desiderata, qua vermes ejiciuntur! Quamdiu hanc artem multi inclamabant, ecce hîc eam in compendio.

Eccl. c. 7. v. 3.

V.

Multi mali, & inexperti inveniuntur Legistæ, & Juristæ, ita rudes, ut nullas Regulas Juris teneant, multò minùs Justitiam sciant, quæ est constans, & perpetua voluntas, jus suum cuique tribuendi, sed tantùm titulos sive justos sive injustos, ac juris prętextu coloratosquę rant acquirendi rerum dominij. *Sit autem fortitudo nostra, Lex Justitiæ*, id est, *fortitudinem pro lege Justitiæ habeamus*; Vel: *Quicquid possumus, quasi licitè faciamus, licet iniustum sit*; Sic Hugo Cardinalis. Istos ad domum luctûs, ad scholam tribulationis instituendos mitti suadet Regius Propheta: *Constitue Domine legislatorem super eos, ut sciant gentes, quoniam homines sunt.* Hieronymus vertit, *timorem.* Chaldæus *terrorem*; Nec sensus vulgatæ ab iis ablùdit, constitue, inquit, Domine crudelem aliquem legislatorem, impone tyrannum eorum cervicibus, qui illos dura servitute premat, terrore coërceat, uti quidam modernus exponit, & demum *in schola tyranni* Justitiã addiscent, & reddere unicuiq; jus suuum: *Misit ignem in ossibus meis, & erudivit me.* Perversi etiam, & rudes inveniuntur Logici, qui vitiosos syllogismos, & mala faciunt entimemata, & sequelas absurdissimas. Quot enim juvenes, & lascivi adolescentes ætatis suæ florem, & robur considerant, & inde concludunt; Eja ergo lætare juvenis in adolescentia tua; *Venite ergo, & fruamur bonis, quæ sunt, utamur creatura, tanquam in iuventute celeriter. Non prætereat nos flos temporis.* O vitiosa sequelà! Ergo venite, exultemus Domino, serviamus illi, dum vires suppetunt, in flore juventutis nostræ. Alij vitæ brevitatem considerantes, inferunt: Ergo *coronemus nos rosis antequam marcescant*; Ede, bibe, lude, post mortem nulla voluptas. Absurda hæc sequela est, quin potiùs ex illo antecedenti inferant: Ergo, *dum tempus habemus, operemur bonum*; sic magistra docet disciplina. Via ad cœlum, ad beatitudinem dura, & longa est: Ergo cum Elia prosternamus nos sub umbra juniperi; Sed

Juristæ docentur tribulatione.

Faciunt quod possunt, non quod licet Sap. 2. v. 11.

Hugo Card.

Mal. 9. v. 23.

Logici perversi.

Sap. 2. v. 6.

Malas faciunt sequelas.

trium-

S. Thom. Villan. cit. *tribulatio* (ait Thomas de Villanova:) *expergefacit hominē à somno*; pulsat latera, ad iter prosequendum; *Surge*; *grandis enim tibi restat via*. Alij auditâ propositione ex Epistola S. Jacobi: *Si quis offendit in uno, factus est omnium reus*, faciunt sequelam: Ergo si propter unicum peccatum damnari debeam, præstat vivere vitam Epicuream, frænum laxare cupiditatibus, & infernum splendidè mereri. Sed talis baculo & virgâ disciplinæ castigatus, aliam discit formare salubriorē sequelam: Ergo, si in uno tantùm offendam, etiam hunc errorem corrigam, ut plenè mandata Dei observem. Absurdissimas sequelas formant hæretici: *Christus passus est, pro nobis*: Ergo nos, pati, & operari bene, desinamus. Quæ hæc absurda sequela? Nonne meliùs concluditur; Si Christus passus est, ergo nos sequamur ejus vestigia, insistamus milites ducis exemplum, egrediamur ad eum extra castra, &c. Vident alij prosperitatem proximi, splendorē virtutum, &c. jam invident, & lucernam domini intueri non possunt, antequam extinguatur: ergo opprimamus illum, persequamur, &c. Imò verò, ergo imitemur virtutem, Deum de collatis illi donis laudemus, ut ejus meritorum fiamus participes. Hanc sequelam veram, & irrefragabilem in schola tribulationis addiscimus, *Castigâsti me Domine, & eruditus sum, sicut iuvenculus indomitus*. Eruditus sum, (ait Hugo) *Sicut bonus discipulus*.

S. Iacob. Epist. 2. v. 10.

Erudiendi in Academia tribulationis

Jerem. 31. v. 18.

Hugo Cardin. VI.

Ille, qui Ludimagistræ, vanitati mundi, operam navat, semper vanas format conclusiones; Ergo honores, ergo voluptates, ergo divitias venabor, &c. Sed cùm illum Deus à ludo vanitatis, ad scholam tyranni, disciplinæ, per infirmitatem, per persecutionem, per amicorum, & Patronorum subtractionem vocat, jam meliùs concludit: Ergo *nolite confidere in hominibus, in quibus non est salus*. Ergo, *Filii hominum usquequo gravi corde, ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? Usquequo parvuli diligitis infantiam?* Ergo alia incipienda dialectica; alia figura, & modus argumentandi addiscendus. Optimum sedisciplinum, & Logicum ille se exhibuit, qui agnitæ mundi vanitati nuncium remittens, ac soli Deo se mancipaturus, his mundo fugaci versibus valefecit:

Vanitatũi sectatores.

Psal. 145. v. 2.

Psal. 4. v. 3.

Prov. 1. v. 22.

Linquo coax ranis, erat Corvis, vanáque vanis.
Ad Logicam pergo, quæ mortis non timet ergo.

Sequela, & ergo mortu.

Tremendum ergo, est Mor-

tis Ergo, & conclusio. Vivimus? Ergo moriemur; moriemur? Ergo vanitas vanitatum, & omnia vanitas; Moriemur? Ergo sistemur ad judicium rigidissimum divini Judicis. Moriemur? Ergo vel ad æternam beatitudinem, vel æternam damnationem. Ergo, *dum tempus habemus, operemur bonum.*

Tribulationis in solâ, hæc Logica discitur scholâ.

Isa. 28. v. 19. *Sola vexatio intellectum dabit. Misit ignem in ossibus meis, & erudivit me.*

VII. Sunt alij, qui in ipsis hærent studiorum principiis, pueruli prima literarum elementa addiscentibus proponuntur agnoscendi, & nominandi Alphabeti characteres; successivè ordine Alphabetico præscribuntur legenda nomina, in quorum capite ordinariè ponitur, Anfang, quod est ab initio. Quod autem, prima Sapientiæ elementa addiscentibus, hoc est initium: *Initium Sapientiæ timor Domini.* Hoc Principium, Initium, & Elementum Sapientiæ, nusquam melius, quàm in tribulationis schola addiscitur. *Disciplina tua ipsa me docebit.*

Mali Principista.

Psal. 102. v. 9.

Grammatici inter Christianos æquè apparent vitiosi, qui nesciunt *declinare* malos mores, & occasiones, faciunt *solœcismos* enormes & *barbarismos*, verba blasphema, obscœna, effutiendo. Humanistæ *pedes* nimium ad amorem illicitum alligant, *quantitates* in vestium luxu transgrediuntur, hi omnes ad scholam Tyranni, ad scholam tribulationis mittendi, facilè erudientur, *castigásti me Domine, & eruditus sum: Misit ignem in ossibus meis, & erudivit me.*

Mali grammatici

Denique siccos, & ineloquentes, indisertos Ecclesia nutrit Rhetores, qui in oratione apud Deum peroraturi, tertio mox hærent verbo, neq; quid amplius per unam horam orationis, sub uno sacrificio perorare ad Deum aut possint, aut debeant, sciunt, infacundi, & pene muti. Sed mitte eos in scholam tribulationis, jam perorare eloquenter, jam efficaciter dicere, jam ardenter clamare discent.

Infacundi Rhetores,

Discunt orare

Infacundus, & languidus in orando, & perorando David, cœlestem hanc Rhetoricam probè in tribulationis schola didicit. *Ad Dominum, cùm tribularer, clamavi: Cum tribularer, linguas adversantium, & injuriis persequentium* (glossatur Hugo Card.) *clamavi corde, ut Susanna.*

Ita David

Psal. 119. v. 1.

Hugo Card. hic.

Cùm enim hæc, licet insons, accusaretur, *flens suspexit ad cœlum, erat enim cor ejus fiduciam habens in Domino.* Latâ autem jam in eam iniquâ per populum

Dan. c. 13 v. 35.

senten-

Ita Susanna.

sententiâ, *exclamavit voce magna Susanna, & dixit: Deus æterne, qui absconditorum es cognitor, &c.* Notat hîc Cornelius; *Non legimus Susannam unquam tam ardentes ad Deum preces emisisse, nec vehementer ad cœlum suspexisse, quàm cùm se vidit in extremis hisce angustiis.* Et concludit: *Ita tribulatio docet orare efficaciter.* Ecce quomodo disertos, ardentes, & extemporales Rhetores facit schola tribulationis. *Misit ignem in ossibus meis, & erudivit me.* Sic etiam in cœlesti hac Rhetorica eruditi Israëlitæ, *clamaverunt ad Dominum cum tribularentur.*

Cornelius hic.

Psal. 106. v. 6.

VIII. Sit autem schola, & Academia quantumvis famosa, Professores qualitercunque etiam eruditi, si tamen capacitas subjecti in discipulo desit, parum labore suo Professores proficient: *Quicquid enim recipitur, per modum recipientis recipitur.* Unde, sicut non ex quovis ligno fit Mercurius, sic nec de Asinis fiunt Doctores. Ego autem de hac tribulationis schola, majus aliquid præsumendum, & neque rudes, & rudentes asinos à consequendâ Doctoratûs laureâ excludendos censeo. Quòd demonstrare solidè non diffido, dummodo patientes dicenti aures præbere non gravemini.

Non ex quolibet fit quadlibet.

Asini fiùt Doctores.

Stratâ asinâ suâ ad Balæc Moabitarum Regem profecturus Balaam, obujum habuit in via Angelum Domini evaginato gladio comminantem, quem asina terrefacta tertiò declinavit, donec inter angustias comprehensa, evitandi non ampliùs haberet facultatem. Interim misellæ à Balaam durissimè fuste tractatæ *asinæ os dominus aperuit, & locuta est: Quid feci tibi? Cur percutis me ecce iam tertio?* Nihil insolitâ asini loquelâ commotus Propheta ille perversus, *respondit: quia commeruisti, & illusisti mihi: Utinam haberem gladium, ut te percuterem.* Dixit *asina: Nunquid animal tuum sum; cui semper sedere consuevi usque in præsentem diem? Dic quid simile unquam fecerim tibi? At ille,* etiamnum rei novitate nihilo eruditior, *ait: Nunquam.* Protinus post multa pauperculæ asinæ verba & verbera aperti sunt oculi Balaã, ut evaginato gladio ante se cernens Angelum, hunc in terram prostratus adoraret. Ecce hîc asinam Prophetâ eruditiorem.

Num. 22. v. 21.

Asina Balaam.

Instruit Prophetã.

IX. Observat in hunc locum magnus ille Gregorius, *asina retardata Angelum videt, quem Balaam necdum videbat.* Quis autem Balaam, nisi spiritus, & anima, quæ tanquam eques refrænando insidet corpori, seu carni, tanquam asinæ? sed contingit subinde, quòd stupidus Ba-

S. Greg. 3. Parte Pastor. admon. 13.

Asina Cãro.

Balaam, spiritus, vel mens humana minitantem Angelum, aut Deum non videt, quem tamen caro verberata sentit, & quasi videt, *quia plerumque caro* (ait Gregorius) *tarda, per molestias flagello suo menti indicat Deũ, quam mens ipsa, carni præsidens, non videbat.*

Eques spiritus.

Disciplinæ subinde, & doctrinæ capacior est asina caro, quàm ipse spiritus, quia plerumque caro, prima in tribulationis schola exercetur, & licet asinino affixa scamno, tamen prior eruditionis influxũ, quia & prior disciplinæ virgam sentit; hinc est, quòd misera asina, caro seu corpus, infirmitatibus, fame, pressuris & angustiis exercitata, prima castigantis Dei manum sentiens, ad cœlum attollit oculos, vocẽ, & manus, & disciplinâ tribulationis erudita, clamore suo, etiam aures & oculos mentis recludit, queis castigantem Dei manũ, agnoscat, agnoscẽs erudiatur, erudita sese emendet, & emendata de vitiis, protinus de virtute in virtutem cum spiritu procedat. *Misit ignem in ossibus meis, & erudivit me.*

Asina, caro afflicta videre incipit.

Et monet spiritum.

Ecce quomdo in hac tribulationis Academia etiam asinæ & bestiæ graduentur, & erudiantur: *Et bestiæ terræ, pacificæ erunt tibi.* Bestiæ (ait Glossa ordinaria) *sunt motus carnis, quibus continentia, quasi cavea præest; & si tentando rugiunt, non tamen ad effectum, quasi ad rabiem morsûs excedunt, in quo sunt pacificæ.* Imò in schola tribulationis hi bestiales modus etiam taliter quandoque exercentur, ut ne rugitus quidem ampliùs audiatur. Cùm ergo tam utilis, & perfecta sit tribulationis schola, in eam à Deo introduci, & exerceri non gravemur, ut in ea plenè eruditi, & nostras miserias, & Dei excellentiam cognosere valeamus, & gaudeamus nos (ut S. Thomæ Villanova verbis utar) *ex peccatoribus in studiosos fuisse permutatos*, qui sufficienter disciplinâ eruditi mereamur *ascensum* in cœlestem Jerusalem, ibi donandi præmio, & laurea cœlestis gloriæ,

Amen.

Iob. 5. v. 23.

Glos. ord.

Asinus tuus carnalis.

DISCUR-

DISCVRSVS XXVII.

Nun.

Vigilavit jugum iniquitatum mearum, in manu ejus convolutæ sunt, & impositæ collo meo, &c. *Thren. c. 1. v. 14.*

DE ECCLESIA.

Ingemiscit Ecclesia, & timet, ne flagellis à Deo immissis non emendata, adhuc gravioribus opprimatur, de quibus non possit surgere.

1. *Vigilavit jugum iniquitatum mearum!* Et quod illud jugum? Per jugum aliqui intelligũt, jugum, supplicii imponendi ob iniquitates, quod multoties à Prophetis onus vocatur: v.g. Onus Babylonis, onus Ægypti, onus Damasci, onus Moab, id est, gravis afflictio, & pœna, quæ incumbet illi populo, quæ vigilat, & nobis minando imminet, licet nos altùm dormitãtes nihil de ea somniemus, vel cogitemus. Et notat Cornelius, & etiam Hugo Cardinalis, hoc jugum non esse aliud, quàm virgam vigilantem, à Jeremia visam, dum ad eum clamavit Deus: *Quid tu vides Jeremia? Virgam vigilantem ego video.* Quæ virga non tam pœnam infligendam, quàm ipsam divinam Justitiam, & vindictam vigilantem denotat, à qua pœna sit infligenda. Eâdem etiam ratione in hoc loco jugum non tam supplicium & afflictionem infligendam, quàm Justitiam divinam iniquitatibus nostris invigi-

Jugum, & virga vigilans — *Est divina vindicta.* — Jerem. c. 1. v. 11.

invigilantem & minitantem insinuat, uti etiam vertunt septuaginta, *vigilavit Deus super iniquitates meas*, quarum impletâ mensurâ Deus novas, & funestiores immittat pœnas, & flagella: Unde & æterna Veritas Hebræis comminatur: *Et vos implete mensuram Patrum vestrorum.* Matth. 23. v. 32

Expectat impletionẽ mensuræ.

Dum ergo ex una parte afflicta considerat Ecclesia, vigilans jugum, & vigilantem super peccata nostra divinam Justitiam, & ex altera parte cumulum immensum, & infinitum iniquitatum numerum populi Christiani, timet meritò tremens, impletam esse mensuram patrum nostrorum, ac vindictam divinam non contentam prioribus, quibus populus emendatus non fuit, flagellis, tam graves sibi immissuram afflictiones, & in tam potentem, & crudelem tradendam Exactoris manum, de quâ surgere amplius non possit, malis, flagellis, afflictionibus, & potenti hostium manu supprimenda.

II. Probatus est Hypocratis, & à medicis receptus aphorismus: *Cùm corpus ægrum vel afflictum suas plagas, vel dolores non sentit, certum est signum, mentem ægrotare,* laborare scilicet amentiâ, delirio, vel stupore. A tali ægro non solùm medicus manum non debet retrahere, sed eò acriùs eum purgando, sanguinem diminuendo, sudorem provocando exercere, usque dum stupore sublato, sentiat se ægrotare, & dolere. Pœnam & flagella adhibet Deus impiis peccatoribus, non tam vindice, quàm medicâ manu, urendo & secando, (si leniendo non valeat) eos curaturus; Quodsi verò peccator æger plagas suas, & dolores à medica Dei manu inflictas non sentiat, non hoc solùm non sanitatis, sed maximæ insaniæ, & stuporis argumentum est, quo gravior Dei manus ad acriora, & extrema applicanda, desperato ægro, media necessitatur.

Æger insensibilis, desperatus

Stupor mentis lethalis.

Tali mentis stupore laborabat olim Hebræus populus, de quo Jeremias testatur, vel magis conqueritur: *Percussisti eos, & non doluerunt, attrivisti eos, & renuerunt accipere disciplinam, induraverunt facies suas, sicut petram.* Jerem. 5. v. 3.

Nam sicut petra, super quam Castellum aliquod fundatum est, licet percussa fluctibus aut igneis tormentorum globis concussa, nihil tamen minùs emollitur, frangitur, aut cedit, sic induratos peccatores licet percutiat Deus, non dolent, aut conteruntur, & nihilo meliorati in petram indurantur, nec tribulationum procellis moventur, nec ad afflictionum

Talis obdurata mens Israelitica stupidi.

impe-

impetum frangantur, sicut petra.

De hac dura petrarum specie, & sorte negat se esse patiens Propheta; *Nec fortitudo lapidum fortitudo mea, nec caro mea ænea est*, ut ictus tribulantis divinæ manûs, & dolorem affligentis non sentiam. Nam teste Gregorio, *quid hoc loco ære ac lapidibus, nisi insensibilium hominum corda signantur? Qui sæpe & supernos ictus accipiunt, & tamen nullâ disciplinæ percussione molliscunt.* Cùm ergo cor induratum, & quasi lapideum Israëlitæ tenerent, obtulit se, ad mollius cor illi substituendum, Deus: *Auferam cor lapideum de carne vestra, & dabo vobis cor carneum.*

Job. 6. v. 12.

Greg. 7. moral c 9.

Lapidei & ærei.

Ezech. 36. v. 26.

III. Notandum etiam quòd non tantùm de lapidis, sed etiam de duritie æris, Job mentionem faciat, distinctionem inter ærea & lapidea ponendam indigitans. Et lapis quidem, aut petra ictus non tantùm non sentit, nil movetur, aut emollitur, sed neque percussa resonat. Æs autem licet insensibile, & indomabile, resonat tamen, & ad ictus tinnitum emittit. Haud aliter (inquit Gregorius) *sunt nonnulli, qui lapidibus similes ita ad pietatis præcepta duruerunt, ut cùm eos percussio supernæ animadversionis examinat, nequaquam sonum humilis confessionis reddant; Quidam verò à metallo æris in nullo discrepantes, cùm flagella supernæ percussionis accipiunt, piæ confessionis sonitum emittunt;* Sic olim instar æris tinniebant Ninivitæ, ad minas prædicantis Jonæ, & jam imminentem, inter paucos dies eversionem, clamaverunt *ad Dominum in fortitudine*, ac pœnitentiam in cinere & cilicio præseferentes, ad Dominum conversi apparebant, sed erat hic pœnitentium clamor & tinnitus inconstans, cessante enim Dei comminatione, ad antiqua relapsi scelera, nihil de æris duritie remiserunt, ideò etiam à Deo penitus deleti; Tales ergo, non quidem lapidei, sed ærei, peccatores (ait Gregorius) *qui à percussi à Deo. humilitatis voces ex corde non proferunt, ad statum salutis reducti, nescunt, quod promiserunt;* Sed transit memoria divinæ comminationis, & percussionis cum sonitu, sunt enim sicut æs sonans, aut cymbalum tinniens, quod non diutiùs, quàm dum percutitur, sonat, & tinnit.

Lapis nullum edit sonum.

Idem ibid

Æs percussum, sonat.

Jonæ. 3. v. 8.

Sic aliqui

IV. Lapideũ se imprimis exhibebat perversus Pharao, cujus cor ad minas Moysis ita erat induratum, ut non solùm nullum emollitionis & conversionis signum, sed nec vocem quidem & tinnitum confessionis aut conversionis ederet. Demum à Deo per Moysen obtutus, flagelli

Pharao primò lapideus.

gellis, & tribulationibus muscarum, ranarum, sciniphum, locustarum, grandinum, &c. clamare cœpit ad Dominum, etiam preces Moysis & Aaron implorans. Emollitum in cera quis credidisset Pharaonem, sed agnoverat Moyses, violentas lias tantùm esse voces, Dei percussione, ex æreo illius corde, elicitas, brevi cum percutientis recessu transituras: *Novi autem, quòd & tu, & servitui, nec dum timeatis Dominum Deum:* quod etiam ipse probavit eventus, cessantibus enim ad orationem Moysis tonitruis, & grandine, induratum se magis, quàm unquā, exhibuit Pharao, *videns autē Pharao, quòd cessasset pluvia, & grando, & tonitrua, auxit peccatum, & ingravatum est cor ejus, & servorum illius, & induratum nimis.* Erat enim cor Pharaonis æreum, quod ad percussionem resonans, ad statum salutis reductum, nesciebat, quod promiserat. Quare Deus ærea hæc corda duriori malleo pulsavit, inducens super Ægyptios tenebras horribiles, percussis etiam omnibus primogenitis eorum, & neque sic melioratos in mari rubro demersit, tradens eos in manu, de qua non potuerunt surgere. Quæ graviter expendens Oleaster, *solet* (inquit) *Dominus manum suam aggravare, & multiplicare punitiones hù, qui sæpiùs flagellati non resipiscunt, & qui prius prætendebat corrigere, jam nunc plagas ad cor dirigit, ut perdat.*

Exodi 9. v. 27.

Postea Æneus.

v. 34. Cessante percussione, cessavit pœnitere, & clamare.

Oleaster.

Inter alias Ægyptiorum plagas, maximè etiam locustas observat Glossa ordinaria, quæ uti Dei castigantis instrumentum, ita impij Pharaonis castigati symbolum fuerunt. *Per locustam, quæ Regem non habet, significatur temeritas illorum, qui licet diversis pœnis mulctati, semper in duritia sua manent, tanquam nullum habeant rectorem.* Addit Isidorus: *Locustæ pro mobilitate levitatis accipiuntur, tanquam vagæ & salientes animæ pro voluptate sæculi.* Leves istæ, vagæ, & lascivientes animæ, quantumvis à Deo percussæ & tribulationibus exercitatæ, tamen quàm primùm Deus supprimentem, & castigantem subducit manum, statim iterum leviter præ voluptate sæculi lascivientes saliunt, & vagabundæ *exultant in rebus pessimis.*

Locustæ leviter salientes erant etiam Israëlitæ indurati, quos toties, Deus, ex ore Prophetarum suorum admonitos, verberibus, flagellis, tribulationibus, persecutionibus, licet sine prætenso emendationis effectu, afflixit, contra eos porro per Jeremiam exacerbatus expostulat Dominus. *Super-*

Locusti saltientes.

Glossa ord. Exod. 10. v. 11.

Peccatores pœnis non emendati.

Locusta Israelitæ.

V.

quo:

Isaiæ 1. v. 5. Cornelius hic.

quo percutiam vos ultra, addentes prævaricationem? Super quo, hoc est, (ut exponit Cornelius à Lapide) *quo membro? qua corporis parte?* Insinuans, cœpisse se percutere à capite, à Rege, à Sacerdotibus, à nobilibus, à divitibus, usque ad plantam pedis, & infimos rusticos: *Omne caput languidum, & omne cor mœrens, à planta pedis, usque ad verticem non est in eo sanitas*, nullum supereſt impune membrum, sed interim nihil emendatum.

Percuſſi, nec ſanati

S. Hieron. hic.

Aliter exponit hunc passum S. Hieronymus, *super quo*, (id est, *qua plagâ*) *per cutiam vos?* Omne jam pœnarum, & afflictionum mearum armarium evacuavi, & in vos effudi, pestem, famem, bellum, quicquid afflictionum, & persecutionum divina mea in promptu habet vindicta, & quò plùs percussi vos flagellis, eò minùs sanati estis à vitiis, *vulnus, & livor, & plaga tumens non circumligata, nec curata medicamine, nec fota oleo.* Vulnera vestra, peccata publica, livores, internæ, & inordinatæ animi passiones, plagæ tumentes inveteratæ malitiæ, non sunt curatæ.

Vulnus, livor & plaga

Ad mentem Cardinalis à S. Caro, *vulnus, Concupiscentia carnis, livor, concupiscentia oculorum, plaga tumens, superbia vitæ*, non solùm non est à vobis circumligata, sed etiam perseveratis in malo, *addentes prævaricationem*, hoc est, *percussionibus meis non estis emendati, sed magis, ac magis pejorati, sicut Pharao Rex Ægypti.* Quemadmodum igitur induratus Pharao plagis non emendatus, sed pejoratus, demum in mari rubro demersus, *dati* datus est in manum, de qua non potuit surgere, sic & vos, flagellis non melioratos tradam in manum, de qua non poteritis surgere. Et erit *terra vestra deserta, civitates vestræ succensæ igni, regionem vestram coram vobis alieni devorant, & desolabitur sicut in vastitate hostili: Et derelinquetur filia Sion, ut umbraculum in vinea, & sicut tugurium in cucumerario.*

Hugo Card hic.

Sunt concupiscentia &c.

Israelita non emendatus

VI.

Quæ omnia tempore captivitatis Babylonicæ, & devastatæ Civitatis sanctæ, impleta sunt, quare ingemiscens Propheta noster exclamat in persona civitatis, & gentis suæ captivæ: *Vigilavit jugum iniquitatum mearum, ... Infirmata est virtus mea; dedit me Dominus in manus, de qua non potero surgere.* *Vigilavit jugum*: Observat hîc Seraphicus, *dicet ergo, vigilavit jugum, quod diu dormire videbatur:* Jugum, & virga diu dissimulans, & quasi dormitans, *vigilavit, id est, evigilavit.* *Unde Rabanus, vigilare jugum dicit, quasi dormitempus diu dilatæ vindictæ tandem in eam advertit.* Monstrabat se quasi

In captivitate dati.

S. Bonav. in Thre. hic.

Deus, quæ ens

quasi dormientem divina justitia, quasi verberando lassatam, ac Israëlitæ suâ tumultuosâ malitiâ, & lasciviâ, lassatam quiescentem, & dormitantem excitârunt Justitiam, *Evigilavit, & excitatus est, tanquam dormiens Dominus, tanquam potens crapulatus à vino*; *quia tunc homines ad iram faciles*, dicit glossa ordinaria, quando scilicet solita illis quies, & somnus interrumpitur, tunc adhuc somno ac crapula graves, sine discretionis respectu obvios quosque, sibi tumultuosâ excitatione molestos, percutiunt. Haud aliter Deus, quieta sua mansuetudine, & vino amoris crapulatus dormitans, ubi importunis peccatorum in cœlum clamantium tumultibus excitatur, percutere, & ferire sine misericordia incipit: *Et percussit inimicos suos in posteriora, opprobrium sempiternum dedit illis: Et repulit tabernaculum Ioseph.*

Psal. 77. v. 65 Glossa Ordin.

Excitatur tumultu peccatorũ

Vt grauius percutiat.

Accuratè observandum monet glossa, quòd nec tabernaculum Ruben, à patre suo jam aliàs ob delictum rejecti, nec Benjamini, cujus tribus contra alias petulanter insurrexerat, nec alias tribus aut tabernacula eorum commemorat, qui magnis patrem afflixerunt delictis, sed ipsum piissimum, in patrem devotissimum, in fratres mansuetissimum commemorat Josephum, quòd nec huic parcet, etiam istum repellet Dominus, excitatus crapulatus à somno, & tumultuosè ad vindicandum provocatus, & manum suam aggravare coactus tradet in manum, de qua non poterit surgere.

Nec tabernaculo Ioseph peper cit.

VII.

Electa tribus, electum tabernaculum Joseph, est Ecclesia Dei, & populus Catholico-Christianus, qui solus in Deum fidelitatem, & fidem intemeratam servavit, cùm tamen & iste suis non careat excessibus, propriis vulneratus culpis, ideò medicâ illi manû benignus applicat Deus, ne contra se conqueri possit, quod *Vulnus, & livor, & plaga, non est circumligata, nec curata medicamine, nec fota oleo.* Ex quibus verbis infert Hugo Cardinalis: Quod *triplici remedio, quasi triplici fumiculo solent emendari peccatores: Primus est eruditio per scripturas, quasi fascia, qua ligatur vulnus, quo ad hoc: Non est circumligata: Secundus est, correptio per flagella, quasi medicina mordens; quoad hoc; Non est curata medicamine: Tertius, est consolatio per beneficia, quasi oleum mitigans & suave; quoad hoc: Nec fota oleo.* Et quidem methodicè procedit medicus iste cœlestis, applicans imprimis lenitiva, quæ si nihil efficiant, nec beneficiis inunctus curetur peccator, sed plaga magis intume-

Hugo in Ierem. c. 30. v. 13.

Deus vi riis no modu ra

tumescat per superbiam, tunc incipit circumligare per acres divinæ scripturæ, ex ore Prædicatorum, & Prælatorum fulminantium, minas: Si neque hac ligaturâ emendetur, tum demum aperto vulneri corrosivam & mordentem adhibet medicinam, per flagella, morbos, grandines, famem, &c. Sed (uti bene notat Hogo) *hæc remedia malis, quasi furiosi non curant, & ideò non sanantur.* Quare furiosos istos, & insanos phreneticos Deus urendo, & secando sanaturus aggreditur.

Nos remedia non sanamus.

VIII. Charissimi, nonne vulnera nostra, & plagas diu oleo beneficiorum inunxit Deus, fovens nos sua longanimi patientia, & misericordia? Nonne paternè nos circumligavit per sacras scripturas, & admonitiones tam internas, quàm externas? Nonne etiam medicinas subinde mordentes, & corrosivas tribulationum applicuit? sed vano effectu. *Percussi vos vento urente, & in aurigine, multitudinem hortorum vestrorum, & vinearum vestrarum; Et non rediistis ad me, dicit dominus.*

Amos 4. v. 9.

Quare demum urere, & secare coactus, cruentum nobis immisit bellum Sueco-Gallicum, quo crudelissimè adustæ domus, villæ & urbes, sufficientem nobis subministrarunt cinerem, quem in capita nostra pœnitentes spargeremus; secavit, percussit, & vulneravit flagellis durissimis, & cædibus afflictam patriam, sed nulla inde non modo melioratio, sed etiam tanquam phrenetici, *percussisti eos, & non doluerunt*, aliqui quidem tanquam lapides, nec sonum quidem attritionis aut pœnitentiæ ediderunt, alij clamando ad Deum, tinnitum quidem dederunt ad ictus, & percussiones durissimas, sed instar æris, subducta percutientis manu tinnire, clamare & pœnitere desierunt, cum Pharaone, non adhuc verberibus emollita gerentes corda, sed ærea.

Non melioramur flagellis.

Sumus lapidei.

Mox enim pace patriæ reditâ, antiqua pullulare ambitio, & superbia, prævalere dolus & fallacia, luxus, & pompa crescere in vestitu, & conviviis, lasciviæ petulantia, solitâ se levitate jactare cœpit, jámque lascivientes populi, sicut vagæ & salientes locustæ, tanquam nullis mulctati pœnis petulanter pro voluptate saltare, & vitulari cœperunt, tanta levitatis temeritate, tanquam, iterum dormitantem, Dei vindictam contemnerent.

Vel saltem anci.

IX. At ecce excitatus est denuo dominus, crapulatus à vino, de novo percutere, ferire, flagellare, secare, & urere impœnitentem populum Christianum in-

incipiens, dum tota Europa uno ardente, belli incendio, non villas tantùm, & urbes, sed integras in cinerem redegit provincias, & ita potenter secare cœpit Dominus, ut plurimas jam à nobis urbes, & provincias resectas, & abscissas ab Imperij Romani corpore, & omnia membra, à planta pedis usq; ad verticem afflicta & divinâ vindictâ, percussa videamus. Interea tamè in pluribus adhuc locis populi tanquam lapides indurati, nullam edunt pœnitentiæ vocem, vel si edunt, mox tanquam æs sonans tinnire desinunt, & transit percussionum memoria, & tribulationum cum sonitu, non videmus urente hac medicina, & sectionibus esse curatum vulnus concupiscentiæ carnis, nec livorem concupiscentiæ oculorũ, nec tumorem superbiæ. In quo ergo, ait Dominus, percutiam vos ultra? Quod plagarum genus adhuc restat applicandum? An pestis, an fames? Sed neque hoc, induratus tumor, curandus speratur, manum aggravare cogetur Dominus; Nam *in omnibus his, non est aversus furor eius, sed adhuc manus extenta, ad amplius puniendum*, glossatur Lyranus; *Ad eos feriendos, & graviore plagâ mulctandos*, ait Cornelius, *ad percutiendum*, exponit Hugo. *Et, id est, quia populus non est reversus ad percutientem se per pœnitentiam, & Dominum exercituum non inquisierunt, etiam flagellati, ut sanaret eos, in quo eorum incorrigibilitas innuitur.*

Novis bellis nos percussit Deus

Nec tamè emendamur.

Isa. 9. v. 12.

Iterum manũ extendit.

Hugo hîc.

In quo ergo populum incorrigibilem, lapideum, æneum, insensibilem percutiam ultra? Tradendo eum *in manu, de qua nos non poterit surgere*, tradendo populum Christianum in manus Turcarum, & infidelium, sicut tradidi Palæstinam, sicut tradidi Ægyptum, Africam, Græciam, Asiam pene totã, & totũ Imperium Occidentale, aut in manus hæreticorum, uti feci in Anglia, Suecia, Dania, Hungaria, Dalmatia, in ducatibus Saxoniæ, Brandenburgi, Braunsvvigę, Pomeranię, Prussiæ, Hollandiæ, &c. Quæ omnes Regiones, uti olim in Catholica religione floridissimæ, ita jam potenti hæreticorum principum jugo & manu pressæ sunt, ut de ea surgere (nisi opitulante specialiter omnipotenti Dei manu) ampliùs non possint.

Minatur tradere

In manus infidelium

X.

Et hoc est, chariſſimi, hoc est, quod tremens, & expallescens timet S. Mater Ecclesia, quæ vigilare jugum iniquitatum nostrarum, & virgam vigilantem, ac minitantem cernit, dum enim filiorum suorum, tot divinæ vindictæ monitis,

Hoc timet tremens Ecclesia.

nitis, & correctionibus nondum emendatorum duritiem considerat, veretur, ne tanquam incorrigibiles ejiciantur, & abscindantur, tanquam membra emortua, & ad omnem correptionem medicinalem insensibilia, dum enim nihil urendo, & scindendo proficit Deus, abscindendo crudelis esse, ab ipso ægro desperato, cogitur.

Ergo conteramus corda.

Ne ergo ultimo & desperato hoc malo in nos advertat, excitatus à somno Dominus, & manum jam extentam, ad abscindendum induratos, applicet, pœnitentiâ corda nostra emolliamus, & ardenti contritionis actu conteramus, & percussi à divina manu, clamemus ad Dominum in fortitudine, non tanquam cymbala ex ære fusa, ad ictum tinnientia, sed tanquam verè emolliti, & contriti, *cor* enim *contritum, & humiliatum Deus non despicies.* Ille enim est, *qui sanat contritos corde, & alligat contritiones eorum. Qui cor non conterunt, non sanantur*, ait Augustinus. Cor autem contritum sanat Deus, quod cedens tribulationibus, ab iis conteritur in pœnitentia, & peccatorum dolore; Alligat ergo Deus contritiones eorum, *more medici* (exponit Hugo) *qui frangit, quod tortum est, ut fiat rectum*; *Sic facit Deus, quia primò frangit cor per contritionem, deinde alligat vulnera, oleum infundendo.* Et concludit: *Debemus ergo nos confringere & conterere cor nostrum pœnitendo, confitendo, puniendo, & Deus sic contritum alligabit & sanabit, quia Samaritanus est.* Castigans castigavit me Dominus, & morti non tradidit me. Igitur ô cœlestis Samaritane, respice livores, tumores, & plagas nostras, respice ossa nostra torta, & indurata, conte- re tortum, ut fiat rectum, vulnus putridum ure, & scinde, tantùm non abscinde, tuæ potenti, & benignæ nos desperatos ægros credimus manui, ne tradas nos in manu, de qua non possim' surgere. Curæ tuæ nos totos contritos committimus, & relinquimus, en ægrum percussum, & humiliatum à Deo, curam illius age, & alliga vulnera, alliga contritiones ejus, ut pristinæ redditus integritati, in Ecclesia tua debitas tibi gratiarum referat actiones, & non moriens sed vivens annuntiet opera Domini, opera scilicet misericordiæ tuæ, quæ est super omnia opera tua *confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia ejus.*

Deus frangit tortũ.

Vt faciat rectum.

Medico nos committamus

Amen.

Pſal. 50. v. 19.

Pſal. 146. v. 3.

S. Auguſt

Hugo Cardin.

Pſal. 117. v. 18.

Pſal. 117. v. 1.

DISCVRSVS XXVIII.

Num.

Vigilavit jugum iniquitatum mearum... dedit me Dominus in manu, de qua non potero surgere. *Thren. 1. v. 14.*

DE ANIMA.

Anima peccatorum iugo & onere pressa, si illud excutere differat, semper gravius experietur, ut demum infirmata de eo non possit surgere.

1.

MAgnum, & gravissimum, est peccatorum jugum, & onus iniquitatum, de quo Psalmista testatur: *Iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, & sicut onus grave, gravatæ sunt super me.* Sub hoc ergo onere & jugo pressa, gemit peccatrix anima; *Vigilavit jugum iniquitatum mearum, convolutæ sunt, & impositæ collo meo*, nam teste Hugone, *hoc totum dicitur in persona peccatoris*, qui impositam, & colligatam collo suo portat iniquitatem, ab ea in abyssum trahendus, *sicut mola vel lapis*, ait idem, *collo latronis imponitur, ut demergatur ad ima*; Nimio enim peccatorum, identidem collectorum, & colligatorum pondere pressus peccator, & in profundum demersus, ita in virtute sua infirmatur, ut potenti iniquitatum, & dæmonis manu oppressus, surgere amplius non possit, nisi omnipotenti Dei manu, & gratiæ specialis auxilio (de quo desperare non debet) eruatur.

Psal. 37. v. 4.

Jugum peccatis gravissimum.

Sub qua non potest anima surgere.

Assig-

11. Assignant in virtute motrice duplicem rebus gravitatem philosiphi, primariam scilicet, & secundariam; primaria illa est, quæ corpori naturali, v. g. lapidi coêva, & à natura indita est, secundaria verò, est, quæ ipsi secundariò, & per motum advenit, ita ut lapis ab alto monte præcipitatus, accedente semper novâ, & secundariâ, per vehementiam motûs, gravitate, majori semper impetu in abyssum, & centrum præcipitetur. Habet homo, originali peccato, & fomite pressus, naturalem, ad malum, gravitatem, nitimur enim in vetitum, sed innatæ huic, & primariæ gravitati, accedit secundaria, dum peccator de peccato in peccatum præcipitatus, majori semper cũ impetu in abyssũ tendit, ut, quò diutiùs, instar lapidis cadendo devolvitur, & præcipitatur, eò difficiliùs inhiberi, & à casu sisti possit donec in profundum, & abyssum absorptus, erigendi spem omnem præscindat, impius quippe, *cùm in profundum, vel in centrum* (ut alij legunt) *venerit, contemnit, peccare*, addit Interlinearis, id est, *Non curat peccare*, exponit Carensis, vel, potiùs contemnit eos, qui sibi in abyssum jam præcipitato, resurgendum suadent, cùm tanta iniquitatis profunditate, & pondere sit oppressus, ut de eo non possit surgere; Impositæ enim sunt iniquitates collo ejus, *sicut mola, vel lapis collo latronis, ut demergatur ad ima*, uti dictum ex Hugone, & tunc *Iniquitas sedet super talentum plumbi*; ut idem Hugo insinuat.

Gravitas primaria

Et secundaria.

Prov. 18. v. 3.

Peccatoris collo alligata mola.

Zach. 5. v. 7.

Ubi alludit ad illud Zachariæ cap. 5. qui videbat portari talentum plumbi, *& ecce mulier una sedens in medio amphoræ. Et dixit: hæc est impietas: & proiecit eam in medio amphoræ, & misit massam plumbeam in os eius.* Iniquus, & impius, si nondum in amphoram, & profunditatem demersus sit, facilè adhuc poterit emendari, & erigi, sed si projectus jam sit, & plumbi massâ gravatus, quis levare eum poterit? *Massa plumbea impietatis, est consuetudo peccandi*, ait Cornelius, quæ est quasi gravitas adveniens secundaria, *hæc enim peccatorem ita degravat, ut in abyssũ malitiæ demergat, ex qua se erigere, & exurgere nequit, nisi miraculo, & miraculosâ Dei potentiæ manu, & gratiâ elevetur, & extrahatur.* Dedit me in manu, de qua non potero surgere, quare maturandum, & surgendum, antequam hoc pondus plumbi superveniat, & peccandi consuetudine, & vitiorum multitudine augeatur.

Massa plumbea est consuetudo.

Cornelius h. c.

Requirit miraculosam Deũ manum.

III.

Hoc S. Arsenio in quadam visione insinuare volebat Deus, dum

dum ipsi ob oculos posuit quendam, onere satis gravi onustum, virum, qui fossam aliquam transilire cupiens, attonitus hærebat, & trajicere tardabat, interim aquæ fossæ se magis ac magis dilatabant, ac humeris onus oneri superimponebatur, ut minùs ad saliendum misellus expeditus, & fossa superatu esset difficilior. Sic planè peccatrix anima dum fossam primò modicam, levi onerata peccatorum fasciculo, transilire tardat, ingravescente indies onere, virtus infirmatur, & peccatorum crescente profunditate, & latitudine transitus redditur periculosior.

Visio S. Arsenii.

Onus semper crescit

Videbatur sibi Propheta Ezechiel duci à quodam viro, (habente funiculum in manu, sua & metiente mille cubitos) in aquam usque ad talos, rursúmque mensus alios mille traduxit eum usque ad genua, deinde post alios mille usque ad renes, demum ulteriùs torrentem ingressus, ita intumentes, & profundas invenerat aquas torrêtis, ut transvadari amplùs non possent. Hoc idem accidit animæ peccatrici, quæ primùm à maligno spiritu in aquas suarum concupiscentiarum inducitur usque ad talos, quas pervadere, & redire facilè posset, sed, dum profundiùs usq; ad genua, & successivè usque ad renes inducitur, jam horret eas superare anima, sed dum necdum maturat reditum, sed increscentibus aquis se indies profundiùs immergit, talem demum invenit profunditatem, ut nec transuadandi, nec transnatandi habeat facultatem, & insuper malo habitu, aquas concupiscentiæ imbibente, aggravata erigere se amplius & emergere non possit, nisi miraculo, & miraculosâ Dei potentis manu. Aquæ enim supergrediuntur caput ejus; *Abyssi operuerunt eos, descenderunt in profundum, quasi lapis*, dati sunt in manu, de qua non poterunt surgere. Maturandum igitur, & cautè invigilandum, quia *periculum in morâ.*

Ezech. 47 v. 3.

Fluvius fit semper profundior.

Exodi. 15. v. 5. *Periculũ in morâ.*

Utuntur hoc axiomate non tam medici, quam milites, magnum enim sæpe periculum militiæ mora fecit, unde exercitati belli duces celeritati maximè studebant; De Alexandro legitur, quòd omnem in celeritate victoriam posuerit, nec minùs omni occasioni invigilans Julius Cæsar, omnem rumpebat moram, ne hosti profectus, sibi autem periculum accresceret. Suadet enim militaris prudentia, hostem aggredi, antequam novo augeatur succursu, priùsquàm aggeribus se muniendi tempus & occa-

IV.

In militia

Hostis oppugnandus antequam crescant vires

occasio suppetat. *Peccatum, quod per pœnitentiam non diluitur, mox suo pondere ad aliud trahit,* uti testatur meus Seraphicus, & sic peccatum novo statim augetur succursu, munit se aggeribus malarum consuetudinū, & profundis fossis inaccessibile se reddit; Ut ergo peccatum, cui moram se augendi, & muniēdi morā dedimus, rursus expellatur, hoc opus hic labor est. Hîc animosâ generositate & violento insultu, hîc fervidis orationum & ignitis bombis ad ejiciendum hostem, opus est; hoc periculum mora fecit; nam in principio levi manu, facili negotio hostis ejici poterat, qui magna nobis (se muniendo, & multiplicando) jam negotia facit. Periculum in mora.

S. Bonav. Centil. p. 2. sect. 2

Ericius difficulter pariens, de die in diem partum differt, semper tamen crescentibus aculeis, & indurescentibus difficiliorem, sic quò diutiùs salubrem partum peccatis gravidus differt peccator, difficiliorem semper experietur conversionem: Periculum mora facit, crescit enim cum mora, peccati stimulus, & induratur.

Vipera, vel serpens adhuc tener, & vix lucem aspiciens, levi & tenerâ cujusvis pueruli manu conteritur, & jugulatur; *Delectabitur infans ab ubere super foramine aspidis, & in caverna reguli manum suam mittet.* Sed si mora concedatur serpenti, de die in diem crescens vires assumet, etiam viro formidabilis, mox nova edet genimina viperarum, quæ inter saxorum foramina, & dumeta delitescentia, tam facilè extingui non poterunt, cuivis etiam viatori extimescenda; Extinguendæ scilicet viperæ antequam in suas excrescant vires, & se multiplicent, periculum enim in mora. Genimina viperarum sunt peccata, facilè in principio jugulanda, ludendo vinci, & à pueruli manu elidi possunt; sed si crescendi, & se multiplicandi illis mora concedatur, si omnes potentiarum animæ, & sensuum externorum recessus penetrare & penetrando occupare permittantur, jam armatâ & forti manu, jam multo labore, & industriâ opus est; Dilata pœnitentia, dilata medicina auget periculum.

Isa. 11. v. 8.

Serpens tener iugulandus.

V.

Mirum erga serpentes antipathiam habet Cervus, qui nemorum saltus percurrens, cavernas serpentum perquirit, queis fumantia applicans ora, ardenti halitu attractos deglutit serpentes, hoc ergo serpentis veneno magis incalescens, sitibundus refrigerantem anhelat fontem, quem ubi intra trium horarum spatium nequit attin-

Hieron. Hugo & alii.

Cervus hausto serpente

attingere, veneni ardore suffocatus interibit, quodsi verò intra præfixum maturè terminum aquarum fontem contigerit, extincto veneni ardore, vitam sibi ad multos prolongabit annos. Venenosum serpentem, dixi peccatum, hoc ergo ubi deglutivit anima, quò se vertere, aut properare debet, nisi ad pœnitentiæ fontem? *Sicut ergo* (asserit Carensis) *cervus desiderat, hausto veneno, venire ad fontes aquarum, ita anima fidelis hominis, hausto peccato, id est, revocato ad memoriam, desiderat venire ad Deum, & venit ad fontem pœnitentiæ, in quo refrigerium invenit contra peccatũ. Quemadmodum igitur desiderat cervus ad fontes aquarum, ita anima mea* (hausto peccati veneno,) *desiderat ad te Deus meus*, ut concupiscentiæ veneno accensa se in fonte aquæ vivæ refrigeret. *Haurietis aquas de fontibus Salvatoris*, per quas S. Ambrosius sanctissima Ecclesiæ Sacramenta, ex sacratissimis Crucifixi vulneribus scaturientia, & salientia intelligit, quæ refrigerium, & medicinam præstant animæ peccatrici.

Quærit fontem.

Hugo in psal. 41

Fons est pœnitentia.

Isa. c. 12. v. 3.

Sed quemadmodum Cervus, nisi hausta aquâ vivâ, infectus interit, ideò velociter ad fontes aquarum properans, ita etiam peccator, nisi, (hausto peccati veneno) citiùs ad pœnitentiæ fontem accurrat; suffocatur, aut saltem ita inficitur, ut vix medicinæ locus relinquatur. *Venenata* enim *inducias non patiuntur*, ex recepto medicorum Aphorismo, adeóque periculum in mora.

Venenata inducias non patiuntur.

VI.

Eadem verè ratio est in gravi, & periculoso & lethali vulnere, dum vulnus recens est, optimam curandi spem chyrurgus concipit, similiter ossium rupturæ, adhuc recenti facilè invenitur remedium. Arenulæ in renibus, aut viscosæ materiæ in vesica residentes; ab initio facilè evacuantur, sed si trahatur mora, arena arenæ accrescens, per juxta positionem, viscosus humor alteri coagulatus efficiunt calculum, non nisi summo cum dolore, aut scissione eruendum; Ruptura ossium ab initio non bene medicata, generat cartilaginem, quæ indurescens inflexibile facit os, quod cum maximo periculo & dolore, tortum frangi violenter rursus debet, ut fiat rectum, denique vulnus primò neglectum generare putredinem, & periculosè inflamari incipiet, cui medicus urendo & secando subvenire cogitur non sine periculo, quod prius lenimento facilè poterat curari. Graves plagæ, periculosa animæ vulnera, sunt peccata, quæ curari in principio facilè

Vulnus recens.

Calculi arena facilè curantur.

facilè possunt, si citiùs oleo aut medicamine fota, circumligentur: Sed sæpiùs accidit, quod Isaias conqueritur, *Vulnus, & livor, & plaga tumens, non est circumligata, nec curata medicamine: nec fota oleo*, unde increscens livor, & tumor, & putredinis generatio indies difficiliorem reddit curam, quódque vulnus peccati medicamine, & lenimine curari poterat, levi scilicet correctione, aut pœnitentiâ, jam, magnam mortificationis violentiam, urentem & secantem, imò miraculosam Omnipotentis Dei medicam requirit manum. Torti animi motus & passiones jam induratæ, & consuetudines cartilagine obductæ, tam facilè non ampliùs flectuntur, sed in inveteratis istis crurifragiis, violenter *more medici, Deus frangit tortum, ut fiat rectum*, uti præcedenti discursu memoratum. Sic etiam ubi peccata arenæ subtilis, vel viscosi humoris more, morosâ negligentiâ in calculum, coagulata, excreverunt, indies novâ accretione, augenda, quàm pœnosum remedium, quàm expertum requirunt medicum, qui ea expellat? tantum periculum, tam periculosam curam mora fecit; Unde

Isaiæ 1. v. 6

Secus si in veteratscunt.

Sic etiam animi vulnera.

Hugo ps. 146.

Principiis obsta, serò medicina paratur,

Cùm mala per longas invaluêre moras.

Verùm quidem est, quod nullus æger, quantumvis ab hominibus desperatus, de medica & miraculosa Dei manu, desperare debeat, quia (ut bene dicit Augustinus) *medicus noster omnipotens est*, sed tamen *non fecit taliter omni nationi*, ut statim omnipotentiæ dexteram, & miraculosam extendat manum, ad eruendam de faucibus æternæ mortis inveteratam in peccatis animam. VII.

Medicus omnipotens est. S. August. psal. 147. v. 9.

Quomodo si eruat pastor de ore leonis duo crura, aut extremum auriculæ, sic eruentur filij Israël, &c. Quæ verba ad literam sic intelligit Hugo, *sicut parvæ reliquiæ vix auferuntur interdum à Leone de ove, sic perpauci de filijs Israël, dilacerati, & miseri eruentur*, nempe de faucibus Assyriorum. Mysticè ab illo per leonē intelligitur, diabolus, qui oves Ecclesiæ dilaniat, sed pastor Ecclesiæ quasi duo crura, & extremum auriculæ eruit, prædicando. Illi autem, qui ita è faucibus rugientis hujus infernalis leonis eruuntur, tam pauci sunt, ut non plus reputari valeant respectu eorum, qui deglutiuntur, quàm crura & auriculæ respectu totius corporis, adeò ut infernali leoni ex istis inveteratis peccatoribus totum pene corpus, & damnata massa, Pastoribus

Amos. 3. v. 12.

Hugo Card. hic.

Eruere potest è faucibus diaboli.

Si vel extremum auriculæ superstit.

storibus autem, & prædicatoribus, vix cedant duo crura, & extremum auriculæ. *Non enim fecit taliter omni nationi*, scilicet, ut *eruat à morte animas eorum*, ita jam diaboli faucibus absorptas, ut vix extremum auriculæ (qua salubres adhuc audire adhortationes valeant) aut duo crura (quibus parum adhuc boni operabantur) compareant, quibus Deus eas potenti, & miraculosâ manu eruit è faucibus, & manu diaboli, de qua ordinariâ viâ & modo, surgere, & erui non poterant.

Psal. 32. v. 19.

VIII.

Equus habens frænum & sessorẽ.

Equus sibi frænum injici passus, & sessore admisso, jam in manu est, de qua nec poterit surgere, nec se movere, nisi ad sessoris nutum; Effrænis autem equus naturali gaudens libertate pascua libero decurrit pede. Recensent, tanquam rem memoratu maximè dignam sacræ paginæ: *Factum est, autem postbac, percussit David Philistym, & humiliavit eos, & tulit David frænum tributi de manu Philistym.* Elegans, & emphaticus loquendi modus est: *Frænum tributi*, quippe (ut notat Lyranus) *frænum est id, quo tenetur equus sub sessore, & eodem modo, tributum est id, quo tenetur populus subjectus sub dominatore.* Hoc ergo frænum de manibus Philistinorum ereptum, ipsorum cervicibus injecit David.

2 Reg. 8. v. 1.

Non sui iuris est.

Lyranus hic.

Homo tanquam generosus equus, naturali gaudens liberi arbitrij libertate, sacra cœlestis consolationis pascua, inoffenso percurrit pede. Sed ubi à diabolo injici sibi frænũ, eúmque sessorem admittit, jam taliter subjugatus, gemit sub manu, de qua non surgere, neque sessorem aut frænum excutere poterit, nisi miraculosa figurati Davidis manu, *Christus* enim (teste glossa ordinaria) *de aëris potestatibus triumphans, frænum erroris, quod humano generi imposuerant, confregit.* Sed quoniam peccatores novo se malæ consuetudinis fræno infrenari, & iniquitatum, ac vanitatum funibus, quasi equos ad plaustrum peccati alligari patiuntur, potenti rursus cœlestis Davidis indigent subsidio.

Sic homo à demone infrenatum.

Außhalf-tern.

Glossa. Ordin.

Vel ligatus.

Acclamat hisce Isaias, *væ qui trahitis iniquitatem, in funiculis vanitatis, & quasi vinculũ plaustri peccatum.* Optimè in hunc locum advertit Glossa, *meritò iniquitas in funiculis vanitatis trahitur, quia peccata peccatis connectuntur; Et inania sunt, & fila aranearum, sed si exire voluerimus, tanquam solidissimis vinculis tenemur;* Quod inde provenit, quòd exigua primùm, & debilia fila, multiplicari, & sibi invicem per consuetudinem intorqueri patimur, licet enim filo, aut capillo nihil sit inanius & debilius, iis tamen multiplica-

Isaias 5. v. 18.

Glossa Ordin.

Fila crescunt in infinem.

Sic & capilli.

tis

tis restem sibi, & quasi vinculum plaustri nectit peccator.

IX. Speciosus valde, & pulcher aspectu Absalom, maximè in sua superbiebat cæsarie; Semel autem in anno tondebatur, quia gravabat eum Cæsaries, *ponderabat* enim *capillos capitis sui ducentis siclis, pondere publico.* Siclus autem semiunciam constituit.

2. Reg. 14 v. 26.

Cornel. Exod 30. v. 13.

Quid levius capillo? Et tamen capilli multiplicati, & crescentes etiam libram demum excedunt, & quid debilius capillo? & tamen capilli multipliciter contorti funem efficiunt.

Absalonis Capilli graves.

Contra Regem patrem rebellavit senectutis paternæ impatiens, & regnandi immoderata libidine accensus Absalon, sed victus ipse à paterno exercitu, & in fugam actus, infelici eo tempore, dū capillos nondū totonderat, mulo ergo suo insidens, dum præcipiti cursu subter condensam quercum ferebatur, *adhæsit caput ejus quercui*, & illo suspenso inter cœlum, & terram, mulus, cui insederat, pertransivit. Sic ergo capillorum suorum funibus captivatum aggressus Joab, palpitantem tribus transfixit lanceis.

2 Reg. 18. v. 9.

His suspensus interficitur.

Peccatoris figuram gerebat Absalon, de quo sanctus meus Antonius Paduanus: *Absalon semel in anno tondebatur: Capillorum tonsio, est peccatorum in confessione depositio, quam multi semel in anno faciunt, cùm singulis diebus esset necessaria.* Non tanti æstimant peccatores hos capillos. non magni ponderant, quare eos portare non gravantur, sed nō considerant, eos indies crescentes, demum centenos siclos, & libram publici & gravis ponderis habituros, dum *semel tantùm in anno* tondentur, & tunc quidem superficialiter. Barbam radere indubitatè, singulis septimanis, consuevêre moderni, sed gravem hanc cæsariem per menses & annos circumferre non erubescunt, *semel in anno* plusquam sufficit. Et tunc quidem magni aliquid se præstare æstimant, totámque ad tonsionis suę annuę luctum, urbem, ac viciniam convocant.

S. Anton. Pad. Dom. 4. Pent.

Capillorū tonsio. Confessio.

Semel in anno.

Excitabuladies Veneris sancti.

Haud secus, quàm cùm in majoris septimanæ lugubribus illis feriis, silente campanarum sono excitabulum solum ligneum adhibetur, cui quidam hanc superposuit ingeniosè inscriptionem: *Semel in anno.* Eorum strepitosam indigitare volens confessionem, qui *semel tantùm in anno* peccatorum pondus deponere, & capillos tondere solent.

Attendant autem miserrimi hi homines sortem suam periculosissimam, adveniet enim

enim, vel improvisò, tempus, quo à facie Dei fugitivi, & aversi, persequente divinâ vindictâ, & morte, adhærebunt quercui, quæ non nisi porcorum cibum producit, nempe concupiscentiis suis, quibus dum capillis suis, (id est, peccatis) densis & fortiter contortis innexi sunt, quasi vinculo plaustri alligati, seipsos (palpitantes præ mortis angustia) expedire nesciũt, & sic pertranseunte subtùs mulo, scilicet corpore, pendet inter cœlum & terram infelix anima, infernali hosti futura præda.

Abscinde sæpius capillos.

Ecce quid capillo levius, quid fragilius? & tamem æternæ damnationis periculo multiplicatis & crescentibus capillis innodatur anima. Abscindamus ergo capillos, non semel tantùm in anno, ne tanquam fauni pilosi, aut canes aquatici coram Deo compareamus, & iis innexi pereamus. Non trahamus in longum funiculos, tanquam vincula plaustri condensatos. Excutiamus frænum & sessorem, & veram quæramus in cœlestibus pascuis libertatem; Eruamus animam nostrã è faucibus leonis, antequam nos usque ad extremum auriculæ deglutiat; Ejiciamus arenam, antequam crescat in calculũ, flectam' ossa torta, antequam indurescant, obligẽus vulnera, antequã putrescant, expellamus venenũ, antequam cor inficiat, jugulemus serpentes antequam genimina procreent; Aggrediamur hostem, antequam accepto subsidio se aggeribus muniat; Pervadamus torrentem antequam in abyssum crescat, rejiciamus impositum humeris nostris onus antequam succumbamus; Resiliamus ex amphora, antequam nos plumbi massa supprimat, excutiamus jugum, iniquitatum collo nostro instar molæ aut lapidis, alligatum, antequam tradamur in manum, de qua non possimus surgere: Periculum enim in mora. Fratres jam hora est, jam tempus acceptabile. Et siquidem etiam manu, de qua non possimus surgere, oppressi videamur, nec sic tamen desperemus, sed intimo cordis affectu omnipotentem nostrum invocemus adjutorem & medicum, qui miraculosâ nos manu, & gratiâ suâ, quasi extremum auriculæ eripiat, ereptos protegat, & abulteriori periculo immunes, ad securum æternitatis portum perducat, Amen.

Recapitulatio conseptum.

DISCUR-

DISCVRSVS XXIX.

Samech.

Abstulit omnes magnificos meos Dominus de medio mei. *Thren. 1. v. 15.*

DE ECCLESIA.

Plangit Ecclesia, se tumultuosa, & inquieta ambitione per magnificos suos laborare, & periclitari tempestatibus per eam exortis.

1. CONqueritur ad literam Urbs devastata, ablatos ab Assyrijs omnes magnificos, id est, potentes, & magnates, scilicet, Reges, Principes, Prophetas, Sacerdotes, Doctores, qui magnifici vocantur, à sua, quam habent in populo, magnificentia. Possumus autem etiam magnificos vocare eos, qui seipsos magnos, & magni faciunt, totísque viribus incumbunt studio se magnificandi, & ad officia, & dignitates semetipsos extollendi, ut magni fiant, non coram Deo (uti de sancto Prophetatum est Præcursore, & erit magnus coram Domino) sed ut magnos se faciant, & magnificent coram hominibus, & coram mundo, in altis dignitatum fastigiis, instigati scilicet ab acutis ambitionis stimulis, quæ statu & conditione sua nunquam contenta, tumultuosa & inquieto semper labore ascendere conatur, cum magna reipublicæ Christianæ perturbatione, ac detrimento; quod altis proinde afflicta Ecclesia deplorat suspiriis, dum veros magnificos, à Deo, & coram Deo magnificatos, sibi ablatos conqueritur, succendente indies magno eorum

Magnifici sun: mag. nates.

Et qui se magnos faciunt coram hominibus.

mur numero, qui se magnos, tantùm coram mundo, in dignitatibus, & principatibus facere conantur. Quàm damnosum autem, & turbulentum & ab Ecclesia meritò deplorandum, hoc ambitionis turpissimæ vitium sit, paucis ostendo.

II. Corpora sublunaria, alia mixta sunt, alia simplicia, mixta sunt illa, quæ ex alijs simplicibus componuntur, simplicia verò sunt ipsa 4. Elementa, Elementū autem, teste Aristotele, est, *ex quo primo insito, & indivisibili, in aliam speciem aliquid componitur.* Ex Elementis metalla, lapides, ligna, & alia corpora sublunaria componuntur. Timon Philosophus dicere solebat, avaritiam & ambitionem esse *Elementa malorum*, ex quibus scilicet omnia alia mala & vitia generentur, unde etiam Ecclesiasticus docuit, quod *initium omnis peccati, est superbia.* Vehementissimè in hoc vitiorum initium, & Elementum invehitur Doctor Mellifluus, *Radix iniquitatis, ambitio, subtile malum, secretum virus, pestis occulta, doli Artifex, mater Hypocrisis, livoris parens, vitiorum origo, criminum fomes, virtutum ærugo, tinea sanctitatis, Excæcatrix cordium, ex remediis morbos creans, generans ex medicina languorem.* Maximè verò illud ambitionis encomium notandum mihi videtur, quòd sit *doli Artifex*, & officina fraudulentorum consiliorum, quæ subtili astutia cuniculos agens, integras Civitates, respublicas & regna subvertit, gravi quasi terræ motu concussa. Absalon Ambitiosus, ante diem curios inquirit in honores, viventi adhuc Patri sceptrum & coronam eripere conatus, in quem finem ambitio doli Artifex ipsum instigavit, ut faceret *sibi currus, & equites, & quinquaginta viros, qui præcederent.* Ut autem apud populum non tantùm sibi auctoritatem, sed etiam amorem, & affectum conciliaret, summo manè interrupto somno, ad portam regiæ invigilabat jis, qui ad regium tribunal, causam aliquam acturi, properabant. Hos suaviter ad se vocatos, extentâ salutabat manu, exosculans, & amplectens, quærebat ex qua civitate essent, quodnam pertractandum haberent negotium, approbabat causæ æquitatem, compatiens tamen, quia non esset constitutus à Rege, qui eos audiret. *Quis me constituat Iudicem super terram, ut ad me veniant omnes, qui habent negotium, & justè judicem?* ac fraudulenta affabilitate, & scitâ humilitatis & justitiæ larvâ quantùm sollicitabat, & captivabat pro se corda filiorum Israël, tantùm ea à patre avertebat. *O Doli Artifex, ambitio!*

Et quid fraudulento stratagemate effecit Absalon, nisi quòd

Ambitio est elementum vitiorum.

Eccli 10. v. 14.

S. Bern. super ps. Qui habitat &c.

Ambitionis Epitheta.

Doli Artifex.

2. Reg 15. v. 2.

Ambitiosus Absalon

Dolosè captivat populum.

quòd totum populum & regnum, patrem in filium, & filium in patrem, fratrem in fratrem, & consanguineos ac concives contra se invicem armârit, ut toto commoto populo extremum regno immineret, cum Rege, exterminium, nisi ipse malorum auctor maturiùs, vindice Dei manu castigatus, quercui capillis illigatus, dedisset pœnas, rebelli filio dignas, adeò dum patri, & regno paravit ruinam, ipse dolosus artifex paratum sibi invenit interitum.

Regnum totum ambitione evertit.

III. O Ambitio, *Doli artifex!* quæ non stratagemata, & fraudes excogitas ad captivandos hominum animos? Ambitiosus quàm se officiosum, & affabilem præbet omnibus? Quantâ se humilitate concivium inclinatur votis? Quàm sedulò sollicitando plebis invigilat favori? Quomodo undique circuit sedulus explorator? blanditur, obsequitur, simulat, & dissimulat, miseráque sibi suffragia emendicare non erubescit, manibus, & pedibus repens? Quàm egregiæ virtutis, & æquitatis exhibet specimina? Quantis laboribus sui æstimationem procurat? & competentis ac æmuli sui denigrare famam contendit? ut per alterius ruinam, viam sibi, ac aditum ad dignitates sternat? O *ambitio!* *Livoris parens, vitiorum origo*, ex qua tot simultates, odia, obtrectationes, scissuræ, & inimicitiæ pullulant, cum summo subvertendæ totius reipublicæ periculo.

Ambitiosi omnibus subjiciuntur.

Optimè Seneca: *Ambitio tumida res, vana, ventosa, nullum habens terminum!* Si ventus incumbit mari, spumosæ & formidandæ insurgunt procellæ, quæ navim jactantes in extremum adducunt periculum. Ventosa res, & tumida est ambitio, quæ tam formidabilem non semel excitavit per schismata tempestatem, ut jis jactata Petri navicula mergi videretur, aut planè repleta fluctibus periclitari. Sed neque respublicæ ab istis tempestatibus sunt immunes, dum à ventosa ambitione commoti animi tumultuantur, nec respublicæ & regna, naufragium passæ, aliam interitûs suî causam, quàm ambitionem habuerunt, hæc enim est, quæ omnes tempestatum excitat procellas, & pacatam profligat quietem; bene de hoc Philo: *cogitet, qui honorem affectat, tempestatem se affectare.* Nec tamen formidandas has ambitiosi tempestates horrent, sed tanquam Syrenes in illis ludunt, innatare tumultuantibus fluctibus avidi, & ad omnem captivandæ dignitatis occasionem intenti.

Seneca Epist. 64.

Ambitio ventosa & turbida.

Tempestates excitat.

Philo libi. de Iosepho.

IV. Piscinam probaticam Ioannes Evangelista Ierosolymis fuisse commemorat, quinque ha-

Ioan. 5. v. 4.

Piscina probatica descriptio.

bentem porticus, *in his jacebat multitudo magna languentium, cæcorum, claudorum, aridorum, exspectantium aquæ motum.* Descendente enim præfixis temporibus in piscinam Angelo Domini, aquam commovente, primus in eam descendens post motionem aquæ, sanus fiebat, à quacunq; detinebatur infirmitate. Dum mecum piscinæ hujus conditionem perpendo, qualiter in ea, non nisi unico optatam sanitatem consequente, reliqui omnes spe sua frustabantur, dum jacentium, & competentium inquietudinem, & se invicem prementium, & reprimentium tumultum, accurrentiũ in præoccupando commodiori loco solicitudinem, odium & aversionem sibi obstaculum ponentes, indignationem, contumelias, & querelas languentium considero, dum aliqui de æmulorum importunitate, alij de hominum, sibi denegato conquerebantur auxilio, cum illo, qui triginta & octo annos habens in infirmitate, nunquam auxiliatricem invenire manum potuit, qui se piscinæ immitteret: *Hominem non habeo*, si, inquam, omnes hasce piscinæ circumstantias, & conditiones animo revolvo, ob oculos meos aula quædam regia, aut ducalis, vel respublica aut civitas poni videtur, tanquam Xenodochia languidis semper, & ex ambitione decumbentibus infirmis, referta, qui ex longa & vana honorum, officiorum, & dignitatum exspectatione, languidi, debiles, & viribus exhausti jacent, semper ad aquæ motum, & officiorum mutationes, & vacaturas attenti. Sed uno tantùm ex motu aquæ sanato, & promoto, odia, simultates, & lamenta inaudiuntur innumera, dum uno alios præveniente, cæteri omnes indignabundi, importuniùs calcant, urgent, & quasi arietando per aliorum ruinas dignitatibus inhiant.

Est figura ambitiosorum.

Videas subinde pauperes languentes, qui jam decem, viginti, triginta & ultrà annis ad hanc piscinam prostrati, & vana tantùm spe & exspectatione sustentati, conqueruntur. *Hominem non habeo*, qui ad aquæ motum me promoveat, patrocinando ad altiorem honoris gradum efferat, tamdiu vanis, & inanibus pastum verbis, & promissis. Heu! *Hominem non habeo.*

Ambitiosi exspectant multis annis.

Licet autem misellus talis tot vacuos menses, & annos laboriosè ad hanc piscinam exspectando egerit, nondum tamen (animante semper ambitione) defatigatus, ad piscinam senescere, & mori gravatur, dum spirat, sperat, juvenescente in senibus magis semper & magis ambi-

Senescunt ad piscinam.

ambitionis ardore, eò ferventiùs præcurrere juvenibus festinantes, quò plures eos, priores intrare, indignabundi cernunt.

V. In memorata piscina omnes languidi maximè ad aquæ motum attendebant, dum enim hæc quieta apparebat, nulla affulgebat spes sanitatis. Hinc facilè colligitur, quantâ solicitudine intenderint commovendæ aquæ, nunquam securi, & sine timore capiebant somnum aut cibum, veriti, ne sibi inadvertentibus commoveretur aqua. Cùm vel levis aspirans aura, aquæ incumberet, jam magna inter languentes commotio, & tumultus, quemque ad præveniendos æmulos excitabat, cùm tamen non esset Angelus, aut Spiritus Angelicus cælesti virtute aquam commovens, sed inanis tantùm Spiritus, & aura, trepidantia inter spem & metum corda deludens.

Ad piscinam vigilanter attendebatur aquæ motum.

Sic in aulis ambitiosi

In aulis, & regnis attentissimâ aviditate jacent ambitione languidi, & infirmi, ad motum aquæ regiminis, ac procerum, vel officialium, ac beneficiatorum commotionem, a motionem, aut mortem intenti, omnem non observantes vel levem mutabilitatis auram, quâ aliquem aquæ motum, & vacantis officij locum sibi patefaciendum confidunt, vix inter spei, & metûs, dubios conflictus somno aut cibo indulgere sustinent: cùmque levis alterationis aura quemque concusserit, aut adversæ valetudinis rumor percrebuerit, jam bona comovendæ aquæ omina concipientes, ad cursum se paratos exhibent, tumultuante jam competentium turmâ.

Exspectant mutationes officiorum.

In ludo suo, in mortem Claudij Cæsaris, ingeniosè conscripto memorat Seneca, Astrologos in singulos annos, imò menses, fatalem Cæsari constellationem, & mortem prognosticâsse, unde sæpe per Italiam rumor percrebuerit, vacare thronum Romæ Cæsareum. Ridebat Cæsar has Astrologorum fabulas, longævâ suâ vitâ omnes Astrologorum divinationes confundens. Et fortè non sine ipsius Cæsaris instinctu, ex industria Cæsaris mortem prognosticabant, & aspirante commovendæ aquæ inani spe excitati animi, & ambitione languentes, inter se de vacantibus officijs concertaturi, jucundum sibi facerent spectaculum, & vitam sibi eò amœniorem, quò plures ipsius expectabant interitum.

Astrologi Claudio in singulos annos mortem prognosticabantur.

Ad ludendos ambitiosos.

Summa quippe ambitiosorum, adhuc languentium vota sunt, mors, interitus & mutatio Magnatum, Consularium, officialium, ut novo succedente regimine, commotâ (non per Angelum, sed ambitionis spiri-

spiritum) aquâ, intrandi sibi fiat facultas, & expiscandi natantes, inter commotionis fluctus, tiaras, coronas, sceptra, infulas, quibus tamen expiscandis ita avidi & incauti quidam descendunt, ut inter concurrentium pressuras præcipitati, non honoribus satientur, sed suffocati intereant. Ambitio periculosa res, laboriosa, tumida, vana, ventosa.

Ambitiosi piscantur tiaras, sceptra, &c.

VI. Videntur mihi miseri mortales honorum, & dignitatum piscatores & venatores similes pueris papiliones per aêra volitantes insequentibus, prout etiam, S. observat Anselmus: *sic agunt illi, qui mundi hujus honorem appetunt, quomodo pueri, qui sequuntur papilionem; Papiliones enim, cùm volant, tramitem rectum nunquam tenent, sed huc, illucque se agitant, cumque alicubi residere videantur, nec ibi diu morantur. Hos autem, sequentes cum pueri capere volunt, citò post eos currere satagunt, & quia non ad suos pedes, sed ad papiliones intendunt, aliquando in foveam cadunt. Plerumque cum cautè accedunt, & eos apprehendere tentant, papiliones avolant; quando eos apprehenderint, exultant de nihilo, quasi magnum quid fuerint adepti. Similiter faciunt, qui mundi hujus honores appetunt; honores enim hujus mundi, nunquam certam tenent viam, sed incertis diverticulis de uno ad alium transvolant.*

S. Anselm. de simil. c. 77.

Papiliones venantur pueri.

Sic ambitiosi, honores.

O miseri mortales, qui ita pro nihilo transcurrunt, & defatigantur, qui toties evanescentium papilionum, & honorum vanitate delusi, nec tamen eos insequi cessant, sed neque per iteratos casus absterriti, risum potius æmulorum, quàm pusillanimitatis ignominiâ ferre decreverunt. Posito tamen, quòd demum desideratum diu assequantur honorem, & dignitatem, quale de ipso, nisi puerile sperabunt gaudium? Exultant de nihilo, cum pueris papilionem venantibus, quasi magnum quid adepti sint, sed heu! quantum est in rebus inane!

Pro nihilo dijcurrunt.

Et tamen hanc puerilem papilionum, honorum, & dignitatum venationem, etiam viri ætate, & auctoritate graves, doctrinâ insignes, vitæ exemplaritate conspicui insequi non erubescunt. Testatur Ambrosius: *sæpe quos vitia nulla delectant, quos nulla potuit movere luxuria, nulla avaritia subvertere, facit ambitio criminosos.*

Etiam viri & senes puerorum more discurrunt.

S. Ambrosius apud S. Bonav. in Pharet. l. 1. c. 14.

Nonnunquam puerilis hæc venatio viros mundo mortuos, vigiliis exhaustos, jejunio pallidos, senio confectos & altero jam pede cymbam Charontis ingressos excitare, & ad papilionum, dignitatum consecutionem stimulare visa est, ut puerorum instar currere & discurrere non gravarentur, licet

non

non sub levitatis puerilis, sed senilis auctoritatis prætextu.

VII. Ultimò cum Philistæis confligturus Rex Saul, cum nullum 1.Reg.28. v.7. inveniret Prophetam, sibi de futuro prælij & belli eventu divinantem, Pythonissam demum adijt, defunctum Samuelem sibi suscitaturam, qui belli eventum edoceret. Annuit multis sollicitata precibus Pythonissa, quam ad conspectum ascendentis Prophetæ exterritam rex animavit: *Noli timere: quid vidisti? qualis est forma eius?* Respondit illa: *vir senex ascendit, & ipse amictus est pallio: & intellexit Saul, quòd Samuel esset*, qui porrò interitū ipsi, totique domui denunciavit.

Samuel excitatur à Pythonissa.

Prætereo hîc multas, ac varias SS. Patrum opiniones de resuscitato Samuele, an vera illa, aut tantùm imaginaria, an ex Dei permissione, vel diaboli, ejus formam repræsentantis, arte facta sit, & me ad moralem tantùm converto doctrinam, quam S. meus Antonius Paduanus his exclamans verbis, tradit: *Heu quantos Religiosos mundo mortuos, in claustris sepultos, à somno contemplationis & quietis, & pacis, hæc Pythonissa, id est, amor dominandi suscitavit, & in publicum eduxit.* Et quidem amictos pallio, & specioso boni publici promovendi prætextu, amictos pallio zeli animarum lucrandarum, hos à somno contemplationis, & quietis excitat hæc Pythonissa, tumida & ventosa, & varijs inquietudinum, ac curarum procellis agitandos exponit.

Sic Religiosi ab ambitione.

S. Ant. Pad Dom. 2. Trinit.

Pythonissa ambitio.

Excitat quippe hæc Pythonissa ventosa periculosos, & tumultuosos in mari hujus mundi ventos, quibus exurgentes formidandæ procellæ naviculam Petri concutiunt, & tribulationum aquis replent, uti satis ex Arianæ hæresis asseclis in Episcopales sedes sese passim auctoritate Cæsareâ intrudentibus, experta fuit afflicta Mater Ecclesia, & ultimis quoque nostris temporibus, per hanc Pythonissam, dominandi libidinem, & de honore proclamandæ indulgentiæ sibi denegato indignationem, æquè tremendus, si non magis horrendus, excitatus est motus, quo totum pene Romanum Imperium, cum adjacentibus regnis & provincijs concussum, & eversum est. Neque minùs formidandas in rebus politicis hæc Pythonissa, aut saga excitat tempestates, quòd enim tot simultatum fulgura, tot minarum, & dissidiorum tonitrua, tot ignita bellorum fulmina, & terræmotus totum Romanum Imperium concusserint, & omnes Electoratus, & Principatus, tria Magnæ Britanniæ, nec non

Excitat instar sagæ, tempestates.

Per totam Europam, tempestates horrenda.

Poloniæ, Sueciæ, Daniæ, Hungariæ regna discordijs intestinis exarserint, nulla unquam constanti pacis compositione, stabilienda, omnia à ventosa, tumultuosa, & pessima hac saga, ambitione, & dominandi libidine excitata sunt, dum inflata, & magistrorum suorum exemplo tumida hæreticorum capita, omnes passim totius Europæ coronas & sceptra, ac plenum sibi ubique arripere dominiũ attentaverunt. Hæc dominandi libido, abstulit, si non omnes, saltem plurimos magnificos meos, tam Ecclesiasticos, quàm sæculares, ait gemens Mater Ecclesia, dum pessimi quique Cathedras Episcopales, & thronos regales conscenderunt hæretici, præcipitatis, & dejectis magnificis Catholicis, præcipitandi & ipsi in abyssum inferni.

Ab ambitione excitata.

VIII. Narrat Lucas Evangelista, ita contra Christum, vera sibi deprædicantem, exarsisse irâ & odio proprios Patriotas, Nazaræos, ut ejectum extra civitatem ducerent *usque ad supercilium montis, ut præcipitarent eum.* Notat Hugo Card. quosdam esse, qui ejiciunt Dominum extra civitatem ad præcipitandum, alios, qui ad lapidandum, alios, qui ad crucifigendum. *Primi sunt ambitiosi, qui de culmine dignitatis, quam appetunt, in se ipsis præcipitant Iesum.* Et iterum. *Heu quàm multi præcipitant Iesum de supercilio montis, omnes scilicet, qui in sublimitatibus dignitatum positi, salutem perdunt,* dum sine cura ad animarum ascendunt curas, qua possunt (sive rectâ, sive tortuosa) viâ.

Luc. 4. v. 29. Hugo Card. hic.

Ambitiosi in seipsis Iesum præcipitant.

Præter alias pulchras, & latas quadro lapide stratas templi Dei scalas, fecit etiam Salomon Cochleam, *Per cochleam ascendebant in medium cœnaculum, & à medio in tertium.* Id est (uti post Glossam notat Hugo) *per viam invisibilem, & tortuosum ascensum.* In domibus Magistratuum, officiorum publicorum, & etiam in domo Dei duplices reperiuntur, scalæ, latæ scilicet, apertæ, & rectæ, per quas illi ascendunt, qui ad officia & beneficia, virtute & meritis sibi viam sternunt, alij autem per Cochleam, per viam invisibilem & tortuosam, secretis practicarum artibus, & tortuosis suborationibus ascendere conantur; multi per hanc Cochleam pedibus & manibus, cochlearum more, plurimis repunt annis, & antequam ad culmen perveniant, turpiter decidunt, & rejiciuntur, alij sublimitatem desideratæ dignitatis, & supercilium montis, vel pinnaculũ templi attingunt quidem, sed cum summo & suo, & aliorum sibi subditorum periculo.

5. Reg. 6. v. 8.

Cochlea. ascensus.

D. notat ambitionem prætionem.

Per-

IX. Peracto quadraginta dierum jejunio tentatum frustra Salvatorem nostrum de lapidibus in panem convertendis, *assumpsit diabolus in sanctam Civitatem, & statuit eum super pinnaculum templi*, tentans illi persuadere, ut se præcipitaret. Sed à Christo eluſa etiam hac tentatione, *iterum assumpsit eum Diabolus in montem excelsum valde*, &c. Sicut enim Christus infirmitates nostras portavit in corpore, ita & in similitudinem carnis peccati vestitus, à maligno hoste tentari non erubuit, ut illius dolosas tentationes vincendo detegeret, quibus etiam tentator nos hodiéque aggreditur. Et quidem (teste Hugone) *Diabolus fert Iesum super pinnaculum templi, (ubi erat cathedra scribarum, & illorum, qui docebant populum) quando aliquis sublimatur in Magistrum, ut vocetur ab hominibus Rabbi, ut habeat primos recubitus in cœna, & salutationes in foro. De talibus dictum est: Tulerunt Dominum meum, & nescio ubi posuerunt eum. Item diabolus fert super montem excelsum, Mons excelsus, Episcopatus, & alia magna dignitas, ubi diabolus defert Iesum, cùm ambitio honoris, vel dominandi, & gloriandi, fert hominem, vel spiritum hominis in speculam dignitatis.*

Matth. 4. v. 5.

Christus à diabolo super pinnaculum templi fertur.

Item in montem excelsum.

Hugo hic.

Sic ambitiosi ad dignitates.

Præcipitandi.

O quàm timeo, ne multi ad hunc montem dignitatum & officiorum, tam sæcularium, quàm Ecclesiasticorum, & super pinnaculum templi, non à Spiritu sancto, sed Spiritu maligno, & à Spiritu ambitionis ferantur, quod non meis, sed hisce melliflui Doctoris verbis prolatum volo; *An non limina Apostolorum plus ambitio, quàm devotio terit?* Et quid isti supra pinnaculum, & montem excelsum, nisi præcipitiũ exspectare possunt? Et tamen hoc non attento periculo *Curritur passim ab omni ætate, & ordine ad curas, tanquam sine curù jam victurus sit, cùm ad curas pervenerit*, ait idem mellifluus, & delectantur, si in petris, & præcipitiis currere possint, licet vertigine non parum laborantes. *Sed nunquid currere queunt in petris equi?* Ut nullum casûs habeant periculum? multorum planè ruinam deplorat Ecclesia, quod hæc præcipitia multos abstulerint magnificos. Abstulit magnificos meos. Quare ille, qui sponte animam suam, ascendendo, in periculum dedit, ascensûs sui temeritatem agnoscens deploret, & simul cum jis, qui ad pinnaculum templi, & montem excelsum dignitatum, tam sæcularium, quàm Ecclesiasticarum vel inviti à Deo elevati sunt, divinum implorent auxilium, & etiam subditorum suffragia implorent, ut divinâ opitulante gratiâ, à ruina præservari, & dig-

Curritur ad curas sine curâ.

S. Bern. lib. 3. de consid. ante medium.

Item Epist. ad Herm. seno. Epist.

Amos 6. v. 13.

Ambitiosi in petris, & præcipitijs currunt.

dignitatis suæ celsitudine, non ad inquietandam, & conturbandam, sed pacandam Rempublicam Christianam uti, & post terreni culmen imperij, cælestis regni solium consequi valeant, Amen.

DISCVRSVS XXX.

Samech.

Torcular calcavit Dominus, Virgini Filiæ Sion. *Thren. 1. v. 15.*

DE ANIMA.

Peccata etiam levia graviter punit in hoc mundo Deus, ut gravia gravissimè punienda, & fugienda discamus.

&

CUm torcularibus recentes & maturæ imponuntur uvæ, facilè inde copiosum exprimitur mustum, nec magnâ opus est pressurâ, & violentiâ. Sed cùm exsiccatæ jam, aut expressæ satis, & compressæ torculari injiciuntur uvæ, violentiâ indiget pressura, & licet nullus inesse succus credatur, tamen magna torcularis mole depressæ majorem pro expectatione succum fundunt.

Torcularia, pœna peccatorum.

Torcular calcavit Dominus Virgini Filiæ Sion. Torcular ultionem significat, & peccatorum supplicia, ut glossa advertit, ex Paschasio. Quando ergo copiosa, & pinguis torculari immittitur peccatorum, & vitiorum abundantia (sicuti apud populum Hebræum contigit) mirum non est, copiosissimum exprimi pœnarum mustum, *quia sicut in torculari de uvis exprimitur vinum, sic in destructione Ierusalem fuit effusus sanguis Iudæorum*; notat in hunc locum Lyranus, sed plus suæmet copiosæ malitiæ, quàm divinæ

Glossa ord.

Lyranus hic.

vinæ justitiæ gravitati copiosum pœnarum effluxum ascribere plebs Judæa debuit, ubi enim abundat malum culpæ, etiam abundare necesse est, malum pœnæ.

Etiam viri boni premuntur

Sed magis adhuc videtur formidabile, quòd subinde contigerit viros bonos, & hominum judicio justos, omníque gravis culpæ humore vacuos, & amore Dei exiccatos, ita ab ultrice Dei manu, quasi sub torculari premi, & conculcari, ut etiam, toto obstupente orbe, magnas exsudare pœnas visi sint, ob culpas planè, humano judicio, leves, ex quibus tantum pœnarũ malum elici non posse videbatur. Ut igitur magnum culpæ malum magis horrere discat anima peccatrix, in præsenti inquirere placet, quàm gravi malo pœnæ, inleve culpæ malũ Deus sæpe animadvertens torculari ultionis suæ divinæ presserit, ut leves etiam, magnis pœnis gravidas culpas declinare, graves autem, sævissimè ulciscendas, abhorrere disceremus.

Ob culpas leves.

II. Res planè admiranda, & nisi tot experientijs probata, incredibilis videretur, in quovis ligno quantumvis sicco, aut etiam lapide duro, ex concussionibus ignem evomente, humorem, ac aquam delitescere, arte chymisticâ, & ollis distillatorijs facilè extrahendam.

Distillando extrahuntur humores.

Quantumvis actus humani censeantur à nobis recti, & omnis iniquitatis expertes, si tamen divina Justitia Chymisticâ sua suâ censurâ superveniat, & torculari suæ rigiditatis comprimat, jam malum culpæ, quod latuit, exprimetur, malo pœnæ gravius vindicandum, quàm sibi homo imaginari poterat, non quod æquos Justitiæ terminos divina vindicta excedat, sed quòd plus mali lateat, oculis tantùm divinis, non humanis perspicua.

Distillat opera nostra

Divina Iustitia.

Prothoplastis nostris parentibus inhibuerat Deus esum de fructu arboris scientiæ boni, & mali, sed tentante serpente victa Eva, & hac persuadente, & fructum vetitum (contra Dei inhibitionem jam degustatum) porrigente, comedit & Adam. Fuit quidem transgressio obedientiæ, sed tamen (si modernas Moralistarum regulas sequamur) valde levis, licet enim Expositores in regulas monasticas cõmuniter doceant, tunc, cùm superior sub gravi aliqua pœna, vg. disciplinæ aliquid prohibet, esse præceptum obedientiæ obligatorium sub mortali, tamẽ negare vix poterunt, quòd materiæ parvitas à mortali excuset. Sub gravi quidẽ pœna prohibuerat Deus parentibus Prothoplastis, esum fructûs de arbore scientiæ boni & mali, *in quo enim die comederis ex eo, mor-* Gen. 2. 17. v. 2.

Primi parentes in modico transgrediuntur Dei mandatum.

te morieris: Parvitas tamen materiæ excusare à mortali videbatur, quid enim unici pomi furto, aut esu levius? Quis tam rigorosus conscientiarum in tribunali pœnitentiæ trutinator esse velit, ut ex uno pomi esu, aut furto culpam lethalem exprimat? Et pœnam mortis, non dico æternæ, sed temporalis imponat?

Fuit parvitas materia.

III. Sed longè accuratius, distillare actus humanos solet ad ignem rigidissimæ Justitiæ, divina vindicta, quæ octo latentia in hac transgressione (uti notat Pererius) peccata expressit, scilicet 1. Superbiam 2. nimium Adæ erga uxorem affectum 3. Curiositatem, 4. Incredulitatem, quasi Deus figuratè, vel comminatoriè, non absolutè mortem, violanti legem intentâsset, 5. Præsumptionem, quasi levè pendendo mandati violationem, & veniale tantùm peccatum, 6. Gulam, 7. Inobedientiam, 8. Excusationem; vel planiùs loquendo, tam Adam quàm Eva peccavit peccato inobedientiæ, cujus complementum fuit in gula; Fuit autem Adam dissimilis Evæ in motivo peccati, Eva enim comedit, ex motivo superbiæ, quia ex instinctu serpentis voluit Deo assimilari, Adam autem, quia noluit contristari delicias suas.

Apud Cornelium Gen. 3. v. 6.

Quot peccata intercurrerint in esu pomi?

Has ergo peccatorum labruscas collegit Deus quasi in torculari, & *vindemiavit* miseros parentes nostros *propter iniquitates suas*, & torcular calcavit Dominus, tanto divinæ Justitiæ pondere, ut amarissimam, & copiosissimam exprimeret pœnarum affluentiam: *Mulieri dixit: multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos, in dolore paries filios, &c.* Adæ verò: *Quia audisti vocem uxoris tuæ, maledicta terra in opere tuo, in sudore vultûs tui, vescêris pane, donec revertaris in terram de qua sumptus es. Et emisit eum Dominus Deus de Paradyso voluptatis, &c.*

Thr. 1. v. 22.

Gen. 3. v. 16.

Quàm gravia secuta pœna.

Et hæc quidem pœna tam tremenda, tolerabilis fortè adhuc videretur, si in Prothoplastorum tantùm personas redundâsset, sed prô dolor, in totam totius generis humani posteritatem, & filios Adæ proclamata fuit sententia, quoad culpam & pœnam. Quòd enim hodiéque tot affligimur miserijs, quòd famem patimur, siti arescimus, fatigamur laboribus in sudore vultûs nostri, doloribus angimur, morbis consumimur, & innumeris alijs obruimur malis, omnia ex unico Adami transgressione radicem habent.

IV. Licet autem gravissimum Adæ peccatum fuerit ratione ingratitudinis, & damni in omnes posteros transfusi, non tamen

Adæ peccatum non fuit gravissimum.

men gravissimum fuit si speciem peccati, & peccandi libidinem consideremus, majori enim ex libidine, & malitia peccârunt Angeli, & etiamnum multi homines, & in gravioris peccati specie. Imo fuit etiam minimum ratione materiæ, & tamen hoc peccatum omniũ gravissimè fuit punitum.

Quid ergo dicemus adhæc? Nunquid terminos æquitatis transgressam inculpabimus divinam Justitiam? Absit. *Existimabam, ut cognoscerem hoc: Labor est ante me.* Hîc Plato jubet quiescere. Hîc cum Psalmista exclamandum: *Justus es Dominus, & rectum judicium tuum: mandasti justitiam, testimonia tua, & veritatem tuam nimis.* Non quidem, quòd nimis, & nimium excessum, vel in mandando, vel in administrando Justitiam admittat Deus, sed nimis, idem est, quòd valde, & exactè custodiri præcepta sua velit Deus, & sicut servanda valde præcipit, ita transgressores valde castigat, ut vel sic, aliorum tremendo edocti exemplo, divinis obtemperare mandatis discamus.

Psal. 72. v. 16.

Psal. 118. v. 137.

Judicia Dei inscrutabilia.

Educto è Sodomis cum Lot tota sua familia, præcepit Deus, ne retro ad ardentem respiceret civitatem: *Noli respicere post tergum.* Præceptum hoc divinum, ab Angelo internuncio datum, transgressa uxor Loth, respexit post se, vel strepitu ignis, & sulphureæ pluviæ, aut pereuntium clamore, & ejulatu, sive ex timore, ne & ipsa corriperetur flammâ, sive ex curiositate, aut etiam dolore rerum ibi relictarum, & amissarum, & *versa est in statuam salis.* Vatablus legit: *In statuam perpetuam*, hanc enim muliebri specie efformatam statuam non tantùm multis centenis durâsse annis affirmant auctores, sed eam etiamnum extare docet Adrichomius, nec desunt, qui eam ad finem usque mundi duraturam autument. Et quare hoc? Ad quid tanta statuæ hujus duratio, cùm omnia pene antiquissima miraculorũ, statuarum, & colossorum monumenta, licet ex ære fusa, vel è duro excisa marmore, temporum iniquitate perjerint? rationem, quare uxor Lot in statuam non marmoris, sed salis versa sit, reddit glossa: *Exemplum facta scilicet, & condimentum, unde alij saliantur.* Sicut ergo in exemplum alijs peccatoribus posita est, ita etiam ad exemplum, & saliendum conservanda in ævum.

Gen. 19. v. 17.

Uxor Lot quàm graviter punita?

Apud Cornelium hîc.

Gl. ordin.

Peccatum porrò uxoris Lot respicientis, mortale quidem fuisse æstimat Dionys. Carthusianus, alij tamen venialem hanc fuisse culpam meritò opinantur, ex nimio timore vel (esto etiam) ex curiositate contra-

Non peccavit mortaliter.

ctam, neque ex solo curiositatis vitio, tantam sibi imminere pœnam, unquam sibi fuisset imaginata, si enim tam sæva insequeretur vindicta omnes curiosas fœminas, has, in salis statuas convertens, nihil in mundo carius foret fœminis, & nihil sale copiosius & abundantius. Et tamen gravis hæc pœna in miseram hanc cecidit fœminam alijs in exemplum, & condimentum, maximè autem illis, qui obscœnis oculos adulteros curiositatibus pascunt, ut horrendam inopinatæ, & partim ex metu, partim ex compassione causatæ curiositatis pœnam contemplantes, graviora sibi, & multò magis tremenda certò sibi persuadeant imminere supplicia.

Quid oculi lascivi patiantur?

V. Missus ad impium Jeroboam corripiendum Propheta, præceptum acceperat à Deo non comedendi, aut bibendi in via, 3. Reg. 13. v. 9. *non comedes panem, neque bibes aquam, nec reverteris per viam, qua veniste.* Aliâ ergo in reditu incedens viâ venit in Bethel, ubi Propheta senex habitabat, qui alteri amicissimè ad mensam invitato persuadere non potuit, ut comederet, aut biberet, donec & ipse se Prophetam, sibiq; Angelum, ut prandium pararet, locutum esse prætexeret, sed cari sibi solvenda erat hæc modica refectio, dum ex Dei vindicta contra inobedientem in via exurgens leo, eum occidit. Et quidem (teste Cornelio) *Fuit hoc ejus peccatum veniale duntaxat, quia Prophetam credidit esse veracem, non mendacem.* Cornelius hic.

Propheta ob transgressum jejunium punitus morte.

Et tamen etiam venialem hanc inobedientiam, & sensualitatis, gulæque appetitum vitâ luere debuit, & pransum discerpsêre leones, qui jejunum venerabantur Danielem. Et (uti probè notat Chrysost.) *Sicut canis, aut quælibet fera, quam homo beneficijs cicuravit, sibique in omnibus obsequentem reddidit, si vultum simulet alienum, aut proprium mutet, aut obscuret, fuligine puta, aut cæno, aut colore non proprio non minùs illum allatrat, morsuque appetit domesticus canis, aut lacerat mansuefactus leo, quàm si esset alienus. Sic quia Propheta iste per inobedientiam vultum fuligine fædaverat, non agnovit leo, tanquam Dominum suum, atque ideò tanquam alienum interfecit.* Peccavit tantum venialiter. S. Chrysost. in psal. 1. Creatura peccatorem non amplius agnoscunt ut Dominum.

Ut nempe Prophetæ hujus exemplo expavescerent inobedientes Ecclesiæ filji, qui præcepta transgrediuntur jejunia, carnes præscripris diebus interdictas comedunt, sive ex humano respectu, sive ex inordinato gulæ pruritu impulsi, si enim leo, veniali inobedientiâ maculatum Prophetæ vultum non agnovit, sed eum laceravit, duriora quidni experientur illi filij *Quid faciet illis, qui carnes manducant diebus prohibitis.*

lij inobedientiæ, & protervi legum Divinarum, & Ecclesiasticarum transgressores, quorum facies sicut nigredo ollæ, & non sunt cogniti in plateis? & si in viridi, & per gratiã sanctificantem adhuc florente ligno, & Propheta hæc fecit Divina Justitia, in arido peccatore quid fiet?

VI. Magna cum solemnitate & devotione David Arcam de domo Abinadab, plaustro novo impositam, transferre parabat ex Gabaa. *Oza autem, & Ahio, filij Abinadab minabant plaustrum novum.* Calcitrantibus verò bobus, & inclinante se Arcâ, *extendit Oza manum ad Arcam Dei, & tenuit eam. Iratusque est indignatione Dominus contra Ozam, & percussit eum super temeritate, qui mortuus est ibi juxta Arcam Dei* Sed quæ temeritas, aut irreverentia, quòd Levita Deo dicatus Arcam Dei, quò minùs caderet, tenebat? An morte idcirco dignus Oza? Theodoretus eum ob peccatum aliquod nobis ignotum, & occultum fuisse occisum judicat, præterquam quòd incautiùs attingere eam præsumpserit; Alij alias divinant (licet non adeò graves) causas, absque tamen solido fundamento. Lyranus convenientem meo judicio causam: *Quia* (inquit) *fecerat poni Arcam super plaustrum, cùm tamen deberet portari in humeris Levitarum.* Sed neque hoc tam enorme videtur esse peccatum, morte tam repentinâ, cum tanto totius populi terrore plectendum, quòdque ad tantam iram & indignationem provocare deberet Deum; præsertim cùm graves auctores Levitam, licet temporali morte castigatum, æternam tamen mortem, & damnationem evasisse docent, adeóque peccatum non mortale, sed veniale tantùm fuisse decernunt.

2 Reg. 6. v. 1.

Oza arcam tangens occiditur.

Lyranus hic.

Optimè hîc moralizat Cornelius, hinc disce, quanta puritate, & reverentiâ accedendum sit ad SS. Eucharistiam, si enim à Deo Levita minùs reverenter Dei Arcam (in qua manna asservabatur) contrectans tanta indignatione occisus est, quid illi expectare debent, qui consecratam hostiam [in qua non manna terrestre, sed vera Christi caro & sanguis est] irreverenti manu, aut ore contingunt? Et in fœtidam, ac lasciva desideria exhalantem, impuri cordis sentinam projiciunt? An non digni tales, quos hianti ore deglutiat terra, aut excussa de cœlo fulmina feriant? non temporali tantùm, sed æterno plectendi interitu?

Attendite indigne ad communicantes.

VII. Gravissimâ in Davidem, totumque ejus regnum pœna animadvertit Deus, dum sævâ lue, intra unius diei, imò sex horarum

2. Regt. 24. v. .

rum spatium, septuaginta hominum millia consumpta sunt, quæ pœna Davidem, ab Angelo evaginatum vibrante gladium ipsi denunciata, adeò terruit, ut non desint graves auctores, qui asseverent, exinde toto vitæ tempore Davidem [horrore hoc, & timore gravissimo concussum] frigore nimio constrictum, quasi obriguisse.

David ob vanam gloriam punitus.

Sed quæ tanti horroris & tremendæ afflictionis causa? fortè commissum Davidis adulterium, & cædes injusta innocentis Uriæ? Non: cùm enim verè pœnituerit David, transtulit quoque Deus peccatum, & pro peccato mortuus est filius, ex adulterio natus. Et quoniam exemplo suo ad similes lascivias filius animaverat, primogenit' propriæ sororis constuprator à fratre Absalone occisus est, & ab hoc summam persecutionem, quibus omnibus abundè commissum Davidis homicidium, & adulterium pœnas dederat.

Alia eius peccata iam remissa, & punita.

Sed neque præceps & injustum Davidis judicium (quo innocenti Miphiboseth cum malitioso suo servo Siba, bona omnia ex æquo dividenda injunxit) præfatæ tremendæ pestis ratio fuit, nam pœna temerario, & præcipiti Davidis judicio à Deo posita fuit, ut sicut ipse Miphiboseth cum servo substantiam suam jussit dividere, sic regnum Davidis sub Roboam nepote cum servo Jeroboam divideretur. Adeóque omnes præfatas culpas præsens terribilis plaga, & septuaginta millium virorum strages non tangit, sed populi tantùm numerationem, quæ tamen adeò gravis culpa non fuit, sed inanis tantùm & vana gloriola, aut jactantia, sic enim expressè asserit Gregorius: *David Deo teste laudatus, tumore repentinæ elationis, populum numerando peccavit*, nec culpa mortalis fuisse censetur, vel si mortalis, planè non ea inter graviores. S. Greg. apud Lyranum hic.

Josephus, Cajetanus, & Abulensis aliam huic populi lustrationi culpam annectunt, neglectam scilicet legem, quæ jubet (Exod. 30.) ut in censu seu lustro quisque solvat dimidium siclum. Sed veri simile non est, neglectam fuisse hanc à Rege exactionem, non enim sunt Magnates ita earum legum obliviosi, quæ ærario suo proficiunt, nec unquam eos invenies magis scrupulosos.

Unde hujus censûs neglectũ nullo modo verisimilem, aut Davidem in eo reum Cornelius æstimat, sed potiùs quod peccavit David, ad solvendum dimidium siclum cogens populum, in superflua & vana lustratione, sine necessitate publica te. Cornelius hic.

Impositio sicli sine necessitate.

&

& nullo urgente belli periculo instituta, licet David hunc censum non ad inanem pompam, & superfluum aulæ suæ luxum, applicaverit, sed illi suo thesauro, & ærario regio junxerit, in quo ædificandi templi sumptus reponebat. His tamen non obstantibus, gravem cum populo suo, Dei vindictam, & horrendam pœnã evadere non potuit, hac sola à Deo gratia donatus, ut inter tria, belli, famis, & pestis, tremenda mala, electio sibi concederetur.

VIII. O bone Deus! quam horrenda ergo Regibus & Magnatibus imminebit pœna, qui nulla urgente necessitate non medium siclum, sed florenos in capita singula pauperum subditorum, nec pane quidem famem sedare valentium, toties imponunt, & exactiones faciunt intolerabiles, domos viduarum & pupillorum devorant, ad luxum suum, vel bella reipublicæ Christianæ nociviſſima continuanda. Legimus in Chronicis Episcoporũ Constantiensium terribilem pœnam, quam Albertus Baro de Zimmeren in venatione quadam ad mirabile castellum à spiritu ductus, vidit pati suum Patruum, unà cum suis consiliarijs, qui graves à subditis extorquebant exactiones, pro sumptibus belli contra Saracenos instituendi, descriptio totius, & mirabilis planè visionis sub Vdalrico 2. Episcopo Constantiensi, Anno 1127. videri potest, quam hîc annectere brevitas non permittit. Baronius quoque sub ijsdem annis cum alijs graviter invehitur in eos, qui ad præfati, licet pijssimi, belli sumptus, redditus Ecclesiarum, & Hospitalium applicare præsumpserant. Sed [ô Deus immortalis!] si tanta hæc ac tam gravi pœna, digna fuit culpa, qualis eorum erit, qui non solùm redditus Ecclesiarũ, & Hospitalium pijs applicant bellis, pro terra sancta recuperanda, sed pro fundendo Christiano sanguine, ipsas Ecclesias, hospitalia, Monasteria, cum domibus pauperum in cineres redigunt, & piam fundatorum intentionem in perpetuum defraudant.

Cavete Magnates aggravare subditos.

Etiam in bello sacro.

Si unicum adulterium Davidis, si unicum commissum Vriæ homicidium tam cruento, & periculoso bello, & unicum præceps Davidis (contra paupereulum Miphiboseth nepotem Saulis) prolatum Judicium, totius regni scissione punitum fuit, quid obsecro miramur, tam gravibus Jmperium Romanum, & omnia Europæ regna affligi bellis, & miserijs, igne ferroque devastari, quando *maledictum & mendacium*, & *homicidium & furtum, & adulterium*

Non mirum, quòd puniat D. M.

Oseæ 4. v. 2.

um inundaverunt, & sanguis sanguinem tetigit, hoc est [uti breviter Interlinearis exponit] *Peccatum peccato, nova veteribus addunt.* Si ergo uno regis adulterio, homicidio, & injusto, non malitiosè, sed præcipitanter prolato judicio, & vanitati in numerando populo admissæ, tanta debetur pœna cruenti belli, famis, & pestilentiæ? Quæ belli sævities? quæ famis penuria? quæ pestilentiæ lues? quæ flagellorum crudelitas? quæ malorum congeries? quæ pœnarum enormitas, tot malis, & peccatis Christiani populi sufficere potest, si *pro mensura peccati, erit plagarum modus.* Deut. 25. v. 2. Miremur, miremur fratres, & obstupescamus, non de malis quibus affligimur, miremur non de vindicante graviter Dei manu, sed de ejus miseratione, qua ita nos ferit, ut tamen non, pro meritis, penitus extinguat, qui pro levibus etiam defectibus uxorem Lot, Prophetam illum juniorem, imò & ipsum Moysen, virum tanta sanctitate deprædicatum morte temporali mulctavit?

Gloss. Interl.

Sed quòd non plus puniat?

IX. Si ergo Deus non tam graves, quàm etiam leviores & veniales culpas tam graviter in hoc, sed longè gravius in altero puniat mundo, misericordem simul & justum deprecemur Deum, & in cinere & cilicio pœnitentes & contriti culpæ, & pœnæ indulgentiam supplices petentes, iratæ Justitiæ satisfaciamus, nam (teste meo Seraphico) *secundùm forum Ecclesiæ præsentis, satisfacit homo leviter, sed secundum forum purgatorij punietur gravius, secundùm forum verò inferni, gravissimè pro venali, quia æternaliter, si cum mortali, & venali decesserit.* Pœna quippe temporalis veniali peccato debita, in inferno æternaliter sustineri debet, cùm extra statum gratiæ positis damnatis, solvendi media, & satisfaciendi, aut satis patiendi, penitus sint abscissa; in purgatorio autem non nisi graviter, & satis patiendo divinæ Justitiæ satisfieri possit.

In hac vita paucis satisfacimus.

In altero mundo graviter.

Exemplum habemus de hoc (ait Seraphicus) *quia mensura vini, quæ in uno loco valet 6. denarios, si ducatur ulteriùs, adhuc valet duos solidos.* Accedente scilicet novis expensis, & vectigalibus. Sic etiam quò longiùs peccata nostra vehimus, eò cariùs erunt solvenda, quæ levi modò obolo in eleemosinam erogato, brevi oratione, parvo jejunio solvere valemus, ea in purgatorium & infernum delata jam majori, & horrendâ constabunt pœnâ.

Si vinum longè vehitur carius emitur.

Pœna tamen (pergit Seraphicus) *illata pro veniali in inferno, incomparabiliter minor est, quàm illata pro mortali. Unde solet dici, quod*

Pœna hujus mundi est punctum.

pœna

pœna illata in inferno pro mortali, est sicut solidi tas; illata pro veniali, sicut superficies; illata pro veniali in purgatorio, est sicut linea. Illata pro veniali in præsenti, est sicut punctus. Si autem punctum tam acerbè sæpe pungentem, & pœnam pro veniali, gravissimam in hoc mundo, vix tolerare possumus, quomodo lineam in purgatorio, ac superficie, & corpus solidum pœnarum sustinere valebimus in inferno? Ibi, ibi Torcular calcabit Dominus Virgini filiæ Sion, ibi conteret contritione horribilissimâ impios peccatores. Sapiamus ergo, & emendemur in consideratione, & afflictione puncti, ne immensa moles torcularis infernalis nos deprimat, & affligentem in hoc mundo timere discamus divinam Iustitiam, ut in altero mundo implacabilem evadamus vindictam, sed misericordiam consequamur æternam, Amen.

Purgatorii linea.

Inferni, pro veniali superficies.

Pro mortali, corpus, seu solidi tas.

DISCVRSVS XXXI.

Samech.

Abstulit omnes magnificos meos Dominus de medio mei. *Thren. I. v. 15.*

DE ECCLESIA.

Gemit Ecclesia, à magnatibus suis, & nobilibus honorem non amplius in generosis & virtuosis, sed in vitiosis & scandalosis actibus & vanitatibus quari.

I.

Homo honoris cupidus.

ITa in corrupto, per originale peccatum animo altas radices egit honoris cupiditas, ex prima nostra matre Eva, hæreditata, ut vix canis venaticus avidior insequendæ feræ, quàm homo venandi honoris inveniatur, per dura & aspera,

aspera, per devia & avia, ipsámque vitæ jacturam, gloriam ambiens. Quemadmodum verò canis venaticus in odoratu deficiens, facilè à veris feræ vestigijs aberrat, & vano labore aërem venatur, sic miseri homines honorem & magnificentiam venaturi, in odoratu interno plurimum deficiunt, in ijs actibus vitiosis honorem quæsituri, in quibus nullâ honoris, & virtutis vestigia, sed turpitudo potiùs, & contumelia reperitur, quod proinde meritò deplorat S. Mater Ecclesia, ablatos sibi fuisse Magnificos illos, virtuosâ generositate verum sibi, ac commendabilem conquirentes honorem, quibus passim succedunt alij, qui vitiosis tantùm actibus ad gloriam & magnificentiam sibi viam sternere parant, eo ipso tamen à vero honoris puncto aberrantes, manent inglorij.

Aberrat à puncto honoris.

II. Non mei modò est propositi, in fundamentis asceticis discursum meum fundare, quæ nullum omnino admittant honorem & gloriam in veris humilis sui Servatoris imitatoribus, qui nulla nisi humilitatis, & proprij contemptûs, ac despectûs vestigia nobis reliquit, dum inter cœlum & terram infami confixus ligno, & latronum in societate despectus, ex aliorum hominũ honesto contortio ejectus est: uti seraphicè hoc insinuat S. meus Bonaventura: *Domino orbis, totus negatus est orbis! Vilius in mundo nihil æstimatum est Domino mundi, inter cœlum & terram suspensus, acsi non esset dignus mori in terra, aut vivere.* Quoniam autem, *Gloria magna est sequi Dominum* (teste Ecclesiastico) imò unica; hinc est, quòd hisce vestigijs insistentes S. Apostoli, & primævi Christiani, summo sibi duxerint honori, si pro nomine Jesu contumeliam, & ignominiosam pati mortem, digni haberentur. Sedatis porrò cruentis persecutionũ procellis, veri servi Dei, sui tantùm Domini zelantes honorem, humilitatis vestigijs tam firmiter inhærebant, ut in solo tantùm sui contemptu gloriam quærentes, omnem mundi honorem & gloriam seu fabulam exsibilarent. Hinc insignis ille mundi contemptor F. Jacoponus, ubi rejecto ambitiosi Causidici titulo, ad veræ sapientiæ (quæ quidem stulta est hominibus) studium se applicavit, omnem mundi calcans gloriam, generosè cecinit:

Vera gloria est, honores contemnere.

Quid mundus militat sub vana gloria,
Cujus potentia est transitoria?

Sed hæc altissima divinæ sapientiæ Philosophia, sublimis & subtilis nimis est, pro principijs & rudimentis politicorum,

S. Bonav. de perfect. vitæ c. 6.

Eccli c. 23. v. 38.

Gloria magna, sequi Christum.

mereàri,

Vel vivendo in despectu.

Hæc vera est sapientia.

rum, horum enim capacitatem & ingenium hæc lectio transcendit, nec ab honoris & gloriæ crepundijs teneri eorum animi, se omnino abstrahi patiuntur, laudem inde non vulgarem in vniverso, imò ab ipsa subinde consecuti Ecclesia.

III. Sed in quibus actibus generosi nostri antecessores, & antiqui Ecclesiæ & præsertim Germaniæ nostræ Magnifici, *Punctum honoris*, posuerunt? Reges & Principes Christiani, olim summum gloriæ, & honoris punctum, in protegenda, & propaganda ponebant Ecclesia, & Fide Christiana. Testatur sanctus Evangelista in sua Apocalipsi, *post hæc vidi quatuor Angelos, stantes super quatuor angulos terræ, tenentes quatuor ventos terræ, ne flarent super terram, neque super mare, neque in ullam arborem. Et vidi alterum Angelum ascendentem ab ortu solis, habentem signum Dei vivi.* Notat in hunc locum Lyranus, *quòd homines maximè potentes, & in dignitate constituti in hoc libro frequenter nominantur Angeli. Et si sunt boni, sunt Angeli Dei, & si mali, sunt magi Angeli Sathanæ.* Quatuor igitur Angelos, potentes & malos simul super quatuor angulos terræ stetisse, advertit præfatus expositor, quatuor scilicet Imperatores; nempe Maximinianum in Oriente, Severum in Italia, Maxentium Romæ, Licinium Alexandriæ in Ægypto, Ecclesiam persequentes, & tenentes quatuor ventos terræ, ne flarent super terram, *id est* (ait Lyranus) *impedientes Doctores Ecclesiæ, ne verbum Dei prædicarent: De quo flatu dicitur Cant. 4. surge Aquilo, & veni Auster, perfla hortum meum, & fluent aromata ejus; quia per flatum prædicationis fœcundatur hortus Ecclesiæ militantis.*

Reges Christiani posuerunt honorem.

Apoc. 7. v. 2.

Lyranus hic.

In defensione Ecclesiæ.

Et vidi alterum Angelum, id est Imperatorem Constantinum, (qui fuerat Angelus bonus, & Angelus Dei) *ascendentem ab ortu solis, nam* (ait iterum Lyranus) *ex ordinatione Solis iustitiæ ascendit ad dignitatem imperialem, ut daret pacem Ecclesiæ, habentem signum Dei vivi, vexillum Crucis* (glossatur Interlinearis) cœlitus sibi exhibitum, auditâ etiam voce: *Constantine in hoc signo vinces.* Hoc ergo signo victorioso munitus Constantinus, non solùm quatuor illos Angelos Sathanæ profligavit, sed etiam à Papa Sylvestro baptizatus, *honoravit, & exaltavit Ecclesiam*, ut Lyrani verbis utar, & quemadmodum ex communi verbo, honor est in honorante, ita etiam dum Ecclesiam suâ pietate honoraret Constantinus, & magnificaret ac dilataret victorijs, magnificatus est & ipse honoribus, *Magni* merito nomine à tota militante Ecclesia proclamatus.

Lyranus.

Gl. Interlin.

Constantinus Magnus, zelosus in defensione Ecclesiæ.

IV. Hujus vestigia insecutus est maximè Magnus Galliæ Rex, Clodovæus, qui à S. Remigio ad fidem Christi conversus, & sacro Baptismatis fonte renatus, inter Reges primogenitus Ecclesiæ esse meruit, cum subditis suis in ejusdem gremium se recipiens. Nec hujus fervori cessit Carolus Magnus, de quo ad literam quidam intelligunt illud Apocalipsis. *Et vidi tanquam mare vitreum mistum igne, & eos, qui vicerunt bestiam, & imaginem eius, &c.* Putat enim Aureolus hîc describi pietatem, & zelum Caroli Magni, itaque mare vitreum esse populum Galliarum, qui transiens per aquas maris, id est, baptismi in Christi fidem, ita constanter ei adhæsit, ut Christianissimi cognomen acceperit. Mare hoc vitreum, mistum fuit igne, id est zelo, & fervore fidei, qui bestiam, id est, Saxones, Saracenos, & Hunnos subegit, &c. Et siquidem iste non sit proprius sensus literalis, uti Cornelius sentit, tamen eodem teste, *est hæc elegans allusio, & adaptatio.* Fuit ergo Carolus, Magnificus Ecclesiæ, ex zelo & fervore fidei, æquè ac Constantinus, Magni nomine honoratus, ut ejus exemplo discerent Monarchæ Christiani, verum honoris & gloriæ punctum, zelosâ ac generosâ Ecclesiæ ac fidei Catholicæ defensione, ac propagatione, ac infidelium populorum ac Hæreticorum subjectione conquiri, non autem Christianæ gentis oppressione, aut effuso Christiano sanguine, hoc enim purpuræ Regum Christianorum non decorantur, sed maculantur, qui quasi torcular filiæ Sion Ecclesiæ calcantes, Christianum sanguinem, ut mustum exprimunt. Istos humano ac Christiano sanguine purpuratos severus Judex compellabit toto inspectante mundo: *Qui sunt isti, qui veniunt de Edom tinctis vestibus, &c. Quare rubrum est indumentum vestrum, & vestimenta vestra sicut calcantium in torculari?* Nonne torcular calcâstis, filiæ Sion, Ecclesiæ? *In Geth nolite annunciare*, ait Michæas. *Geth* (affirmat S. Ant. Pad.) *interpretatur torcular, & significat huius mundi superbos, qui tanquam torcularia opprimunt, & emungunt pauperes & inopes, quibus dicitur Mich. 3. Violenter tollitis pellem eorum desuper eis, & carnem eorum, desuper ossibus eorum. Aspersus est ergo sanguis* pauperum fidelium *super vestimenta vestra, & omnia indumenta vestra inquinâstis.*

Sic & Clodovæus. *Apoc. 15. v. 2.* *Cornelius hic.* *Carolus Magnus.* *Reges Christiano sanguine se inquinant.* Isa 63. v. 1. &c. Mich. 3. v. 10. Ant. Pad. Dom. 23. Trinit.

V. Generosus ac nobilis venator non erubescit, licet cruentæ belluæ, à se prostratæ, sanguine tingatur, sed gloriatur magis, erubescit verò lanio comparere in cœtu virorum gravium, sanguine ovium à se macta-

Reges contra gentiles pugnando, veneratores sunt.

mactatarum cruentatus. Illi Monarchæ Christiani, qui immanes belluas, gentes infideles prostraverunt, effuso sanguine harum belluarum aspersi tanquam *robusti Venatores coram Domino* gloriam sibi veram conquisiêrunt, qui verò Christianos tantùm populos, & oves Christi bellis petere, & mactare didicerunt, non venatores generosi, sed cruenti ovium Christi laniones censendi sunt, de quorum numero non fuerant Magnus ille Constantinus, & Carolus, non Christiano sanguine cruentati, sed infidelium cruore purpurati; sicut isti magnam inde & immortalem gloriam, ita eorum milites suam inde traxerunt nobilitatem.

Gen. 10. v. 9.

Contra oves Christi, laniones.

Et quidem invictus & immortali gloria ac honore dignus heros, Carolus Magnus, è bello cum infidelibus feliciter confecto, redux, hac brevi eleganti, & nervosâ oratione Nobiles suos Germanos dimisit: *Ite milites mei, vos heroes vocabimini, sociy regum, iudices criminum: vivite posthac laboris expertes. Consulite regibus publico nomine; Favete orphanis, juvate pupillos, consilio circumdate Principes; Ab his victum, & amictum, & stipendium petite. Si quis negaverit, inglorius, infamisque esto. Si quis iniuriam vobis intulerit, reum se Maiestatis agnoscant. Vos autem cavete, ne tantum decus, tantumque privilegium iusto labore partum, aut ebrietatis, aut scurrilitatis, aut alio quovis vitio maculetis, ne quod vobis largimur ad gloriam, redundet in pœnam, quam de vobis sumendam (si fortè excesseritis) nobis, & successoribus nostris, Romanis Imperatoribus, perpetuò reservamus.*

Oratio Caroli M. ad Nobiles germanos.

Maximam suam hodie gloriam etiam Christiani in nobilitate ponunt, cujus quidem rigorosus censor est Hugo Card. S. Bernardi allegans auctoritatem, asserentis, *sanguis nobilium nunquam profuit Ecclesiæ*; quæ quidem verba in Doctore mellifluo reperiri, ob tanti viri auctoritatem non dubito, quamvis ipse non legerim: cæterùm hunc Doctorem nobilitati adeò contrarium non invenio, qui, in sua ad Sophiam Virg. epistola, hæc habet: *Minimè quidem Deus est acceptor personarum, nescio tamen quo pacto, virtus in Nobili plus placet.* Cùm itáque ipse nobilitatis gloriam virtuti conjunctam non rejiciat, nec ego Christianis (non ascetice & ascetici, sed mundanis loquor) nobilitatis honorem penitùs rejicio, moneo tamen, cum textu juris expresso: *Quòd tantùm non debet attendi nobilitas generis, quantùm nobilitas morum.* L. sed & reprobrari, §. amplius ff. de Execut. Tuto; sic etiam Aristoteles definit *Nobilitatem, veterem cum virtute opulentiam.*

Honor in Nobilitate quæritur.

Hugo Card. Ezech 22. v. 5.

S. Bern. in Epist 113. ad Soph. v.

Nobilitati innata debet esse virtus.

Arist. 4. polit. 8.

VI.

Justitia præsertim erga viduas.

Quæ autem virtutes illæ, nobilitatem maximè decentes, sint, ex allegata modò invictissimi Imperatoris oratione satis liquet, nempè viduarum, & pupillorum imprimis tutela, atque protectio, licet enim omnibus indifferenter administrare Justitiam, & suum cuique jus tribuere conveniat, maxima tamen in viduas, & pupillos nobilium cura debet esse, quorum potentiâ illi non opprimantur, sed foveantur. Et inde quidem orphani pauperculi, etiam pupilli dicti mihi videntur, eò quòd quasi pupillam oculi, eos fovendos Deus præcipiat, & hos qui offendit, & lædit, quasi Pupillam ipsius Dei lædere censeatur. Hinc præcepit Deus: *Viduæ & pupillo non nocebitis, si lædentis eos, vociferabuntur ad me, & ego audiam clamorem eorum.* Idem jubet Ecclesiasticus: *In iudicando esto pupillis misericors, ut pater, & pro viro matri illorum*, uti de seipso testatur patiens Propheta, & gloriatur: *Cor viduæ consolatus sum, oculus fui cæco, & pes claudo; pater eram pauperum, conterebam molas iniqui, & de dentibus eius auferebam prædam.* Molas iniqui conterebat Job, id est, *eius potentias, & violentias*, pupillis & viduis illatas; & de dentibus ejus auferebat prædam, *quia ablata restituere cogebam, & de iniurijs facere emendam*, uti Lyranus explicat, hos dignos nobilitate sua actus judicabat Job.

Et pupillas.

Exod. 22. v. 22.

Eccl. 4. v. 10.

Iob. 29. v. 11.

Lyranus hic.

Prudentia

Prudentiam nobilibus suis commendavit Imperator: *consulite Regibus, publico nomine, consilio circumdate Principes*; quid enim magis, quàm prudentia, & scientia nobilem decet? His enim honorabiles se, & divites efficiunt, viri nobiles: *mecum sunt divitiæ, & gloria.* Prov. 8. v. 18.

Fortitudo

Fortitudinem Nobilibus suis commendare invictissimus Imperator supervacaneum duxit, quippe qui eam in illis abundè spectaverat, & animos eorum in omni adversitate, periculis, durorum perpessione infractos, & ab omni metu, & dejectione liberos fuerat expertus.

Temperantia.

Quare in commendanda maximè temperantia adlaboravit; *vos autem cavete, ne tantùm decus, tantumque privilegium iusto labore partum, aut ebrietatis, aut scurrilitatis, aut alio quovis vitio maculetis.*

VII.

Virtuti honor vitijs debetur contumelia.

Quod benè attendant illi, qui hæreditatam à majoribus nobilitatis gloriam, ita in sanguine fundatam, & radicatam æstimant, ut eam nullis vitiorum maculis obscurandam putent, cùm tamen nobilitas, ut honorifica esse possit, individuam, virtutem, comitem habere debeat, virtus enim, non stemma nobilitat, & glorioſum reddit.

dit. *Virtus enim* [ait S. Th. de Villanova] *non solùm meretur præmium, sed etiam honorem: imò honor proprium virtuti præmium est, & illi maximè debitum. Similiter peccatum non solùm meretur pœnam, sed etiam confusionem, & verecundiam.*

Th. de Villanova Con. 1. Dom. 1. Adv.

Fruſtra ergo fortitudinem ſuam, in vindictis ulciſcendis, & duellis, fruſtra gloriam in conviviorum & compotationum affluentia, fruſtra in ambitioſo veſtium luxu, & voluptatum mollitie, aut delicata corporis enutritione, in injuſta divitiarum conquiſitione, & pauperum, viduarum, & pupillorum oppreſsione gloriam quærunt moderni nobiles, eo ipſo enim, quòd vitia ſunt, non gloriam, ſed infamiam pariunt. *Ne des alienis honorem tuum*, id eſt *vitijs*, (ait Hugo) *quibus ſe ſubjiciunt; luxuriosi voluptati, avari vanitati, ſuperbi iniquitati*, in his enim punctum honoris conſiſtere nullatenus poteſt.

Non in duellis honor quari poteſt.

Aut in aliis peccatis.

Prov. c. 5. v. 9.

Hugo Card. hic

Non autem in adulterata illa, & non ſerpentina tantùm, ſed diabolica Politicæ Machiavellicæ prudentia, qua moderni Statiſtæ, tantùm ad Intereſſe proprium intenti, eò ſe prudentiâ clariores æſtimant, quò magis fingere, ſimulare, & politicâ larvâ decipere, ac contegere germanam & candidam animi ſinceritatem noverunt. Hæc enim apud modernos Politicos germana ruſticitas, & rudis nodoſitas, Religionis zelus, & Eccleſiæ defendendæ ardor, ruſtica indiſcretio, & publicæ quietis inordinata perturbatio vocatur. Hinc illi ſe moderno tempore, Politici famoſos jactant, qui in utramque partem dextrè claudicare, & pro humana reputatione, proprio intereſſe, & captandâ adverſariorum benevolentiâ, & patriæ, & Religionis jura cedunt, ita Ambidextri in ſuis negotiationibus, ut ſic patriam & religionem defendere decreverint, ne tamen adverſariorum favorem, & ſuam apud eos æſtimationem perdant.

Non in animi falſitate, & politica duplicitate.

VIII.

Sed dicant obſecro, naſuti iſti Politici, à quo honorem, & gloriam ſibi dandam, & exhibendam expectant? An à Deo? Abſit non enim ille falſorum cordium, & fallaciarum amator, aut remunerator eſt; *non dat alienis honorem ſuum.* An à Catholicis, & ipſa matre Eccleſia, quæ ab illis venalis inimicis ſuis proſtituitur, meritò de illis conquerens: *vocavi amicos meos, & ipſi deceperunt me!* An ab ipſis fortè adverſarijs, & Acatholicis gloriam ſuam, & honorem promovendum expectant? Acquirent fortè; & ab ijs deprædicabuntur viri prudentes, inſignes, diſcreti, publicæ quietis ſtudioſi, magno judicio & doctri-

Falſi Politici contemnibiles.

Thr. 1. v. 19.

Etiam Catholicis.

doctrinâ præclari, &c. Sed in faciem tantùm hos honoris titulos projiciunt, qui abiturientium terga convitijs, illusionibus prosequentur, stupidos, timidos, causæ & religionis suæ incurios, simplices & credulos Idiotas, &c. vocant; hæ laudes & encomia Politicorum spirituum. Nam sicut virtus etiam in hoste laudatur, sic vitium nec ab hoste, nec ab amico commendatur.

Sed ponamus ejusmodi Politicum à perversis adversarijs æstimari, laudari, & honorari, tamen honor iste, & laus, non est honorabilis, nam, si teste S. Bonav. de Instit. Novit. p. 2. c. 10. Bonaventura, *stultus est, qui stultis placere laborat*, etiam iniquus, & inglorius est, qui iniquis & & inglorijs placere studet. Optimè monet Seneca: *tam triste sit tibi laudari à turpibus, quàm si laudaris ob turpia.* Non itaque hæc illa prudentia est, quam suis nobilibus Germanis commendavit Carolus Magnus, sed illa, quæ germanam sinceritatem, & candidum patriæ & religionis zelum comitatur, hæc honorabilis & digna nobili viro prudentia, virtus autem gloriosa nobilitas est, vana autem illa, quæ in sola proavorum consistit prosapia, ut bene Poëta cecinit.

Apud Lyranum in c. 4. Lucæ in fine.

Nobilitas est denominatio extrinseca.

Et genus, & proavos, & quæ non fecimus ipsi, vix ea nostra puto.

IX. Profundè hæc nimis S. Thomas de Villanova: *In omnibus, de quibus gentes gloriantur, nihil inanius, nihil futilius, quàm genus..; si enim esset in hominibus, sicuti in alijs naturis, in plantis, in animalibus, in arbustis, in quibus ejusdem generis grandis varietas, & multiplicitas est, &c. Similiter in animalibus, in equis, leonibus, & cambus, grandis est à natura varietas, &c. sed homo ad hominem comparatus ex stirpe quomodo gloriabitur? aut quænam est ista generis tam inanis ambitio? Est namque natura humana, una, & simplex, in omnibus æqualis, nullam habens in se generis, neque perfectionis varietatem ... vanitas autem fecit in simplicissima hominum natura generum varietatem. Dic mihi obsecro, quid habent isti præ alijs? aut in quo isti præstant alijs? non ægrotant? non famescunt? non sitiunt? non frigent? non oscumbunt sicut alij? non patiuntur, quæ alij? non deficiunt, & lassantur, sicut alij? nunquid sunt hi alterius modi, aut sortis, quàm alij homines? aut robustiores, grandiores, pulchriores, fortiores; acutiores sunt, inquis: neque hoc ita est; videmus enim in his vulgares homines, sæpius nobilibus anteire... Quodsi in corporibus humanis esset tanta varietas, quanta est in canibus, adhuc homini non esset inde gloriandum, cùm eius potissima portio, animus sit, animarum autem omnium, unus est plasmator Deus. Vnde igitur intumescis homo, unde gloriaris?* Hucusque Villanova.

Gen. 2. de Nat. B. V.

Vanitas nobilitatis.

Genus animalium, varium.

Genus hominum omnibus æquale.

In

In generis ergo prosapia & nobilitate à proavis gloriari vanitas est, eam laboriosâ ingenij industriâ quærere, ambitio est; eam autem fuso pro patria sanguine adipisci, plausibilis generositas est, illam autem, reptando per dignitatum, & beneficiorum gradus, venari, & ex patrimonio Ecclesiæ eam sibi comparare, tumoris vitium est. De his Bernardus: *Videas pleroſque in Eccleſia Dei, de ignobilibus nobiles, de pauperibus divites factos, ſubito intumeſcere, priſtinæ obliviſci abiectionis, genus quoque ſuum erubeſcere, & infimos dedignari parentes.*

Aliqui ignobil. s. ex patrimonio Petri nobilitati.

S. Bern. hom. 4. super missus est.

Erubescunt suam ignobilitatem

Hanc ultimam nobilium sortem patitur, vel potius ab illa patitur Ecclesia, cæteras tolerat, licet à vanitatis fuco nõ admodum puras, ijsque honorem haberi, & magnificos suos appellari facilè sustinet, siquidem nobilitatis antiquitatem, honestate vitæ illustrent, nam sicut luna à sole, sic nobilitas à virtute splendorem accipit.

X.

Nec non cum nobilitatis honore se res habet, sicut cum vasis fictilibus: hæc omnia ex una massa luti formata, in domo figuli sunt æqualia, donec figulus quædam pulchro quodam exornet colore, & sic in igne solidata, in publico exponat foro. Siquidem autem nox sit, adhuc nihil splendoris affulgebit vasis, sed lux, aut dies accedat necesse est, quâ colores actuentur. Sic omnes homines ex una figuli domo, & massa, originali peccato infecta, processimus, uni tamen, alterive generis nobilitas, seu color quidam accessit, quo tamen nihilo alijs sunt venustiores, aut honoratiores, nisi color iste nobilitatis virtutum radijs, ac luce actuetur, & illustretur, his demum sive illustribus, sive perillustribus, sive illustrissimis vasis, reddite debita: cui timorem, timorem, cui honorem, honorem.

Sicut color à luce.

Sic nobilitas actuatur à virtute.

Rom. 13. v. 7.

Cavete autem viri nobiles, illustres, & equestres illustrissimi, ne ponatis maculam in gloria vestra, & splendorem ac colorem insignium vestrorum, nominum, ac stemmatum ebrietatibus, impudicitijs, injustitijs, aut quovis alio vitio maculetis & obscuretis, ac proinde intus & foris sordidi, non vasa in honorem, sed contumeliam facta videamini, frustra de majorum virtute, & nobilitate gloriantes; ne vobis illud dici possit, quòd aliquando ingeniosius quidam civis Florentinus, Romano, antiquam Romanorum virtutem, ac nobilitatem jactanti objecit:

Nobiles sine virtute

Vasa lutea sordida.

S. Bern. de Busto serm. 1. p. 2. de Nativ. B. V.

Coteſta fecciа, non hà di quel buon vino,

Quibus verbis indigitare volebat,

bat, generosam Romanorum nobilitatem olim quasi generosissimum in vase vinum floruisse, sed modò subtracto generositatis, & vini spiritu, non nisi fæces in dolio remansisse. Cavete, inquam, patriotæ nobiles, ne vobis majorum vestrorum nobilitatem, ac virtutem jactantibus etiam objici possit, quod vasa hæc lutea, & sordida, non amplius habeant illum foris honestatis splendorem, & intus virtutis bonum odorem. *quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus... Amicti auro primo* (virtutum scilicet, sapientiæ, germanæ sinceritatis, & honestatis) *reputati sunt in vasa testea, vitijs sordida, & obscura, opus manuum figuli. Et erunt post hæc decidentes sine honore*: Et, *qui me contemnunt, erunt ignobiles.* Itaque ad verum honoris punctum consequendum viam virtutis terite, vestigia virtuosa patrum vestrorum, imò ipsius Dei Filij sequimini, magna enim gloria sequi Dominum, cui soli honor & gloria in sæcula sæculorum, Amen.

Mutatus est color optimus.

Thren. 4. v. 1.

Sap. 4. v. 19.

1. Reg. 2. v. 30.

DISCVRSUS XXXII.

Samech.

Torcular calcavit Dominus, Virgini filiæ Sion. *Thren. 1. v. 15.*

DE ANIMA.

Misericordia fuit, quòd Deus hominem, post lapsum, fecit ipse mortalem, ut à torcularium horum pressura liberetur.

1. OCtuagesimus psalmus, *In finem pro Torcularibus, filijs chore*, inscribitur, cùm tamen notet S. Augustinus, nihil in ejus contextu vel de prælo, vel de fiscinis, vel de lacu, vel de instrumentis, aut ædificio torculari memorari. Unde (ait Augustinus) *non dubitatur esse alia torcularia, quæ nos hîc quærere, & intelligere voluit spiritus Dei.* Nempe ipsas pressuras, tribulationes, quibus (licet ad suam salutem) in hac vita conteruntur, & comprimuntur homines; & quidem tales ac tantæ sunt hæ pressuræ, ut meritò sub ipsis mortales miseri, & afflicti gementes, exclament: *quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum, concupiscit, & deficit anima mea in atria Domini. Erant in tabernaculis quibusdam, id est, in torcularibus* [exponit præfatus Doctor] *sed desiderabat alia tabernacula, ubi nulla pressura est.* Nec magis suspirat anima illorum supernorum tabernaculorum dulcem refocillationem, quàm inferiorum horum torcularium excussionem, unde vitam, & cum pressura vitam non prolongari, sed abbreviari desiderat.

S. Aug. in psal. 83.

Psal. 83. v. 2.

Torcularia, sunt mundi pressura.

Vt liberationis spes esset.

rat, etiã inter alia divinæ beneficentiæ munera, hoc cõumerans, quòd (ut è tantis, & tam innumeris torcularium horum pressuris celerem liberationem sperare anima posset) ipsum corpus fecerit corruptibile, atque mortale.

Deus nos fecit mortales.

II. Ex qua, unumquodque compositum, materia constat, in eandem etiam resolvitur; imago ex auro fusa, in auream iterum massam defluit in igne, ærea in æs, &c. Nix ex aqua, combinata, vel sal, in aquam iterum resolvitur, &c. Sic homo, quia ex terra, & pulvere formatus est, in pulverem ejus corpus, & terram revertetur, *quia pulvis es, & in pulverem reverteris.* Septuaginta legunt: *quia terra es, & in terram ibis.* Digna hæc, & rigorosa fuit inobedientiæ Prothoplastorum nostrorum pœna, in omnes posteros transfusa, & siquidem homini post lapsum adhuc plena inhabitandi Paradisi facultas, & expers omnis laboris vita, ac antiqua terræ frugalitas, animalium obedientia, sanitatis continuatio, à fame, siti, frigore, & æstu exemptio fuisset concessa, dura, & insupportabilis hæc generi humano videri poterat sententiæ fulminatio de morte. Sed ex suppositione, quòd post lapsum tota Adami posteritas terram spinis horridam, à Paradiso voluptatis exilium, panem in sudore vultûs lucrandum, creaturarum rebellionem, famis, sitis, frigoris, & æstûs molestiam, morborum languores, & in peccatum pronitatem experta sit, concludit optimè, & docet ex Platino Rupertus Abbas: *Misericordiæ Dei fuisse, quòd hominem fecit mortalem, ne perpetuæ cruciaretur hujus vitæ ærumnis*, sub pressura torcularium.

Gen. 3. v. 19.

Inobedientia Adæ morte punita.

Post factum lapsum,

Mors sui beneficium.

Apud Cornelium hic v. 19.

III. Pressuram horum torcularium abundè fuerat expertus Patriarcha Jacob de una miseria & pressura in aliam jactatus, quare non sine causa, à Rege Ægyptio de vitæ suæ ætate requisitus respondit: *Dies peregrinationis meæ, centum triginta annorum sunt, parvi, & mali.* Parvos dies suos dixit, quia respectu majorum suorum [qui ad 200. 300. & 500. annos, & ultrà, vitam suam protraxerant] pauci erant: mali autem erant, ex multis & varijs, quas perpessus fuerat, pressuris. Nam imprimis magnas à proprio fratre suo germano perpessus persecutiones, si salvare vitam vellet, è paterna domo exulare, & in Mesopotamiam abire coactus fuit. Secundò, in domo soceri sui Labani, quos non labores sustinuit durante illa viginti annorum durâ servitute? *die noctuque, æstu urebat, & gelu.* Tertiò, quan-

Gen. 47. v. 9.

Pressura Patr. Jacobi.

1. Persecutio Esau.

2. Labani in domo Soceri.

3. Occursus Esau armati.

quantum concepit timorem è Mesopotamia recedens, dum exacerbatum fratrem cum quadringentis armatis viris, ad delendâ totâ domu suâ, sibi obvium haberet? Quartò magnis premebatur angustijs Jacob ob curiosam filiam suam Dinam ignominiosè raptam, & secutas inde per filios suos cædes, quæ domum Jacobi continuo exponebant periculo, ne improvisò à Sichimitis obrueretur. Quintò, non parum animum ejus affligebat immatura charissimæ uxoris Rachelis mors. Sextò, nec minùs illum premebat infamis ille à primogenito suo Ruben, cum paterni thori violatione, perpetratus incestus. Septimò supra modum verò intima cordis acerbo vulnerabat dolore, intincta sanguine tunica charissimi filij sui Josephi, à fera pessima (uti putabat) devorati. Octavò, senectute & ærumnis jam pene confectum Jacobi animum cruciabat sævissimè, in captivitate detentus Simeon, cum dilectissimo Beniamino obsidè, dum ex Ægypto avcherentur frumenta. Nonò, malorum ultimum fuit, quòd in gravi sua senectute, relinquere patriam suam terram Chanaan, & in Ægyptum transmigrare fuerit coactus, tam graviter ferens, quòd ultimum suum diem in terra alienigenarum claudere juberetur, ut saltem ossa ibi non relinquenda, sed in patriam transferenda mandaret. Utique pressuras, utique torcularia expertus fuerat Jacob in paucis, sed malis peregrinationis suæ diebus; in hoc maximè divinæ obstrictus misericordiæ, quòd se mortalem, & dies peregrinationis suæ paucos fecerit, ne perpetuis cruciaretur hujus vitæ ærumnis, *quid enim est diu vivere, nisi diu torqueri?* ait S. Augustinus.

4. Lapsus Dinæ.

5. Mors Rachelis.

6 Stuprum Rubenis.

7. Tunica Ioseph.

8. Beniamin obses.

9. Mors extra patriam.

S. Aug. de verb Dom. serm. 27.

IV.

Neque hæc sors in solum cecidit Patriarcham Jacob, sed vix erit, qui non totidem, aut plures vitæ suæ numeret ærumnas, & afflictiones, ut bene cum illo Poëta devoto, sive canere, sive gemere possit,

Quàm mea per varios vita est exercita casus
Vt pila percussu pulsa repulsa manûs.

Repletur homo miseriis.

Dum scilicet homo de afflictione, de miseria in miseriam instar pilæ jactatur, nullum, nisi cum fine vitæ, & miseriarum finem, & quietem sperans. Altis hoc deplorat suspirijs patiens Propheta; *Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miserijs.* Breve tempus, sed brevis temporis multæ miseriæ, *si enim subtiliter consideretur* (ait in hunc locum Gregorius) *omne, quod hic agitur, pœna & miseria est.* Nam etiam corpori nostro in suis deservire

Iob. 14. v. 1.

S. Greg. 11. moral. c. 26.

necessitatibus miseria est: quòd contra frigus vestimenta conquirantur, contra famem cibi, contra æstum refrigeratio, quid nisi miseriæ genus est? Quòd magnâ cautelâ corporis sanitas custodienda sit, custodita amittatur, amissa restauretur, restaurata adhuc semper dubia, & periculosa sit, *quid hoc aliud, quàm mortalis vitæ miseria?* quòd amicos amamus soliciti tamen de eorum jacturâ, aut offensione, quòd timemus hostes, ab ijs minus securi eósq; dulcib⁹ verbis tanquâ amicos lactamas, è contra verò etiã amicorum verba, tanquam aversoanimo prolata, sinistrè apprehendimus, quid aliud hoc, quàm pœna & miseria est? imó vero (addit S. Gregorius) *quòd amissa cœlesti patriâ repulsus homo, delectatur exilio, gravatur curis, & tamen cogitare dissimulat, quàm grave sit, quòd privatus est interno lumine, & tamen in hac vita, diu vult perpeti cæcitatem suam, quid hoc aliud quàm de pœnâ vestrâ, nata miseria est!* Homo enim, natus de muliere, repletur multis miserijs.

Fames, frigoris, infirmitatis.

Cæcitas interna, miseria est.

V.

Homo quid?

Has satis agnoverunt ipsi etiam Philosophi Gentiles: si enim ex Aristotele quæramus, quid est homo? respondebit: homo est fortunæ lusus, inconstantiæ imago, corruptionis speculum, temporis spolium, mancipium mortis, viator transiens. Si Plautum consulamus? est (inquiet) Pila, qua ludit Deus.

Apud Cornelium Gen. 3. v. 2.

Hominem Seneca vocat, imbecillium corpus & fragile, nudum, inerme, alienæ opis indigens, ad omnem fortunæ contumeliam projectum. Corruptionis vinculũ, viva mors, sensitivum cadaver, sepulchrum circumvertibile, velamen opacum; deprædicatur homo à Trismegisto; simulachrum, & tenuis umbra à Sophocle, umbræ somnium à Pindaro, ab alio quodam Philosopho, exul, & & incola miseri mundi vocatur, quid enim jam est mundus, nisi scrinium dolorum, schola vanitatis, forum impostorum? Et si meum quoque liceat addere judicium, quid mundus aliud, quàm *Miseriarum theatrum*, in quo actor homo in scenam prodiens, tragicam agit fabulam, à plorando inchoans Prologum, varijs casibus alternatos percurrit fortunæ actus, rara & brevia lætitiæ habet intermedia, & dubium expectans mortis tremens Epilogum, exire trepidat, & diutiùs jactari miserijs non sustinet.

Vita humana cloaca.

Vita comœdia.

VI.

Advertit etiam S. Augustinus, quòd vitæ suæ comœdiam à plorando incipiat homo: *puer à ploratu incipit, nec ridere potest.* *Propheta calamitatis, lachrymæ sunt testes miseriæ, non adhuc loquitur, & jam prophetat.* Student nutrices cantando infantis mitigare ploratum, sed *erubescant* (ait præfatus

Apud S. Bonav. in Pharet. l. 1. c. 7.

A plorando incipitur vita.

tus Doctor) *cantatrices ibi non flere, ubi infans, qui non est unius diei, prædicat esse flendum*, dum scilicet tantas sibi, flendo prophetat miserias.

Puerum magna expectant miseria.

Quæ enim non ærumnæ, miseriæ, & labores parvulum expectant pucrulum, donec è luto fæcis extractus, eductus, & educatus, seipso loqui, ambulare, comedere & se vestire possit? quot non requirit labores, & sudores, donec competentem statui suo acquirat scientiam, & experientiam, sive in artibus mæchanicis, sive liberalibus, sive exercitijs equestribus, sive militaribus. Et siquidem summo eam labore comparaverit, *quid habet amplius homo de universo labore suo, quo laborat sub sole? supple* (ait Hugo) *quàm laborem*? laborem seminando, laborem metit. Omnium in hoc mundo experientiam haurire voluit Salomon, ut saltem errando, & oberrando disceret; in quo perfectam animi tranquillitatem posset invenire, sed in omnibus expertus fuerat, quòd *in his quoque esset labor, & afflictio*, sive (ut Arabicus legit) *angustia spiritûs*, in omni statu, loco, ætate nil nisi afflictio, & angustia spiritûs & miseriarum repletio, quibus anima plena, eas etiam in omnes effundit potentias, angustiatur enim memoria miseriarum apprehensione, & recogitando præterita, jam perpessa; pensando futura sustinenda, adhuc fortè graviora, affligitur intellectus: torquetur voluntas exortis inde timoris, spei, tristitiæ, & aliarum passionum procellis, animum miserè exagitantibus. Verbo ut absolvam, repletur miserijs. Hinc Bernardus, *quid non grave miserio, quibus & vivere labor est?*

Eccl. 1. v. 3.

Hugo Card hic.

Omnes potentiæ replentur miserijs.

S. Bern. ser 2. Septuag.

Si ergo vivere labor, & vita laboriosa est inter tot miserias, quidni beneficium sit, vitam dedisse homini mortalem, & brevem? Quid optas ô homo? *multos annos vivere? senescere? non attendis, quia si senectutem optas venire, hoc optas, de qua cùm venerit, conqueraris.* Senectus enim ipsa, est morbus, & labor. Bene monet Plinius: *Natura brevitate vitæ, nihil melius præstitit hominibus*, certam enim cum vita, finiendorum malorum spem habemus. Notat quoque Lactantius: *hæc vita, quia brevis est, idcirco & bona eius, & mala, brevia sint, necesse est.* Longè autem mala in hac vita emergentia, præponderant bonis per mortem cessantibus; parvi enim interest bona hujus vitæ, varijs mixta, & venenata amaritudinibus, brevi esse finienda: magni verò ponderis sunt mala, miseriæ, & pericula vitam hanc comitantia, præsertim si ipsas pec-

Plinius l. 7. c. 50.

Lactant. l. 6 de vero cultu c. 6.

Brevis vita, beneficium est.

can-

candi occasiones, & pronam ad vitia fragilitatem humanam contemplemur: Nam, teste Doctore mellifluo, *quantò amplius vivimus, tantò plus peccamus: quantò est vita longior, tantò culpa numerosior: quotidie namque crescunt mala, & subtrahuntur bona. Assiduè variatur homo per prospera & adversa, &c.*

S. Bern. meditat. c. 2.

Diu vivere, diu peccare est.

Quidni itaque homo, & ipsa vita humana, vanitati similis esse dicatur? quam etiam vanitatem vocat Ecclesiastes: *hæc quoque vidi in diebus vanitatis meæ* S. Bonav. & Hugo Card. legunt, *Nativitatis meæ, id est, in præsenti vita*, exponit Hugo. Et quidem, *vita præsens, vanitas dicitur, quia tota triplici vanitati subjecta est, scilicet mutabilitati, mortalitati, iniquitati.* Consentit hisce Cornelius: *dies vanitatis vocatur præsens vita, quia vanitati, id est, inanitati, mutationi, morti, miseriis, peccatis obnoxia.*

Eccl. 7. v. 16.

Hugo hîc

Cornelius hîc.

Vita vanitas.

Et quis non magnam dixerit humani genij malitiam, cùm sciat homo vitæ suæ infallibilem brevitatem, & mortem, & tamen tantos pro venandis concupiscentijs suis tumultus moveat, rixas excitet, classica sonet? quid acturum putatis, si instar spirituum foret immortalis? aut saltem longam trecentorum, quingentorum, aut nongentorum annorum ætatem sperare posset? intolerabilis planè foret humani generis fastus, ac petulantia, cui edomandæ vitam hominis temporalem, ac brevem fieri necesse fuit, ut tam malitia, quàm alia quævis humanæ naturæ mala, & miseriæ abbreviarentur. Optimè ad propositum nostrum Olympiad: *siquidem peccator est, qui decedit, peccare ultrà tam definit, qui verò fuerit iustus vitâ perfruetur æternâ*, à torcularibus liberatus.

Homo mortalis iam præsumpsit spes.

Quid sperare immortalis.

Apud Corn. in Eccles. c. 7.

Adeóque tam justis, quàm peccatoribus *melior est dies mortis, die nativitatis.* Quia (ut bene Hugo observat) *dies mortis, est egressus de præsenti miseria; dies nativitatis, est ingressus in illam.* Si semel in hanc miseriarum foveam nascendo ingressus est homo, infallibili saltem egressûs assecuratione in miserijs suis, se consolari poterit.

VIII.

Eccl. 7. v. 2.

Hugo Card. hîc.

Mors nativitati melior.

O passi graviora, dabit Deus hîs quoque finem.

Afflictos igitur & omni solatio destitutos, saltem vitæ brevitas, & mors (quæ est è vita, & miserijs egressus) consolari poterit. Maximum quod aliquis damnatis in inferno animabus ferre posset solatium, foret, si spem facere posset, obventuræ sibi mortis, quæ finem demum malis omnibus imponeret: *quærent* namque *homines mortem, & non invenient eam, & desiderabunt mori, & fugiet mors ab eis.* Abscissa ergo spes mortis, spem etiam

Mortis spes consolatur afflictos.

Apoc. 9. v. 6.

fini-

finiendæ miseriæ abscindit: uti enim nulla mors, nullus etiam est egressus è miserijs & torcularibus. Homini autem viatori hanc præstitit Deus gratiam, ut repletus quidem multis miserijs, saltem brevi vivens tempore, de acceleranda liberatione sua non diffideret.

IX. Dic mihi obsecro, utrum captivo consolabilius, si carcer ipsi perpetuus, vel ad certum, & breve tantùm tempus determinatus, fuerit denuntiatus? quid corpus, nisi animæ fœtidus carcer? hunc carcerem non perpetuum, sed citiùs effringendum optabat ille, qui alto exclamavit suspirio: *Cupio dissolvi, & esse cum Christo. Mors enim nihil aliud est, quàm exitus de carcere*, ait Hugo Card. Quid à patria exul, & proscriptus, inter ærumnas exilij sui magis ingeminat, & suspirat, quàm ut postliminio reverti, & exilij sui finem videre sibi liceat? non mortem horreatis exules filij Evæ, est enim mors (eodem auctore teste) *finis exilij*. Quid homini laborioso optatius, quàm ut abstersо semel, per pondus diei & æstum tolerato, sudore, à labore respirare, & quiescere sibi liceat? quid est mors, nisi *laboris consummatio*? feris diu tempestatibus jactatus Nauta, cùm mali conscenso apice de longè terram prospicit, exultat, ac diuturnis laboribus, & periculis pene fractus, lætus tandem ad littus navem applicat. Quid est vita? molesta navigatio, quid mors? *Ad portum applicatio*. Nil tædiosius viatori, quàm si in via longis uti ambagibus, vel subsistere omnino cogatur, in terris alienigenarum detinendus. Quid est mors? nisi *peregrinationis finitio*. Magno gravatus pondere, & onere pressus, maximè se illi obstrictum fatetur, qui citiùs ex humeris onus tollit. Pondus grave & onus est corpus hominis, juxta Sapientis oraculum: *Corpus, quod corrumpitur, aggravat animam*. Factus sum mihimet ipsi gravis, ait Job: dum nempe (ut observat Greg.) Homo à *carne molestiæ, à mente quæstiones tolerat, grave nimirum pondus, semetipsum portat*. Est autem mors *oneris gravissimi, scilicet corporis depositio*.

Tædiosum non minus, ac periculosum est equiti, effræni & indomito insidere equo, qui vel umbraticus, à quovis volante folio tremefactus, stat attonitus, nec calcarium stimulis, nec virgis cedens; vel excusso fræno, in cursum toto effusus impetu, per devia & avia, in fossas & foveas, in extremum periculum, unà secum præcipitat equitem. Equus lascivus, & indomitus, in voluptates effu-

Mors exitus è carcere.

Philipp. 1. v. 23.

Hugo Card. in Ecclesiast. cit.

Finis exilij.

Laboris consummatio.

Ad portum applicatio.

Peregrinationis finitio.

Sap. 9. v. 15.

Iob. 7. v.

Iob. 20.

Greg. 8. mor. c. 20.

sus, & effrænis, ad bonum verò umbraticus & pavidus, est caro hominis, quæ sicut ad bonum nullis agi potest stimulis, ita ad transilienda Dei mandata, nullis potest cohiberi habenis, mors autem equitem, animam, reddit securitati, est enim mors *de equo furioso, id est, carne, descensio.*

De equo furioso descensio

X. Qui domum inhabitat luteam, & ruinæ proximam, vix securus capere somnum potest, pavidus ad quietem secedit, vel ventorum vehementiâ, vel inundantium aquarum impetu timens diruendam, unde nihil illi optatius, quàm ex domo ruinosa in firmum migrare palatium. Domus lutea, ruinosa, & magnis fœtida sordibus, est corpus humanum, continuâ indigens & purgatione, & reparatione, hanc summa cum animi trepidatione hospes inhabitat anima, cui tamen contingit in morte, *de ruinosa domo liberatio.* Quibus non infirmitatibus, morbis & affectibus cruciatur humanum corpus? pedes podagrâ, manus chyragrâ, pulmo phtysi, hepar hecticâ, splen hypocrontiâ, venter hydropisi, viscera torminibus, stomachus eructationibus, cor palpitationibus, collum anginâ, caput vertigine affligitur, corpus totum æstuantibus aduritur febribus, &c. Vix domum intrabis, ubi non singultientem reperias infirmum: quis aut infirmis, & infirmitatibus sufficientes aut medicos aut medicinas subministrabit? At ecce una pro omnibus hisce dolorosis malis medicina infallibilis! sine auro & argento comparanda, quæ gratis, & sponte sese offert; & hæc est mors, *Omnium ægritudinum terminatio.*

De ruinosa domo liberatio.

Morborum medicina.

Conqueritur homo de tot periculis, undique sibi imminentibus, & conspirantibus in eum tota elementorum universitate, ac inimicorum insidijs undique paratis. Sed in morte, uti omnis periculi, ita & metûs terminus; est enim mors, *omnium periculorum evasio.* Tot nos circumdant mala, quæ undique nos premunt, mala culpæ, mala pœnæ, mala fortunæ, mala infamiæ, mala persecutionum, mala bellorum, devastationum, &c. Sed mors est *omnium malorum consumptio: est omnium vinculorum diruptio, debiti naturalis solutio.* Et quod maximè appetit homo viator, *est reditus ad patriam, ingressus ad gloriam, è contrario nativitas est omnium malorum ingressio,* concludit Cardinalis à S. Caro.

Periculorum evasio.

Malorum consumptio.

Ingressus ad patriam.

XI. Melior est ergo dies mortis, die nativitatis. Quod etiam Ecclesiasticus confirmat: *Occupatio magna (alij legunt) molestia, inquietudo, ærumnæ) creata est omnibus*

Eccl. 40. v. 1.

bus hominibus, & jugum grave super filios Adam à die exitûs de ventre matris eorum, usque in diem sepulturæ in matrem omnium. Mala, quæ homo trahit à matre in nativitate, tollit terra mater in morte, & in sepulturâ; ut nativitatem, in hominem novercam, matrem verò propitiam, vocare mortem liceat. Illa enim nos torcularium pressuris subjicit, hæc subtrahit; illa concludit carceri, hæc liberat; illa in exilium proscribit, hæc revocat; illa laboribus aggravat, hæc sublevat; illa in mare jactat, hæc ad portum applicat; illa peregrinationem incipit, hæc finit; illa grave onus imponit, hæc deponit; illa furiosum equum facit ascendere, hæc descendere; illa domum ruinosam facit inhabitare, hæc evitare; illa infirmitates inchoat, hæc terminat; illa pericula adit, sed hæc evadit, illa malum omne struit, hæc consumit; illa vincula injicit, hæc dissolvit; illa debitum mortis contrahit, hæc solvit; illa recedit à patria, hæc redit; illa egreditur è paradyso, hæc ad gloriam ingreditur.

Nativitatem verca.

Mors mater.

Misericordiam igitur & Justitiam cantabo tibi Domine, qui Prothoplastã nostrum è paradyso ejectum, & veste innocentiæ originalis exutum, ita *fiat.* cum posteris suis in ærumnas & miserias innumerabiles detrusisti, ut brevi eorum esset sperandus finis; & ita torcularium gravium pressuras nobis immittis, ut tamen tabernacula, in quibus nulla est pressura, nobis brevi adeunda reservares. In torcularibus igitur prementibus positi, ad illa tabernacula suspiremus, in quibus nulla est pressura, sed quæ sponte & abundanter cœlestem distillant consolationem, quæ omnem absorptura vitæ hujus ærumnosæ amaritudinem; æternâ nos recreabit dulcedine, Amen.

Mors justitiam & misericordiam Dei manifestat.

DISCVRSVS XXXIII.

Ain.

Idcircò ego plorans, & oculus meus deducens aquas, quia longè factus est à me consolator. *Thren. 1. v. 16.*

DE ECCLESIA.

Ain interpretatur fons, vel oculus; fons aquæ vivæ est Christus Iesus, sed quia hoc neglecto currunt multi fidelium ad cisternas mundi dissipatas, ideò oculus afflictæ Ecclesiæ uberes deducit lachrymarum aquas.

1.

Ain, idem quod Fons, vel oculus.

Idcirco ego plorans, & oculus meus deducens aquas; præponitur huic versui Ain, quod *Fons, vel oculus* interpretatur. Sed quæ oculo cum fonte convenientia? Nempe cum irriguis oculus fluit lachrymis, fontis quasi induit naturam; unde & Jeremias, populi sui afflictionem in spiritu prævidens, ut satis, collacrymando, compassionem suam possit ostendere, exclamat: *quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum, & plorabo die, ac nocte.* Fons ergo & oculus huic versui præponitur, in quo lamentabilis resonat vox Ecclesiæ, uti Interlinearis notat, cujus oculi filiorum suorum perditorum miseriam deplorant, & fontem aquarum imitantur! Accuratè verò

Jerem. 9. v. 1.

Fons à latere Christi.

Gl. ordinaria. verò considerat Glossa Ord: Fonti Torcular, in priori versu, præcessisse; *Cùm enim prælum Crucis pressit, de Christi latere fons emanavit.* Fons ergo Christus est, qui sitientes ad se invitaturus populos, *in novissimo die magno festivitatis stabat, & clamabat dicens: si quis sitit, veniat ad me, & bibat.* Hujus ergo vivi Fontis saluberrimas exploremus venas, & aquas, dum interim lacrymarum fontem fundit Ecclesia, contuens filios suos perditos, relictis his vivis, fontis divini, venis & aquis, ad cisternas dissipatas, & aquas turbidas Ægypti hauriendas currere.

Ioan. 7. v. 37.

II. Nihil magis hortum regium amœnissimis floribus & plantis consitum decet, quàm aquarum venæ, quæ per concavas, & mira arte elaboratas fontium figuras, in altum saliunt. Solent autem subinde non tantùm horti tales amœni, sed etiam ipsi fontes concludi, ad usum solummodo Magnatum reservati: Hinc illud Canticorum: *Hortus conclusus, Fons signatus*: Ad literam, Fons iste signatus, erat inclytus ille, & in regio ac concluso Salamonis horto, Fons Rogel, irrigans hortum conclusum, ex quo bibebat Rex: uti notat Cornelius, qui addit, etiam apud Persas fuisse fontem, ex quo solus Rex, ejusque biberet primogenitus; similem etiam fontem in Hispania idem auctor comemorat juxta Complutum, ex quo pro solo Rege aqua depromitur.

Fons decus hortorum.

Cant. 4. 12.

Fons signatus,

Cornelius hic.

Hortus conclusus est Ecclesia, Fons Christus, de quo Psaltes regius ait: *Apud te est Fons vitæ.* Sed Fons iste erat signatus. Cor enim Christi amantissimum, in quo venæ aquarum viventium amoris, & misericordiæ ebulliebant, signatum, & concluſum usque ad mortem remansit. Quatuor quidem fontes divini hujus paradisi, ex pedibus scilicet, ac manibus sacratissimis viventis adhuc Redemptoris nostri scaturientes, uberrimè se toto spectante orbe effuderant, at primarius ac regius Fons cordis, signatus usque post mortem conservabatur, ne diutiùs eo aridus privaretur mundus, violentâ militis manu recludendus, *& unus militum lancea latus eius aperuit, & continuò exivit sanguis & aqua.* De Christi ergo amoroso corde, & latere Fons emanavit, quem spiritu prophetico ebullientem viderat Ezechiel, egredientem de templo à latere dextro, & omnes ad quos pervenit aqua ista, salvi facti sunt, &c.

Est Christus.

Psal. 35. v. 10.

Erumpens ex manibus, & pedibus.

Ex latere.

Ioan 19. v. 34.

Ezech. 47. v. 2.

Aperiri ergo, & recludi hunc aquæ fontem voluit Christus, non solis reservandum Regibus, sed omnibus communicandum egentibus, & infirmis.

Fons patens omnibus.

hanc ipse aquam vitæ jam toti proclamaverat populo, in magno festivitatis die clamans: *Si quis sitit, veniat ad me.*

III. In famosis thernis, acidulis, & aquis pretiosis mineralibus signantur, & occluduntur fontes, nulli sine pretio assignato concedendi, aut recludendi. Emanavit de latere Christi fons, saluberrimas nobis parans thermas, sed thermas publicas, & nulli reclusas; omnes languidi, omnes egentes *venite ad aquas, properate, venite, emite, absque argento, & absque ulla commutatione*, venite ad fontem de templo à latere dextro egredientem, nam *hoc fonte emitur, & lavatur sponsa*, ait glossa.

Isaiæ 55. v. 1.

Glossa in Thren. hîc.

Hoc emitur, & lavatur sponsa.

Mirus hic, glossæ, loquendi modus est, quòd sponsa hoc fonte emitur, & lavatur, sunt enim termini nimis disperati, lavare, & emere. Lavando námque aqua, & emendo requiritur pecunia, vel aliud pretium pecuniæ numeratæ æquivalens: neque lavando pecunia, aut emendo quadrat aqua.

Hîc autem observandum, quòd non sicut alij Fontes minerales, iste aut sulphur, aut cuprum, aut nitrum vehit, sed sanguinem, *exivit sanguis & aqua.* Sanguis ergo sanandæ, aqua lavandæ deservit sponsæ. Confirmat hoc S. Ambrosius, *Ex illo corpore defuncto, vita manabat; Aqua enim, & sanguis exivit: illa quæ diluat, iste qui redimat.* non est anima tam arctè, & graviter dæmoni oppignorata, quæ non hoc sanguine valeat redimi, nec maculæ, aut sordes animæ tam abominabiles, quæ non hac aqua possint perfectè dilui, & lavari. *Hoc fonte emitur, & lavatur sponsa.*

S. Ambr. in c. 32. Lucæ.

IV. Optimè de hoc fonte prophetavit Zacharias: *in die illa erit fons patens domui David, & habitantibus Ierusalem, in ablutionem peccatoris, & menstruatæ.* Fons iste domui Dei, id est Ecclesiæ patefactus referre videtur fontem Siloë, adeóque (si Cornelio fidem habemus, uti fas est) Propheta hîc, *alludit ad fontem Siloë, qui typus fuit Christi.* Ad hunc fontem misit Christus cæcum illum à se luto, & sputo linitum, atque sanatum: *vade & lava in natatoria Siloë*, Arabicus legit, *in fonte Siloë*, cuius interpretatio est *Missus.*

Zach. 13. v. 1.

Cornelius hîc.

Ioan. 9. v. 7.

Fons Siloë typus Christi.

Fons iste, hodieque Saracenis in pretio est, nam cum corpore naturaliter instar hircorum fœteant, in hoc fonte se, & pueros suos lavant, eáque lotione fœtorem suum mitigant. Quin & eam Turcæ magni faciunt, quòd ejus usum oculorum visui conferre experiantur. Ita Saligniacus.

Saraceni in eo fatorem abluunt.

Immunda, & quasi hircus fœtidus, erat sponsa, nempe Ecclesia:

Cant. 1. v. 6.

sia ex gentibus electa, vagata post greges sodalium suorum, id est, aliæ gentes infideles, ait Lyranus; cæca erat, & luto erant liniti oculi ejus, sed in hoc fonte Siloë [qui typus est Christi, maximè autem vulneris lateris, à quo etiam Longinus visum recepit] lavata, & fœtorem, & cæcitatem deposuit. *Quoniam apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen; quis est fons vitæ,* (quærit S. Aug.) *nisi Christus?*

Lyranus hic.

Anima lavatur.

Psal. 35. v. 10.

V.

Addit Doctor mellifluus: *Fons est, qui nunquam potest exhauriri: Fons nobis est Christus Dominus, unde lavemur, sicut scriptum est; qui dilexit nos, & lavit nos â peccatis nostris. Apoc. 1. Veruntamen non iste solus aquarũ est usus, nec tantùm sordes abluunt, sed & sitim extinguunt.*

S. Bern. serm. 1. de natali Dom.

Non intermittunt sitientes filij Adæ ad aquas currere, & haurire: currebat etiam mulier Samaritana (quam S. Bonav. nomen Luciæ habuisse asserit) ad aquas, scilicet ad fontem Jacob, juxta Sichar. Comparuit ibidem etiam Jesus, *& fatigatus ex itinere, sedebat sic supra fontem*; non minus autem sitiens, quàm fatigatus, alloquitur mulierem: *Da mihi bibere.* Mirum! (Exclamat hîc Augustinus) *fons sitit?* Ille, qui sitientes omnes ad se invitat: *si quis sitit, veniat ad me, & bibat, &c.* Sitit? quid autem, aut quare sitit? *sitit sitiri Dominus,* respondet Greg. Nanz: magis avidus aquas vitæ dare, quàm accipere. Hinc Samaritanæ dicit: *si scires donum Dei, & quis est, qui dicit tibi, da mihi bibere, tu forsitan petisses ab eo, & dedisset tibi aquã vivam.* Miratur mulier: *unde ergo habes aquam vivam? Nunquid tu maior es patre nostro Iacob, qui dedit nobis puteum, & ipse ex eo bibit, & filij ejus, & pecora eius.*

Samaritana nomen Lucia.

S. Bonav. in vita Christi, c. 31.

Ioan 4. v. 6.

S. Aug.

Gr. Nanz. orat 40 in S Bap tisma.

Christus sitit sitiri.

Nota hîc fontem Jacob, propriè non fontem fuisse, sed puteum, fons enim est, ex quo aquæ per tubos, aut canales collectæ sponte saliendo fluunt, & se effundunt; ex puteo verò non nisi laborando, & hauriendo aquæ haberi possunt. Fons aquæ vivæ sunt charismata Dei, & gratiæ, puteus sunt temporales concupiscentiæ & delitiæ, ex quo moderatè homines rationis ductu gubernati, sed intemperanter pecora, homines irrationalibus sensualitatis suæ motibus acti, bibunt, & se ingurgitant; sed non sine labore, est enim puteus, qui aquas gaudij temporalis non sine labore concedit, cum tamen fons vitæ Christus, aquarum suarum gratias sponte, & abundanter effundat, has tamẽ negligens peccator, cum Samaritanæ dicit: *Nunquid tu maior es, patre nostro Iacob, qui dedit nobis hunc puteum? ita respondet peccator* (ait Hugo) *quando monetur, ut sitiat aquam gratiæ, fontem aquæ vivæ, & relinquat puteum*

Differentia inter fontem, & puteum.

Christus fons saliens.

Hugo Card. hîc.

zeum concupiscentiæ, vel temporalis abundantiæ, &c. Omnis autem qui ex puteo hoc bibit, *omnis qui bibit ex aqua hac*, id est, *qui temporali abundantiâ impleri voluerit*, exponit præfatus auctor, *sitiet iterum*, *scilicet voluptatem sæculi*, *quam talis aqua significat*, uti Interlinearis glossatur. *Qui autem biberit ex aqua, quam ego dabo ei*, ait Christus, *non sitiet in æternum, sed aqua* (*id est gratia* secundùm Hugonem) *quam dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.*

Gl. Interlin.

Sitim extinguens.

VI.

Visio B. Nicolai de Flüe.

In extasin subinde raptus B. Nicolaus de Flüe, insignis ille Helveticæ reipublicæ patronus & patriota, viderat in aperto campo, quendam, vivis aquis abundè salientibus patentem fontem, qui divinam figurabat, ac denotabat gratiam. Huic astabat vir gravis, clarâ voce inclamans: O filij hominum, quid siti tabescitis? Haurite per sacram pœnitentiam, ac magnæ Deiparæ intercessionem, aquas vivas divinarum gratiarum. Sed pauci ad hauriendum comparuerunt, circumvagantibus ex altera campi planitie copiosis hominibus, qui vel reparandis sepibus, vel construendis pontibus, aut erigendis domibus, aut excolendis agris, pascendisve pecoribus captando lucro intenti, parum de accedendo fonte, ejusque hauriendis aquis curabant; quod copiosas viro sancto ex oculis lacrymas expressit.

Igitur sitientes venite ad aquas, ad aquas sponte & abundanter salientis fontis, fontis signati, qui lanceâ Longini reseratus, ex latere Christi emanavit, ibi *haurietis aquas in gaudio, de fontibus Salvatoris.* Sed oculus Ecclesiæ fontes effundit lacrymarum, amarè deplorans filios suos perditos, qui ad salientis fontis aquas habitant, & tamen siccitate, & siti pereunt, à quibus longè factus est consolator, & consolatio. Ad fontem, & aquas morantur, & tamen in peccatorum suorum sordibus tabescentes, lavare se & mundare negligunt. Jacent ad Natatoriam Siloë, & tamen adhuc ut hirci fœtidi, malæ vitæ odorem diffundunt, & cæci oberrant.

Isa. 12. v. 3.

Pauci ad fontem veniunt.

Percussum est latus lanceâ, & fluxerunt Sacramenta; Thermas nobis ex proprio paravit sanguine, ad curandam Babylonem, & non est sanata.

Famosa utique illa fuit *Piscina probatica Ierosolymis, quinque porticu habens*, cujus aqua certis temporibus per Angelum commota, primum in eum descendentem à qua vis, qua detinebatur, sanabat infirmitate. *In his iacebat multitudo magna languentium, cæcorum, claudorum, aridorum, expectantium aquæ motum.* Præterco

Ioan. 5. v. 2.

Piscina pœnitentia, vel Baptismus.

tereo illa, quæ ad sensum literalem de hac piscina tradunt auctores, per quam in sensu tropologico Hugo & alij intelligunt Sacramentum pœnitentiæ, alij Baptismum. In sensu verò Allegorico Piscina medica peccatoribus, à Christo patiente, proprio sanguine præparata, intelligitur, & quidem teste illuminato Thaulero, *per quinque porticus, quinque Redemptoris vulnera accipi queunt*, ex quibus venæ illæ minerales uberrimè scaturientes amplam effecerunt piscinam, graviter commotam. Motûs enim, materialis illius piscinæ (ut ait Cornelius) *Allegorica causa fuit, ut significaretur Christus in aquis passionum agitandus, & turbandus, qui per eas nobis sanitatem omnem spiritalem, & corporalem meruit, & impetravit.*

Passio Christi.

Io. Thaul. Dom. 3. Epiph.

Cornelius hic.

In hanc descendit Christus.

Idem paulò pòst hisce verbis confirmat: *voluit Deus, ut piscina hæc esset index Passionis Christi, eiusque Baptismi; sicut enim Angelus descendebat in aquam, sic Christus descendit ad Passionem & tormenta, ipsque, quasi aquis, immersus fuit, & obrutus; unde sicut Piscina rubebat sanguine victimarii quæ in ea abluebantur, sic Christus suo sanguine fuit rubicundus, & cruentus, &c.* Quod ipsa etiam Glossa Interlinearis insinuat, in illa verba: *expectatium aquæ motum, id est, mortem Christi, & inde Redemptionem.*

Piscina rubicunda victimis.

Glossa Interl.

Ad hanc commotam divinitùs piscinam jacet *multitudo magna languentium per torporem, & ignaviam*, glossatur Hugo Card. *Caorum per ignorantiam; claudorum per vacillationem, & tribulationem, 3. Reg. 18. usquequo claudicatis in duas partes? Aridorum, per cordis duritiam, quando indevoti sunt, & incompatientes ad opera misericordiæ.*

Hugo hic

Multitudo languentium.

Inter alios autem languidos, *erat ibi quidam homo triginta & octo annos habens in infirmitate sua*, vel ideò maximè compassione dignus, quòd nec hominem haberet, qui ipsum in aquam, per Angelum commotam, mitteret.

Languidus ille 38. annorum.

Languidus iste significat quemlibet peccatorem, specialiter tamen inveteratum in peccatis, ait Hugo. *Aliquando contingit, quòd ad motum alicuius gratiæ, homo turbatur in corde, & si haberet hominem, id est, rationabilem, & mansuetum exhortatorem, descenderet in piscinam pœnitentiæ, & sanaretur ab infirmitate culpæ: unde patet, quòd multi pereunt præ defectu boni Doctoris.*

Hugo ibidem.

Peccator inveteratus.

Ubi ergo deficiunt boni Doctores, & verbi Dei Præcones in terris Hæreticorum, & infidelium, compassione digni sunt miseri, & languidi peccatores, quia *hominem non habent*, qui eos in piscinam Baptismi, pœnitentiæ, & in saluberrimum, & medicinalem Christi sanguine rubricatum fontem intingat. Sed quòd etiam

Ad piscinam accedimus, & non sanamur.

apud nos Catholicos piscinæ hujus saluberrimæ porticus inhabitantes tot inveniantur languidi, cæci, aridi, claudi, &c. decem, & quindecim, & viginti, & triginta annos infirmitatis habentes, hoc planè dolendum. *Idcircò ego plorans, & oculus meus deducens aquas, facti sunt filij mei perditi*, cùm tamen tot habeant homines, tot doctores, prædicatores, exhortatores, qui de aquæ motu ipsos commoneant, ad surgendum impellendo, exhortando, increpando, obsecrando, opportunè & importunè, manum, & opem porrigant, nec tamen, ut in piscinam descendant, persuadere possint. Si unus tantùm ad motum hujus aquæ medicinalis immiti, & sanari valeret, adhuc excusationi locus foret, sed omnium languentium multitudini hæc piscina sufficit: non peccatorum multitudine exhauritur, nec vitiorum impuritate sordidatur, nec infirmitatum copiâ debilitatur, sed novis semper, è quinario porticu vulnerum Christi, gratiarum influxibus confortata, nec medicinalem perdit vim, nec abluendi amittit efficaciam, nec extinguendæ sitis virtutem. Currite sitientes ad fontem, festinate sordidi, & fœtidi hirci ad natatoriam Siloë, venite languidi ad piscinam hanc probaticam, & medicinalem. Quousque languidi & infirmi prolixo languore vestro gravabitis medicum? quousque in stercore vestro computrescentes, malum vitæ vestræ diffundetis odorem? quousque siti aridi in devotione, & exsiccati haurire differtis aquas è fontibus Salvatoris?

Homines sufficientes habemus.

Hæc piscina omnibus simul sufficit.

Ecce sitit sitiri fons, *sitit sitiri* S. VIII. *Dominus, & sitanto bono, sine labore & facillimè, scilicet accedendo tantùm ad fontem, potiri possumus, cuius dementiæ est, tantum bonum differre?* ait Greg. Nanz; summa planè in judicio confusio erit Christianorum, qui talibus aquis vicini, & adjacentes, tamen in eas descendere, in ijs extinguere ariditatem, abluere maculas, & infirmitates tollere noluerunt. Quid absurdius, quàm sitibundum, ad fontem exsiccari? ægrum inter aquas medicas perire? pollutum ad natatoriam piscinam in sordibus computrescere? *Væ miseris* [exclamat Sanctus de Villanova] *qui suorum vulnerum medicinam habentes ad manus, neglexerunt curare se, & damnantur. O quomodo dolent in inferno de hoc, & fremunt contra se dentibus suis. Quàm iustè ardent in inferno, qui contempserunt tam levem adhibere medicinam.* Greg. Nanz. orat. 40. in Bapt.

Magna dementia Christianorum.

Th. de Villan. fer. 6. dom. 1. Quadr.

Præterea *consurget Regina Austri in iudicio cum generatione ista, &*

Matt. 12. v. 42. *& condemnabit eam: quia venit à finibus terræ, audire sapientiam Salomonis, & ecce plus quàm Salomon hîc.* Nam, uti notat Hugo Card. *Regina Austri venit à finibus terræ, & Christiani nolunt à plateis (ubi nihil agitur) venire ad audiendum Christum; multi etiam de Ecclesia exeunt, & Christum solum relinquunt.*

Hugo hîc.

Populi gentiles contra nes consurgent.

Quòd si Turcæ & Gentiles hanc divinarum gratiarum affluentiam, & exundantes fontis vitæ aquas habuissent, majori utique aviditate eas hausissent, sed quoniam eas nos tam parvi æstimamus, contingere facilè justo Dei judicio poterit, quòd apud nos, & in terris nostris, *siccabit venas eius.* Et hoc quidem casu, *si continuerit aquas, omnia siccabuntur; & si emiserit eas, subvertent terram.* Nempe si Deus continuerit aquas suæ gratiæ, si fontem suæ misericordiæ, & aquas verbi Dei, piscinam SS. Sacramentorum, in terris & regionibus nostris continuerit, omnia siccabuntur; & regionibus nostris siccitas illa imminebit, de qua apud Jeremiam fit comminatio: *factum est verbum Domini ad Jeremiam, de sermonibus siccitatis*: Et iterum apud Aggæum. *Vocavi siccitatem super terram* Dum nempe omnis verbi Dei pluvia, & exundans SS. Sacramentorum piscina, ac salientes, & ebullientes è vulneribus Christi, fontes nobis exsiccabuntur, ad alias longinquas gentes defluentes, qui majori aviditate haurient aquas, ex fontibus Salvatoris, ad quos nos venire, & haurire negligimus, licet vicini, & toties, ac tam amoroſè ad fontem ab ipso Fonte invitati; *si quis sitit, veniat ad me & bibat, quasi diceret* (exponit Hugo) *veniat ad fontem.*

Osex 13. v. 15.

Iob. 12. v. 15.

Mittet Deus siccitatem.

Jerem. 14. v. 1.

Agg. 1. v. 11.

Hugo Card. in psal. 35.

Sed quia (pergit idem) *multi nolunt venire ad istum fontem, sed vadunt ad cisternas dissipatas, id est ad mundi delitias, ideo conqueritur Dominus, cum admiratione magna dicens: Obstupescite cœli super hoc, & portæ eius desolamini vehementer, dicit Dominus: duo enim mala fecit populus meus: Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, & foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas; quia delitiæ, & divitiæ, & honores hujus mundi effluunt, & in æstate, id est, in tempore necessitatis, videlicet in morte, omnino deficiunt.*

IX. *Alij cisternas quærunt.*

Jerem. 2. v. 12.

Hugo ibidem.

Dissipatam quoque cisternam vocat idem Expositor hominem avarum: *quia avarus impleri non potest. Hæc est cisterna vetus, quæ nunquam impletur aquâ.*

Hugo in Jerem. c. 2.

Avarus Cisterna.

Porrò iterum in expositione sua morali ad nos Clericos, & Religiosos convertitur: *Populus meus, id est, Clerici, faciunt duo mala: Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, id est, qui sum eis sufficienter ministrans aquam sapientiæ salutaris, id est, sacram scripturam deserunt;*

De Clericis.

serunt; & foderunt sibi cisternas dissipatas, id est acquirunt scientias, in quibus non est vera sapientia, sed fœtida, & immunda, ut sunt scientiæ lucrativæ.

Prælatis. *Vel, populus meus, id est Prælati, me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, malè vivendo, & foderunt sibi cisternas dissipatas, perverso exemplo alios corrumpendo. Vel, populus meus,*

Religiosis. *id est Claustrales, me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, qui sum refrigerium omnium tentationum, me non petierunt auxilium in tribulationibus. Et foderunt sibi cisternas, id est, corda sua temporalibus consolationibus (quæ durare, & replere non possunt) cumulare voluerunt. Primum fit, quando in tentationibus oratio fastiditur; secundum est, quando pro eisdem mitigandis, iocosis verbis, & inutilibus dissolutionibus vacatur.*

Quid igitur charissimi nobis cum cisternis, & cisternis illis dissipatis, consolationibus terrenis, quæ replere animum nostrum non possunt? convertamus nos ad fontem aquæ vivæ, curramus ad ebullientes, è latere, manibus, ac pedibus Christi perforatis, venas aquarum viventium, hîc, hîc, aridi devotione, ac consolatione humidum radicale inordinatis affectibus exsiccatum restauremus, ac sitim extinguamus. Hîc maculas humanâ fragilitate contractas abluamus; hoc fonte medico, animæ nostræ infirmitates curemus. *Quid mirabilius* (exclamat Doctor meus Seraphicus) *quàm quòd vulnera sanent, sanguis album faciat, & mundet intima?* has aquas Salvatoris cum gaudio hauriamus, has qui bibet, non sitiet in æternum, sed fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam, Amen.

5 Bonav. stimul. amoris p. 1. c. 1.

DISCUR-

DISCVRSUS XXXIV.

Ain.

Idcirco ego plorans, & oculus meus deducens aquas. *Thren. 1. v. 16.*

DE ANIMA.

Quibus ex causis nobis sit flendum, & lugendum? & hæ quidem causæ variæ, & gravissimæ?

1.

Magistri filij; conſtituendi.

SOlicitè nobiles parentes, filijs & filiabus suis providēt magnis expensis magistros, qui eos in artibus & scientijs, in musica vocali, & instrumentali, in agendo choræas, & equitando, digladiando, &c. probè instruant. Etiam magistros & magistras pro filijs & filiabus instituendis procurandos monet Jeremias Propheta, vel ut ipsi parentes magistrorum munus obeant in docendo, non quidem vanas cantilenas, choræas, aut ludos, sive equestres, sive gladiatorios, sed *docete filias*

Ad discendum planctum.

Ierem. 9. v. 20.

vestras lamentum, & unaquæque proximam suam planctum.

Misit mundo inerudito Pater æternus proprium filium, qui munus ageret Magistri. *Vos vocatis me, Domine, & Magister, & bene dicitis, sum etenim*; non autem venit hic Magister cœlestis, ut nos choræas agere, aut musicalia sonare instrumenta, aut jucundas cantare doceret cantilenas, sed planctum, & fletum: *Dominus Iesus* (ait meus Seraphicus) *exemplo, & verbo ad fletum nos provocat*, flere sæpe, ridere visus nunquam.

Ioan 13. v. 13.

Christus Magister.

S. Bonav. ser. 1. Dom. 9. Pent.

Nec minùs magistram fletûs in

Nos flere docuit, sic & mater Ecclesia.

in præsenti versu agit Mater Ecclesia, illius enim hæc vox, & verba sunt; *Idcirco ego plorans; & oculus meus deducens aquas* Fletum ergo hodie tam ab afflicta Matre, quàm divino addiscamus Magistro, & oculum in fontem convertamus lacrymarum, ut tamen hanc flendi & plorandi artem utiliter, & fructuosè exerceamus, quomodo, & quibus de causis nobis lacrymandum, & flendum sit, in præsenti docebo.

II.

Lacrymæ margaritæ.

Margaritæ pretiosæ sine majoris lucri secura spe non effunduntur, aut in plateas inutiliter ante porcos projiciuntur, pretiosæ Margaritæ sunt puræ ex oculis distillantes lacrymæ, de quibus testatur Chrysost. *Quid illis oculis formosius, qui perpetuo lacrymarum imbre, tanquam margaritis ornantur?* Has ergo margaritas, ne frustra, & sine fructu, & lucro effundamus, solicitè devota soror fratrem suum, mellifluum interrogat Doctorem: *O Frater mi, quæso, dic mihi, quæ sunt causæ nostri doloris, pro quibus in hac vita mortali ploramus?* Respondet ad hanc sororis suæ nomine, à seipso sibi formatam quæstionem Bernardus: *Propter peccata nostra, & propter miseriam hujus mundi, ac propter compassionem proximi, & propter dilectionem cœlestis præmij.*

S. Joan. Chrysost hom. 3. in Gen.

Bern. serm. 10. ad soror. de modo bene vivendi.

Flendum propter peccata.

Ac primam quidem, & principalem flendi causam, etiam loco citato attingit meus Seraphicus: *Flendum est, pro culpa, ut ignoscatur.* Et quidem, ut ad doctorem mellifluum revertar; *propter peccata flebat ille, qui dicebat Lavabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo.*

S. Bonav. cit.

S. Bernard. cit.

Psal. 6. v. 7.

Hanc ipsam ob causam, scilicet propter peccata, flevit, & flere nos docuit Ecclesiæ Petra, è qua uberrimæ post trinam negationem scaturiebant lacrymæ; *& egressus foras, flevit amarè.* Nec ille tantùm nocte stratum suum lacrymando rigavit Petrus, vel usque dum post resurrectionem, glorioſum se illi exhibens mundi Redemptor, de impetrata venia reddidit securum, sed toto vitæ tempore hos lacrymarum rivos continuavit, singulis totius reliquæ vitæ diebus ad galli cantum in terram prostratus, amaris lacrymis negationem deflevit, ita ut acerbæ lacrymæ oculos tanquam sanguine suffusos facerent rubescere, formatis quasi, per genas, sulcis, per quos in sinum lacrymarum rivi derivarentur.

Petrum flevit ut pios è.

Matth. 26. v. 75.

Per totam vitam.

Pro trina negatione.

III.

Maturè autem cum Doctore Seraphico ponderandum, *si Petrus pro trina negatione tam amarè flevit, quantò plus tu pro mille negationibus flere debes? quoties enim mortaliter peccâsti, toties opere Deum negâsti*, de quo Apostolus:

S. Bonav. cit.

con-

ad Tit. 1. v. 16. *confitentur se nosse Deum, factis autem negant.*

Tu quotiens negasti?

Quoties ô avare, pro lucro illicito? quoties, ô homo lascive, pro voluptate caduca? quoties, ô homo fastuose, pro vana gloria? quoties gulose, pro immoderata ingurgitatione? quoties homo invide, & iracunde, pro vindictæ cupiditate, Deum tuum negâsti? quid ergo differs lacrymarum rivos effundere cum pœnitente Petro, nisi durior pétra videri cupias? lacrymas funde ad abluendam culpam, & extinguendos ardentes passionum tuarum motus.

S. Bonav. cit. Opportunè porrò advertit Seraphicus, *certè, qui esset in domo undique ardenti, instantissimè laboraret eam aquis extinguere.*

Domui ardenti affunditur aqua

Domi nostræ frequentes exardescunt, ex abscondito, in præcordijs peccati fomite, flammæ, jam incendium luxuriæ, jam flamma iræ, & vindictæ, jam ascendens ignis superbiæ, mox concupiscentiæ, & avaritiæ; si ergo ad materialem domum exurgente incendio, tanto fervore & studio infusis aquis salvandam currimus, *quantò magis* (argumentatur præfatus Doctor) *O stulte homo, cùm cor tuum, anima tua, ardeat flammis vitiorum, extinguere debes aquis fletuum,* Ierem. 9. v. 10. juxta Jeremiæ adhortationem: *super montem assumam fletum, & super speciosa deserti planctum, quia igne succensa sunt.*

Cur non & animæ?

S. Bonav. ibidem. Copiosissimas, ad obitum defuncti amici, lacrymas fundunt homines mundani, quando mors fatali telo mortale prostravit corpus: *sed stultus homo* (infert iterum Seraphicus) *mortem carnis alienæ deflet, non mortem animæ propriæ?* quare cum S. Augustino concludit; *culpabiliter se durum ostendit, qui damna temporalium, vel mortem amici deflet, & non dolorem peccati ostendit per lacrymas.* Talis non cor carneum, sed lapideum, & excisum de petra durissima ostendit.

Mortem corporis deflemus

Cur non & animæ?

IV.

Imò petra durius, quia petra durissima Dei jussu, virgâ Moysis, percussa uberem fudit Israëlitis aquarum fontē, quod ipsum grande potentis Dei miraculum deprædicat Propheta regius. *Interrupit petram in eremo, & adaquavit eos, velut in abyssos multas; & eduxit aquam de petra, & deduxit tanquam flumina aquas.*

Exod. 17. v. 6.

Psal. 77. v. 15.

Si allegoricum hîc perscrutari sensum lubeat, eum exponit Doctor gentium, *petra autem erat Christus.* Interrupta fuit hæc *in eremo huius mundi per vulnerum scissionem,* uti Card. à S. Caro exponit. De hac igitur scissa in vulneribus Petra, *adaquavit eos in abyssos multa, quia dum illius mortis, & interruptionis memorantur fideles, ab eis debet exire abyssus lacrymarum, & toti deberent defluere in lacrymas.*

Christus Petra.

1. Corint. 10. v. 4.

Hugo Card. in psal. 77.

Interrupta in passione.

Si enim propter compassionem

nem cujusvis proximi afflicti flendum asserit S. Bernardus, copiosiùs utique in acerbissima passione compatiendum, & condolendum flebiliter Salvatori nostro. *Quis potest transire siccis oculis, quòd lancea latus aperuit Salvatoris*, dicit sanctus Hieronymus. Planè petrâ durior est, qui ad hujus mysticæ Petræ percussionem, & interruptionem sævissimam, non movetur. *Vsquequo* (exclamat Seraphicus) *cordis mei nequitia prævalebit adversus Iesum, Dominum meum passum, cujus vulnera vicerunt diaboli potestatem, superaverunt primi parentis venefica, confregerunt portas inferni, & aperuerunt portas paradysi, & in tantum abundat malitia cordis mei, ut non devincatur à tam excellentissima bonitate. Quid ergo me nequius, & quid maius malitia cordis mei? Non cessent oculi mei à ploratu, donec lacrymarum abundantia emolliat duritiam cordis mei.* Percute, percute Domine petram durissimam virgâ oris tui, & fluant aquæ, & inundent torrentes lacrymarum, non tam compassionis, quàm compunctionis.

Hieron. apud eundem.

Christo passo compatiendum.

S. Bonav. stim. amoris p. 2. c. 1. 2.

V.

Interrupit Petram (pergit iterum moraliter exponendo Hugo Card.) *id est, duritiam cordis, inaremo, in peccatore infructuoso, pleno sevis, & monstris peccatorum; adaquavit eos, aquis lacrymarum, velut in abyssо multa, cor peccatoris verè est abyssus multa.* At quomodo hac abyssо, & petra durissima educitur aqua? Moyses virga percutere debet petram: *Moyses Prædicator; virga, crux; silex sive petra, cor peccatoris; aquæ, lacrymæ, quibus ardor concupiscentiæ refrigeratur.* Erigimus virgam, Prædicatores percutientes percutimus, sed non aquas erumpere lacrymarum, sed scintillas exilire indignationum & minarum experimur. *Percussisti eos, & non doluerunt, induraverunt facies suas, supra petram.* Sunt multi duriores; quàm petra (addit memoratus expositor) *quia nec martello verbi Dei, nec martello tribulationis potest frangi eorum duritia. Vnde in iram excitaverunt excelsum in inaquoso, id est, in siccitate cordis sui, quod non potest resolvi in lacrymas compunctionis.*

Duritia cordis.

Cor peccatoris, desertum.

Petra lacrymæ.

Ierem. 5. v. 3.

Hugo Card. hic.

Lacrymarum gratia orando obtinenda.

Objicies fortè, teipsum tibi, & cordis tui duritiei indignari, quòd ita siccum, ita sit durum, ut nec emolliri, nec lacrymarum fontes emitti patiatur. Quid hîc consilij? *Conversus ad Dominum* (respondet Villanova) *ora, ut amoveat à te cor lapideum, & præstet cor carneum, & aperiat tibi fontem lacrymarum, venam aquæ vivæ salientis in vitam æternam: neque ab hac oratione desistas, donec obtineas, nam certè si perstiteris, obtinebis.* Et obtinendo lacrymas, etiam spem infallibilem obtinendi cœlorum regni concipies.

S. Tho. Villanova Dominic.

Reg.

VI. *Regnum cœlorum* (juxta divinæ Sapientiæ oraculum) *vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Matt. 11. v. 12. Econtrà docet idem infallibilis veritatis Magister: *nisi efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum.* Matt. 18. v. 2. Si violenti regnum cœlorum rapiunt, quid parvulis nos assimilari convenit? Nunquid parvuli sunt illi violenti? si urbs violentâ manu capienda, non pueros, non parvulos debiles & inermes, sed viros potentes, & robustos, milites armatos & loricatos adducere oportet. Quæ enim parvulorum violentia? quæ in illis vincendi vis? tota parvulorum violentia devincendi matrem, in fletu, & lacrymis consistit, his armis, hoc ariete tamdiu oppugnant tenerum matris animum, donec expugnent.

Parvulorum violentia

Sunt lacryma.

Violenter, & tamen parvulorum more regnum cœlorum, & ipse Deus expugnandus nobis est, violentis nempe lacrymis; nam tenerum, & compassivum Dei nostri cor, non melius quàm lacrymando, & flendo vincere valemus; quod ad duros peccatorum ictus ferreum est, carneum est, imò cereum ad calidas pœnitentium lacrymas, his ergo & Deum, & regnum cœlorũ cogimus. Optimè ad intentum nostrum antistes Mediolanensis: *Cogimus regnum cœlorum, & vim quodammodo facimus, non compellendo, sed flendo, non iniurijs, sed lacrymis.* S. Ambros. serm. 5. Sicut autem nos cœlum obsidere, & violenter lacrymando & flendo obtinere nitimur, sic è contra nos infernalis hostis, & draco obsidione cingit; solebant subinde (uti in multis contigit occasionib⁹) obsessi, collectis aquarũ canalib⁹, & torrentib⁹, obsidentiũ castra inundare, ut sic hostis, in aquis submergi vellet, retrocedere, & obsidionem solvere cogeretur. Sed hoc stratagema cum infernali nos obsidente dracone non succedere videtur; nam, teste Patiente Propheta, *ecce absorbebit fluvium.* Iob. 40. v. 18. Aquæ multæ, populi multi; multos populos, etiam S. Baptismatis flumine tinctos hic draco absorbet. Salsas tamen lacrymarũ aquas non sorbere potest, ijs vel mergendus, vel occidendus. *Flumina omnino absorbet* (ait Petr. Cellensis) *hanc tamen aquam non sorbet, rumpuntur namque ventris ejus interiora, si conspersa fuerint hac aquâ, dentes excutiuntur, fauces præfocantur, venæ inflantur, & nervi eius solvuntur.* Petr. Cell. de pœnit. c. 12. Et sic, quod per regium Psaltem dictum est, adimpletur: *Contribulasti capita draconum in aquis, lacrymarum, & compunctionis,* exponit Hugo. Psal. 73. v. 13. *O lacryma victoriosa* (ait Bonav.) *quid mirum si vincis diabolum, cum etiam vincas Deum?* Hugo Card. hîc.

Obsidens nos Draco infernalis

Hic cœlum expugnandum.

Lacrymis mergendus.

S Bonav. serm. 1. in cœna Dom.

Deum? De te enim Bernardus ait: Accusantibus inimicis silentium impone, & quandoque sententiam ab ore iudicis rapis.

VII.

Aliam insuper flendi & lacrymandi causam allegavit Doctor mellifluus ab initio citatus, nempe miseriam hujus mundi, tribulationes, & angustias à Deo nobis propter peccata nostra immissas, sicut ergo flendo culpa, ita etiam deletur pœna, neque ulla ratione punienti Deo potentius & efficacius, quàm flendo obviare possumus.

Miseriæ causa flendi.

Qui potenti regi bellum movit, cui resistendi vires non habet, *adhuc illo longè agente, legationem mittens, rogat ea, quæ pacis sunt.* Bellum moverunt peccatores, ac tumidi mortales omnipotenti Deo, ac Creatori suo, at cum illo venire ex æquo in prælium non possunt, quod ergo medium, ut Deum (qui armavit omnem creaturam ad ultionem inimicorum) placare, & à delendo populo Christiano avertere valeamus? nullum planè consilium, convenientius & securius, quàm ut *illo adhuc longè agente, mittamus legationem, rogantes ea, quæ pacis sunt.* Sed quænam hæc legatio? qui Legati? *lacrymæ funduntur*, respondet S. Ambrosius, *quæ solent legationem suscipere pro delictis.*

Luc. 14. v. 31.

Lacrymæ sunt legati.

S. Ambros. in psal. 37. v. 10.

Hanc etiam legationem ad Deum miserunt incolæ civitatis Bethuliæ, qui ab exercitu Holofernis circumdati, & abscissis fontium canalibus graviter erant angustiati. *Factus est fletus, & ululatus magnus in Ecclesia, & per multas horas una voce clamaverunt ad Deum: Peccavimus cum patribus nostris, iniustè egimus, iniquitatem fecimus; tu quia pius es, miserere nostri, &c.* Hac lacrymarum legatione pacem à Deo (qui per exercitum Assyriorum Bethulianos extinguere paratus erat) impetrârunt.

Judith 7. v. 18.

Bethuliæ enses lacrymas, legationem mittunt.

VIII.

Et ecce contra nos armavit se justus Deus, peccatis nostris provocatus, *indutus est iustitiâ, ut lorica: paravit in nos vasa mortis, sagittas suas ardentibus effecit.* Sonari contra nos facit undique classicum, & non jam à longè, sed in visceribus est Romani Imperij; his armis non contentus paravit vasa mortis, & famis, & pestis. Impares ergo manui tam potenti, rogemus ea, quæ pacis sunt. Atque (ut magni Patris Gregorij verbis utar) *mittamus ad hanc legationem, lacrymas nostras.*

Isai 59. v. 17.

Psal. 7. v. 14.

Mittamus & nos.

S. Greg. hom. 37. in Evang.

Exemplum nobis in hoc præbuit dulcissimus Redemptor noster, qui *cùm appropinquaret Ierusalem, videns civitatem, flevit super illam.* Adhuc à longè agente divinâ Justitiâ, à longè, à quadraginta adhuc annis, illâ comminante excidium civitatis, jam Christus pro civitate

Luc. 19. v. 41.

Exemplum flendo præbuit Christus.

san-

sancta legationem miserat, lacrymas suas, *flevit super illâ. Quia si cognovisses & tu, & quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi, nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis,* subauditur: *Fletes* (ait S. Bonav.) & legationem mitteres mecum lacrymas tuas. Sed quoniam ira Dei adhuc de longè comminari, & agere illis videbatur, adhuc 40. annis absens, nullum sui præbebat indicium, à longè erat, necdum enim ullus Romanus exercitus comparebat, hinc Christum, legationem, lacrymas suas pro eis mittentem, non admiserunt, multò minùs dura illorum corda, lacrymas in legationem præmittere sustinebant, à longè enim, à longè erat præparatum à Deo exitium, & Romanus exercitus.

S. Bonav. serm. 1. Dom. 9 Pent.

A longè adhuc manum erat.

IX. Quodsi verò justus Deus in populum Judaicum, divinâ Justitiâ adhuc longè agente, legationes (*lacrymas*) mittere renuentem, tam inaudita severitate tremendissimè advertit, expugnavit, & delevit, qua non severitate, & implacabili vindictæ justi erigere contra nos procedet, qui non de longè, sed jam ante oculorum nostrorum conspectum, agentem, & contra nos ferro & igne bellantem experimur iram Dei? an non justas nos penitus delendi, & extirpandi causas habet? opprimimur, devastamur, urimur, secamur, spoliamur, exactionibus exhaurimur, & tamen adhuc antiqua lascivæ juventutis petulantia, helluonum compotationes, pomposus in vestibus luxus, in simultatibus falsitas, in pupillorum & viduarum oppressione contumacia, in illicitis lucris tenacitas, in rerum divinarum cultu desidia. Hæne sunt, ô populę Christiane, legationes tuæ, quibus Deum iratum non jam longè, sed propè agentem, non placare, sed irritare præsumis?

Et tamen non mittimus legationem.

Non hic modo prope est.

X. Magnam, & seriam exhibebat Jacob (luctans cum Angelo usque ad auroram) violentiam *non dimittam te, donec benedixeris mihi;* Hanc adhuc verbis magis emphaticis describit Oseas Propheta: *In fortitudine suâ directus est cum Angelo, & invaluit ad Angelum, & confortatus est: flevit & rogavit eum, id est, devotè, & cum lacrymis rogavit eum, ut dirigeret eum in viâ, & custodiret, & sic factū,* ait Lyran°. Idem etiam sentit Cornelius: *supplex, & flens petijt ab eo benedictionem, ut hoc fratris periculum ope Angeli evaderet.*

Jacob luctans flens petit opem

Oseæ 12. v. 4.

Pro itinere periculoso.

Lyranus hic.

Cornelius hic.

Magna nobis ad æternitatem restat via, periculosum instat iter, ad portam jam æternitatis stamus, egressuri per mortem. Et siquidem insidiantem sibi fratrem Esau, & cum armata militum manu obviantem timuit Jacob, & vitâ & liberis, & omni substantiâ sua privandus, nisi

Periculosum iter æternitatis.

nisi singulari Angeli præsidio muniretur, idcirco suppliciter & flebiliter ab hoc & benedictionem, & assistentiam in via contra exacerbatum fratrem efflagitans; majorem utique & nos omnes, & rogandi, & supplicandi, & flendi causam habemus, in periculoso æternitatis aditu constituti, ubi dæmones omnes suas colligunt vires, & arma, ut in hac via nos omnibus liberis, ac substantiâ, meritis scilicet, & bonis operibus, ac ipsâ vitâ gratiæ spolient, quæ hostium infernaliũ insidiæ tam tectæ, periculosæ, ac potentes sunt, ut etiam viri sancti hoc æternitatis periculosum iter aggredi horruerint. Sic etiam de illuminato illo, & magno Ascеticæ vitæ magistro Joanne Thaulero legitur, quòd tam formidabiles moribundus gestus (vocis copiâ jam privatus) ediderit, ut ad compassionem, æquè ac horrorem circumstantes fratres, commoverit.

Periculosa in agone tentationes.

Exemplum de Io. Thaulero.

Post obitum verò devoto illi Laico (quem ipse licet Magnus Theologiæ Magister, in vita spirituali, instructorem habuit) apparens, manifestavit, tremendis, & subtilibus se tentationibus tunc se ab hostibus infernalibus fuisse exagitatum, quæ tales & tam formidabiles gestus in se causaverint, & nisi Deus ipsi vocem priùs præclusisset per infirmitatem, ita se ex gravitate, & metu tentationum fuisse clamaturum, ut omnes circumstantes exhorruissent.

In eius historia, operibus præfixa.

Ob tantum ergo periculum in mortis, & æternitatis itinere nobis imminens, plorare, supplicare, & inenarrabilibus gemitibus à Deo benedictionem, & à S. Custode Angelo præsidium, ac SS. Patronis nostris assistentiam ac protectionem petere debemus flendo & lacrymando.

Hoc idem docere nos voluit XII.
cœlestis noster magister Christus Jesus, qui *videns civitatem flevit super illam quia venient dies in te, & circumdabunt te inimici tui vallo, & coangustabunt te undique, &c.* *Hoc autem spiritualiter contingit contra quemlibet peccatorem*, ut S. Bonav. testatur, nempe in morte uti fusè in Dom. 9. Pent. remonstratum fuit. Itaque *si cognovisses & tu, & quidem in hac die* (ô anima peccatrix) *quæ ad pacem tibi, &c.* Nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis, &c. *Subauditur* (ait S Bonav.) *Fleres.* Et ad obtinendam cum Deo pacem, ad impetrandum Angelorum, & Patronorum in tam periculosa obsidione subsidium, ad placandum iratum judicem, legationem mitteres lacrymas tuas, hæ enim *solent legationem suscipere pro delictis.*

Civitatis obsessio, mortis figura.

S. Bonav. in Lucam hic.

Propterea flendo petendum auxilium.

Mittamus, mittamus ergo & præ-

præmittamus ad judicem, legationem lacrymas nostras deducant oculi nostri aquas; deducant quasi torrentem lacrymas per diem ac noctem, non demus requiem eis, neque taceat pupilla oculi nostri, causas lacrymarum habemus copiosissimas, & tamen lacrymas videmus rarissimas. Planè materiam flendi abundantissimam subministrant nobis miseriæ, & angustiæ undique imminentes: materiam & causam uberrimam lacrymarum dat meditatio profunda Dominicæ passionis, siquidem non saxea sint corda nostra. Majorem præbent copiosa peccata, & delicta nostra, quibus Deum graviter irritavimus, maximam verò periculosus æternitatis, & severissimi tribunalis aditus. Flere debemus pro miserijs, & tribulationibus, ut avertantur, pro Christi passionibus, ut cordi imprimantur, pro peccatis ut deleantur, pro æternitatis, & judicis accessu, ut protectio, & misericordia impetrentur. Mittamus legationem, lacrymas nostras. Præcepit Deus Angelo: *signa Thau super frontes virorum gementium, & dolentium*, justitiæ suæ ministris sanctè inhibens, *super quem videritis Thau, ne occidatis.* Ut igitur hoc signo vitæ mereamur notari, exitus aquarum veræ pœnitentiæ deducant oculi nostri, & ab omni divinæ Justitiæ vindicta liberi securum, apud judicem legatione lacrymarum placatum, habebimus accessum, qui *absterget omnem lacrymam ab oculis eorum*, & à lacrymarum valle inducet in gaudium sempiternum, Amen.

Materia, & causa flendi.

Ezech. 9. v. 4.

Apoc. 21. v. 4.

DISCVRSVS XXXV.

Phe.

Expandit Sion manus suas, non est, qui consoletur eam. *Thren. 1. v. 17.*

DE ECCLESIA.

Conqueritur Ecclesia, quòd manus suas orando ad Deum expandat, sed non exaudiatur. Et quare non exauditur?

1. EXpandit Sion manus suas. magnum hîc Propheta insinuat filiæ Sion dolorem, quæ inter angustias expandit manus suas, sicut natans ad natandum. *Et hæc angustia est quidem cordis* (inquit Gl. ordinaria) *quæ in expansione manuum exprimitur, plus quàm in exclamatione oris; unde Phe præscribitur, quæ Oris interpretatur, quia dum Sion manus suas expandit inter angustias, significat, quòd ore non valet exprimere, quod patitur in corde, cùm sit sine consolatore.* Idem confirmat Hugo Card. *Maior est dolor meus* (inquiens) *quàm possit exprimi sermone oris.*

Gloss. ord.

Expansio manuum quid annotet?

Hugo Card.

In sensu allegorico hæc intelligenda sunt de Ecclesia, quæ inter cordis angustias, quas ore satis exprimere non potest, expandit ad Deum tanquam natans in profundis aquarum, manus suas, ab illo opem & consolationem exorans. Sic etiam quondam David de se testabatur: *in die tribulationis meæ Deum exquisivi manibus meis nocte contra eum. Deum exquisivi* (exponit Lyranus) *id est, diligenter quæsivi misericordiam eius per devotam orationem, manibus meis, ad Deum extensis, & non sum deceptus, quia secutus est finaliter orationis effectus.*

Psal. 76. v. 3.

In oratione.

Deum etiam in tribulationibus

bus cum populo suo afflictissima Ecclesia exquirit per orationem, manibus ad cœlum extensis, sed se de orationis effectu deceptam conqueritur, *expandit* enim *manus suas; non est, qui consoletur eam.* Quænam ergo sint causæ, quare expandentem ad cœlum manus populum afflictum Christianum Deus non soletur & exaudiat, in præsenti perscrutabimur.

II. Primum est, quod apud magnates supplicem libellum porrecturus observare debet, est ipsa submissio, ut nullum humilitatis & submissionis genus intermittat, qui enim sive in verbis, sive in gestibus aut vestiū ornatu elationem prodit, de impetranda gratia parū sperare potest. Humiles oratores divina Majestas requirit, nam teste Ecclesiastico, *oratio humiliantis se, nubes penetrat.* Summa enim illa Majestas, *humilia respicit, & alta à longè cognoscit,* neque aut verbis, aut gestibus aut vestibus superbum, ad sibi supplicandum venisse præsumit.

Omnis se debet humiliare.

Eccl. 35. v. 21.

psal. 137. v. 6.

Mandaverat quondam Israëlitico populo veniam deprecaturo Deus: *nam nunc depone ornatum tuum, ut sciam, quid faciam tibi.* Per hunc ornatum intelligit ad litteram Cornelius, non tantùm vestium ipsarum luxum, & ornatum, ac vestes pretiosas, sed maximè aureas, bysſinásve corallas, vela, pepla serica, monilia, coronas, simileímque ornatum, qui vestibus affigitur, & applicatur. Hunc deponi ornatum mandat, *ut sciam quid faciam tibi, si te vidéro humiliatum,* glossatur Lyranus.

Exod. 33. v. 5.

Ornatus superbus deponendus.

Lyranus hic.

Magnus in Ecclesia abusus undique conspicitur, quòd populus Christianus, nusquam magis, quàm cùm ad faciendas supplices Deo preces ad templum accedit, se pomposum exhibet, ibi crines discriminati, torques & monilia, corallæ, vela, & pepla serica, armillæ & inaures, annuli & gemmæ, vittæ, calceamenta, & lunulæ assumuntur, cum omni mundo muliebri, non copiosiores quàm in istis templis præcedentiarum competentiæ suscitantur; miratur hanc precantium turmam Deus. Quid sibi volunt isti? Domine, populus iste tuus est Christianus, supplex à te veniam rogaturus venit. Quomodo? an supplicantis iste populi incessus? an hæc reorum supplicatio, auro & argento resplendens, superbia tumida? *Iam nunc depone ornatum tuum, ut sciam quid faciam tibi,* nam (uti Rupertus Abbas commemorat) *quamdiu peccator ornatus incedit, pulchram quandam cervicem erigit, &c. quodamodo Deus nescit, quid faciat illi; nescit misericordia, quali aditu*

Pompa in Ecclesiis

Impedit, quin Deus exaudiat.

Rupert. Abb l. 4. in Oseam.

ad

ad illum veniat. Quomodo enim se Dei clementia inclinabit ad erigentes se, quomodo altis & inflatis animis, & vestium pompâ, ac præcedentiæ competentia tumidis condescendet? *Idcirco* (ait Rupertus.) *consilium offerens: iam nunc, ait, depone ornatum tuum, ut sciam, quid faciam tibi. id est, humiliare pœnitendo, ut miserear tui.* Deus enim *humilia respicit, & alta à longè cognoscit.* Hinc itaque contingit, quòd extendit Sion manus suas, & non est, qui consoletur eam.

III. Alia ratio, quare Deus orantem, & extendentem ad se manus Ecclesiam, & populum Christianum non exaudiat, est ipsa orantium tepiditas, & animi ad alia evagantis distractio. Quare Seraphicus seriò monet: *valde indecens est, ut quis cum Deo loquatur ore, & aliud meditetur corde; & dimidium cor dirigat in cœlum, & dimidium maneat in terra. Talis oratio nunquam exauditur à Deo. Unde super illo verbo psalmistæ* (*clamavi in toto corde*) *dicit glossa divisum cor non impetrat, quod petit.* Colligendus ergo animus est, ut non tantùm majori cum intentione, sed etiam ardore ad Deum clamet; *ardeat orator* (docet oratorum gentilium Princeps) *si Iudicem velit accendere.* Si enim ipse orans non habet ardens impetrandi, & petendi desiderium, quomodo in Deo ardentem poterit invenire exaudiendi voluntatem? Ferventer ergo & ardenter per orationem interpellandus est Deus, non minùs quàm Elisæus à Sunamitide, quæ pro resuscitando filio eum exoratura, *apprehendit pedes eius*; nec destitit importunis precibus, donec missum cum baculo servũ Giezi, & ipse sequeretur. Sic etiam Jacob, luctans cum Angelo, eum dimittere noluit, donec benediceret sibi. Sic cæcus ille in via, licet populo ipsum dehortante, tamen *ipse multò magis clamabat, Iesu fili David, miserere mei.* Sic & mulier Chananæa, quamvis repulsam à Christo passa, nec tamen orare, & post illum instar canis promicis de mensa Domini cadentibus latrare destitit, *pertinax in precibus*, scribit de ea S. Ambrosius. Pertinax igitur, & ardens debet esse orans, quamvis enim fortè minus foret exaudiendus à Deo, tamen *si perseveraverit pulsans, propter improbitatem eius, surget, & dabit ei. Propter instantiam & ardorem*, addit Hugo Card. Cornelius intelligit per improbitatem, impudentiam, inverecundiam, importunitatem, & concludit: *vult enim Deus nos in oratione esse perseverantes usque ad importunitatem, eaque delectatur, vultque nos magno, affectu instare, pulsare, urgere, & quasi cogere*

Importunè.

4. Reg. 4. v. 27.

Gen. 32. v. 26.

Luc. 18. v. 39.

Matt. 15. v. 22.

S. Ambr. l. 5. in Luc. cam.

Luc. 11. v. 8.

Hugo Card.

Cornelius hic.

Importunitas grata Deo.

Fervidè orandum.

S. Bonav. de perfect. vitæ c. 5.

Non tepidè, & distractè.

Psal 118. v. 145.

Cicero l. 2. de oratore.

cogere Deum ad dandum: *Hæc vis grata Deo* [ait Tertullianus l. de orat.] qui *propter talem petentis importunitatem surget, & dabit illi, quoquot habet necessarios.*

IV. Hugo Card. Accuratè observat Hugo, quòd Christus panes promittit petenti dandos, *quotquot habet necessarios*, non autem quotquot petit, aut desiderat: *quia Dominus dat ad necessitatem, non ad voluptatem, vel superfluitatem dona sua.* Solent soliciti patresfamilias, gravioribus occupati negotijs, claves suas pro pane, vino, & alijs alimonijs, credere fidelibus famulis aut famulabus, qui solicitam gerant curam, ne aliquid aut pereat, aut inutiliter distrahatur, ad hos ergo ipsi recurrunt pro pane filij. Notat tamen S. Vincentius, *quando ille, qui habet claves ad panes, vel vinum, est crudelis filius, & servitoribus Domini, quia non vult eis dare panem, nec potum; remedium, quod habent filij, & servitores, est, recurrere ad patrem:* Exponendo scilicet tenacitatem quæstoris, aut œconomi, quem pater non vult taliter sibi utilem, ut parcus, ut in filios sit crudelis, talitérque sibi accrescere vult divitias, ut tamen filijs non desit honesta necessitas. *Sic totus mundus* (pergit applicando Vincentius) *est domus Dei. Ancilla seu captiva, cui Dominus commisit claves panis, vini, & fructuum, est natura; sic enim ordinavit Deus, quòd per manus suas habeamus omnia necessaria vitæ humanæ. Nos verò sumus filij, & servitores Domini, quibus quandoque ancilla ista, id est, natura, est aspera, & dura, & rudis, quia non vult dare vinum, aquam, blada, ideo recurrendum est ad patrem.* Et ab ipso accipienda clavis, qua plenam recludendi horrea, & cellaria potestatem habeat. Et quænam hæc clavis? *oratio iusti* [respondet Augustinus] *clavis est cœli, ascendit precatio, & descendit Dei miseratio.*

Si œconomus est nimis parcus.

S. Vincent. Ferr. serm in vigilia palm.

Filij recurrunt ad patrem.

S. Aug. serm 226. de temp.

Contingere tamen quandoque potest, quòd neque hac clavi orationis, recludere valeamus horrea, & cellaria, neque œconoma, aut ancilla velit, aut possit dare. Et unde hoc? si subinde filij petulantes, lascivi, impetratâ vel à patre, vel ab œconoma, clave abundanter acceperint panem & vinum, incipiunt superfluè comedere, bibere, epulari, percutere se invicem, atque servos, tunc arctiùs pater recludi facit cellaria, œconomæ manum liberalem, & dandi potestatem restringit, ut sic petulantes & prodigi filij per famem ad se ipsos, & ad patrem redeant. Iam multis ab annis Deus in manu nostra clavem cellariorum vini & frumenti reliquit, & œconomam naturam, affluenter alimonia

Oratio, clavis.

Si donis Dei abutimur:

Deus liberalitatem restringit.

monia nobis danda jussit, sed quoniam aliqui effusi fuerunt in edendo, & bibendo, quia compotandi, & epulandi non fuit nec modus, nec finis, hinc jubet cœlestis Pater œconomiam, naturam, ut manum retrahat, & clavem applicantibus, portas fortiori occludit pessulo. Cui sic frustratæ petitionis causam, nisi nobismetipsis imputare debemus, qui Dei beneficijs, & donis abuti soliti, neque necessitate contenti, abundantiam tantùm, ad voluptatem, & superfluitatem quærimus ad nostrum interitum, & Dei benignissimi Patris offensionem.

V.

Erit fortè nonnemo, qui dicat, neque ad voluptatem, neque ad superfluitatem, neque ad pompam à se hactenus postulatum vinum, frumentum, &c. neq; aliud à se, quàm victum & vestitum honestum, & statui suo convenientem fuisse à Deo petitum, sed non impetratum, uti nec alias corporis necessitates, sanitatem, bellorum aversionem, &c. Ad hoc respondet Seraphicus illis Deutronomij verbis: *Cùm ploraretis coram Domino, non audivit vos, neque voci vestræ voluit acquiescere. Et quare? aut, ut magis ad petendum quis provocetur. Gregorius: sancta desideria dilatione crescunt. Aut, ut tantò cautius custodiatur acceptum, quò difficilius impetretur. Chrysostomus: Deus ad hoc beneficium suum protraxit, ut non sit nobis vile, quod donat. Aut ut humilietur orans, dum tardiùs exauditur. Aut in alixd tempus exauditio differatur, magis congruum, & utile petenti. Aut ut aliorum suffragijs quærat iuvari, ne fortè ardua petitio, aut præsumptio eum reprimat. Aliquando etsi negatur unum, quod fortè minùs expedit, pro eo datur aliud utilius, & melius. Vtilior sæpe est exercitatio tribulationis, quàm quies prosperitatis, licet hanc plus optemus, &c.* Hæc Seraphicus. Et quidem in hoc ultimo casu oranti videtur dicere Deus, id quod Christus filijs Zebædæi per matrem, sessionem in regno ejus petentibus respondit: Nescitis quid petatis, quia scilicet non sibi utilia, Deum, aut divina, sed temporalia tantùm, & sibi nociva petunt, exaudiendi procul dubio, si ipsum Deum, aut divina orando inquirerent. Seipsum enim Deus petenti non negat. *Exquisivi Dominum, ait David, & exaudivit me. Qui ergo non exaudiuntur* (argumentatur S. Augustinus) *non Dominum quærunt. Intendat sanctitas vestra; non dixit: Inquisivi aurum à Domino, & exaudivit me: inquisivi à Domino senectutem, & exaudivit me: inquisivi à Domino hoc aut aliud, & exaudivit me: Aliud est aliquid inquirere à Domino, aliud, ipsum Dominum inquirere .... Ergo* (concludit S. Doctor)

Quare non audiantur orantes.

Multa rationes.

Deuter. 1. v. 45.

S. Bonav. de prof. Relig l. 2. c. 71.

Psal. 33. v. 6.

S. Aug. hic.

Orans Deum quærere debet, non aliquid extra Deum.

noli

noli aliquid à Domino extra quærere, sed ipsumquære, & exaudiet te. Qui autem Dominum non quærunt, non exaudiuntur.

VI. Præcipua verò ratio, quare homines plerumque non exaudiat Deus, licet manus, & vocem erga ipsum extollant, est, quia ipsi Deum, clamantem, vocantem, pulsantem, & præcipientem non audiunt. Hinc sapiens ait: *Longè est Dominus ab impijs, & orationes iustorum exaudiet.* Hi enim quia voluntatem Dei perficiunt, præcepta ejus audiunt, & obediunt, meritò exaudiuntur, illi autem qui Deum audire nolunt, & aures suas pulsanti, & vocanti Deo obturant, quomodo exaudiantur? Quare bene cæcus ille à Christo sanatus, contra ambitiosam Pharisæorũ turbam argumentatus est: *scimus autem, quia peccatores Deus non audit; sed si quis Dei cultor est, & voluntatem eius facit, hunc exaudit*: non autem illum, qui voluntati & legi ejus semper contraire consuevit. Imò *qui declinat aures suas, ne audiat legem, oratio erit execrabilis.*

Præcipua ratio.

Prov. 15. v. 29.

Quia Deus peccatores non audit.

Ioan. 9. v. 31.

Prov. 28. v. 9.

Oratio peccatoris abominabilis.

Ratio hujus prima (uti bene notat Cornelius) est pœna Talionis, Deus enim par pari refert: sicut enim ipse non vult audire Deum loquentem per legem, sic Deus ipsum vicissim non vult audire sibi loquentem per orationem; secunda, quia oratio perseverare volentis in peccato, est peccatum, ideoque Deo abominabilis, est enim conjuncta cum affectu peccandi, & peccati: ac proinde sic orans, videtur ridere Deum: quare perinde facit, ac Judæi, qui flexo poplite Christum adorabant, dicentes: Ave Rex Judæorum, & simul eodem ore ipsum conspuebant, & collaphizabant.

2. Ob pœnam talionis.

2. Quia tali oratione Deus irridetur.

Tertia, quia sicut aroma, licet in se suave olens, tamen stercori, cloacæ, aut fimeto immersum, tetro fœtore infectum malè olet; sic oratio, licet de se sit bene odorata, & Deo grata, tamen ex corde putido, & turpes concupiscentiæ, vindictæ, &c. fœtores exhalante procedens, stomachum movet Deo, ut ita loquar, peccatorum fœtore infecta.

3. Fœtet ex peccato.

Quarta, quia, qui manet in peccato, manet in hostilitate Dei. Deus autem hostem suum odit, nec ejus preces acceptat. Quare, qui in peccati affectu perlistens orat Deum, perinde facit, ac Judas, qui osculatur Christum, & interim eum prodit. Aut sicut, qui una manu blanditur amico, altera illum verberat, & occidit. Bene igitur concludit Auctor operis imperfecti: *Ille orat, qui tam non peccat, qui autem orat & peccat, non rogat Deum, sed deludit Deum.*

4. Quia peccator hostilitatem gerit.

Opus imperf. hom. 15. in Matt.

Fixum ergo manet, quòd peccatores Deus non audit, attamen orationes justorum exaudiet.

VII.

Difficilem hîc nobis objectionem movet S. Augustinus, *exauditur diabolus, & non exauditur Apostolus; quid vobis videtur?* Quomodo salvabimus assertum nostrum, quod orationes justorum, non autem peccatorum audiat Deus? dubitas fortè, & petis, *quomodo exauduntur dæmones? petierunt se ire in porcos, & concessum est eis. Quomodo exauditus est diabolus? petiit Job tentandum, & accepit.* Vis modo cognoscere, quomodo non est exauditus Apostolus? lege secundam ejus ad Corinthios epistolam, qualiter conqueratur: *datus est mihi stimulus carnis, propter quod ter Dominum rogavi.* Et repulsam tulit; non exauditus est. *Quid vobis videtur?* quomodo non exaudivit Paulum justum, qui exaudivit impium diabolum? Nonne hic peccator, & homicida fuit ab initio? si ergo Deus peccatores homines non audit, cur diabolum audit, & exaudit? Respondet S. Doctor: *exaudivit eum, quem disponebat damnare, & non exaudivit eum, quem volebat sanare; nam æger petit multa à medico: non dat medicus, non exaudit ad voluntatem, ut exaudiat ad sanitatem.* Exaudit Deus ad consequendum finem, & ideò non exaudit quoad media repugnantia ad finem.

S. Aug. in psal. 58.

Exauditur diabolus.

Matt. 8.

2. Corint. 12. v. 7.

Non exauditur Apostolus.

Ille ad damnationem,

Hic ad sanationem.

Exemplum proponit S. Augustinus psalmo sequenti, cum ægro. *Quis enim sanitatem non petat, cùm ægrotat? & tamen ægrotare fortè ei utile est,* & medium ad consequendum finem ultimum æternæ beatitudinis. *Potest fieri, ut hîc non exaudiaris,* non tamen à Deo te repulsam passum recogites. *Non exauditus ad voluntatem, ut exaudiaris ad utilitatem. Exauditus & nescis. Quod petis agitur, etsi nescis in quo agitur.* Auditur justus, dum non exauditur, ad utilitatem. Non auditur peccator, dum exaudiatur ad damnationem. peccatores enim Deus ad utilitatem non audit.

S. Aug. in psal. 29. v. 7.

Exauditus, & non scis.

Dicet fortè peccator: si Deus me peccatorem non audit, ergo desinam orare, projiciam libellos devotos, ablegabo rosarium, devitabo ecclesias, abstraham me ab audiendo S. Missæ sacrificio? &c. Malam pec- *Deus peccatores pœnitentes audit.*
cator formas consequentiam; non enim sic argumentandum: Deus peccatores non audit, ergo orare desinam. Non, non ita, sed hanc inferas sequelam, si Deus peccatores non audit, ergo pœnitentiam agam, ergo Deum meum pro venia deprecabor. Quòd enim Deus peccatores non audit, sic cum Doctore Seraphico intellige: *Quod*

Deus

S. Bonav. in Ioan. hic. Deus peccatores manentes in peccato, & suum peccatum amantes non exaudit. Nam uti Hugo hic optimè notat: Deus peccatores pœnitentes audit.

Hugo Card. hic.

VIII. Nunquid enim audivit peccatores Ninivitas pœnitentes? nunquid audivit publicanum pectus suum percutientem, ac ex intimo & contrito corde dicentem: *Deus propitius esto mihi peccatori.* Hæc est brevis oratio, ait Hugo, sed valdè utilis. Orationi ergo tuæ, hanc priùs præpone publicani brevem sed utilem precatiunculam, & exaudiet te Deus pœnitentem, & contritum; aut si copia tibi est confessarij, confessionem præmitte.

Luc. 18.

Orationi præmittenda contritio.

Psal. 91. v. 1. *Bonum est, confiteri Domino, & psallere nomini tuo altissime.* Advertit bene S. Hieronymus: *non dixit: bonum est psallere, & postea confiteri; sed video ordinem: bonum confiteri, & bonum est psallere. Primùm age pœnitentiam, & lacrymis dele peccata, & postea canta Domino.* Et experieris, quòd peccatores pœnitentes exaudit Dominus. Quòd in tantis nostris angustijs, pressuris, ac tribulationibus, Deus clamantes nos non exaudierit, & in cruentis bellorum procellis, extendentibus nobis manus, opem non præstiterit, culpa nostra est. *Ecce non est abbreviata manus Domini, ut salvare nequeat; neque aggravata est auris eius, ut non exaudiat;* atque pacem Ecclesiæ manus extendenti, ac contra infideles victoriam largiatur fidelibus, *sed iniquitates vestræ diviserunt inter vos, & Deum vestrum, & peccata vestra absconderunt faciem eius à vobis, ne exaudiret. Manus enim vestræ pollutæ sunt sanguine, & digiti vestri iniquitate, &c.*

S. Hieronym. hic.

Vel confessio.

Isa. 59. v. 1.

Non est abbreviata manus Domini.

Quid ergo agendum, ut non sine fructu clamemus, & manus extendamus in oratione? *Lavamini*, lacrymis pœnitentiæ (glossatur Interlinearis) *mundi estote*, innocentiâ vitæ; *auferte malum cogitationum vestrarum, ab oculis meis, quiescite agere perversè, discite benefacere, quærite judicium, subvenite oppresso, iudicate pupillo, defendite viduam, &c.*

Isa. 1. v. 16.

Auferte malum peccati.

Et venite, & arguite me, dicit Dominus, si non exaudiam, si extendentibus vobis ad me supplices manus non opem præstem in angustijs vestris: experiemini, quod non est abbreviata manus mea, ut subveniam vobis in manu potenti, & brachio extento. Experiemini, quòd non est aggravata auris mea, ut non exaudiat.

Et arguite me, dicit, &c.

IX. Itaque consolamini, consolamini populo meus, exalta filia Sion in orando confidenter humiliter, ferventer vocem tuam, & expande ad cœlum manus tuas, & senties Deum consolatorem & adjutorem tuum.

Hugo Card. in Thr. hic.

Notat Hugo Card. in hunc locum, quòd expandit manus Prælatus pro subditis orando, ut Moyses, item pugnando, ut Iosue. *Item Sacerdos celebrando*, maximè cum sacram elevat hostiam, tunc enim cum illo, totus populus Christianus, & afflicta filia Sion Ecclesia, extendit ad cœlum manus suas, & Deum pro delictis, & angustijs deprecando, quasi obsidem nostrum Deo Patri Filium monstrat. Egregiè meus Seraphicus: *Elevat Sacerdos Corpus Christi, in altari, quasi dicat, ecce, quem mundus totus capere non potest, captivus noster est, ergo eum non dimittamus, nisi, quod petimus, obtineamus.* Extendamus ad eum, & de more Christiano ad elevationem SS. Hostiæ pectora de peccatis dolentes percutiamus, tunc cum ipso manus non sanguine & peccatis plenas, sed lacrymarum fonte mundatas, cum ipso exemplo Iacobi Patriarchæ luctantes, non dimittamus, donec benedixerit nobis. Benedic igitur obses & captive noster, Dei fili sub speciebus Sacramentalibus captive noster, benedic afflictis & miseris nobis, benedic angustiatæ patriæ, benedic oppresso populo Christiano, benedic desolatæ, & gentium, hæreticorum, imò & propriorum filiorum persecutionibus succumbenti Ecclesiæ tuæ, ad te flebiliter extendenti manus suas, ut sicut vitis abundans fructificans in lateribus domûs tuæ, videat filios tuorum, pacem super Israël, Amen.

Sacerdos extendit manum in Missa.

S. Bonav. in Expos Missæ.

Elevando hostiam, ubi Deus captivus noster est.

Ad hæc extendamus manum, &c.

DISCUR-

DISCVRSVS XXXVI.

Phe.

Expandit Sion manus suas, & non est, qui consoletur eam. *Thren. 1. v. 17.*

DE ANIMA.

In necessitate ad illum extendenda manus, qui potest iuvare, nempe ad Deum, & sanctos eius, non ad mundum, carnem, aut diabolum, qui iuvare nec volunt, nec possunt.

1. *Naufragus extendit manus.*

QUi passi naufragium spumantibus jactantur undarum procellis, auxilium in litore stantium implorant, & manus ad eos extendunt, à quibus projiciendum sibi funem efflagitant, eo apprænenso facilè extrahendi. Quodsi vero putridus, aut fragilis tantùm porrigatur funis, ab illis ad litus stantibus, magis interitum, quàm salutē naufragi exoptantibus, actum est de ipsorum salute, qui in eorum confidebant auxilio, qui maximè de ipsorum exultabunt interitu. Anima peccatrix dum ex gratia Dei excidit, alto quasi mari naufraga jactatur: *veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me* Inter has ergo angustias inclamat auxilium, *laboravi clamans, raucæ factæ sunt fauces meæ*; natans expandit manus, ad porrigendum funiculum, sibi ex angustijs extrahendæ. Sed quoniam peccatrix anima non clamat ad Deum, nec ad ipsum, aut sanctos ejus orando extendit manus,

Sic anima.

Psal. 68. v. 3.

Ad mundum, carnem, diabolum.

nus, sed vel ad mundum, vel ad carnem, vel ipsum diabolum, hinc non est, qui consoletur eam. Hi enim, vel *funes extenderunt in laqueum*, vel funes tantùm putridos extenderunt, quibus anima peccatrix illuditur, & decipitur. Quare ad eum manus extendat, & auxilium petat necesse est, qui juvare & valet, & vult, nempe ad Deum, sanctósque nobis à Deo assignatos intercessores.

Psal. 139. v. 6.

II. Afflictus consolationem, derelictus auxilium, dejectus refugium, infirmus sustentaculum, defatigatus refectionem, æger quærit medicinam, quam nusquam melius, quàm apud bonum reperiet, & confidentem amicum, ad quem desolatus manum suam extendit. Videtur sibi quidem homo varios habere amicos, singulariter verò (ait Doctor Seraphicus) *Homo habet tres amicos*; saltem, qui in numero amicorum venire prætendunt. *Primus, est caro, de qua nemo unquam carnem suam odio habuit. Iste amicus decipit, ducens ad suspendium sibi consentientes. Secundus amicus est mundus, qui parat funem, vel laqueum. Tertius est diabolus, qui suspendit sibi consentientem.* Et tamen insipientes homines instar avicularum ad extentos laqueos falsorum horum amicorum, & auxiliatorum advolant, & manus, subsidium efflagitando, extendunt, non liberandi, sed captivandi. *Ægypto dedimus manum, & Assyrijs.... non fuit, qui redimeret de manu eorum.*

Amici illi laqueum parant.

S. Bonav. in Thren. c. 1. v. 19.

Ephes. 5. v. 30.

Thren. 5. v. 6.

Ad Ægyptum (mundi scilicet vanitatem, & potentiam) manum extenderat ambitiosus Aman, in Regis sui gratiam, ac propriam confidens sublimitatem, ac cellitudinem; cumque à Regina ad regias epulas unà cum Assuero Rege invitatus, Mardochæum ad palatij fores considentem, sibi neque assurrexisse quidem cerneret, dissimulatâ irâ, domum reversus convocatis amicis, & uxori suæ acceptâ à Mardochæo contumeliam indignabundus exposuit, quorum consilio furcam quinquaginta cubitorum altâ, in exitium Mardochæi erigi præcepit.

Esth. 5. v. 9.

Aman confidebat in gratia Regis.

Ut quid autem Mardochæus tanto se interitûs periculo, & iræ summi in aula ministri exponere voluit, cujus auctoritate de facto jam decretum regium de tota Hæbræorum delenda gente expeditum noverat? quid inconvenientiæ, quid mali fuerat, si regio ministro, si jurato gentis suæ hosti, pro captivando animo, & conciliando favore, assurgens, etiam caput inclinâsset & genua? extentis etiam ad eum manibus, ad demulcendum furorem, &

Mardochæus in Deo.

emen-

emendicandum patrocinium? an non obstinatiam, & animi elationem hæc in Mardochæo sapiebant? imò verò, *magnæ hoc erat constantiæ* (asserit Cornelius) *Mardochæi, quod Amano hosti scelestissimo, toti Iudæorum genti exitium machinanti, ne quidem assurrexerit, ut suam in Deo fiduciam ostenderet*, ad quem solùm, unicum adjutorem, & consolatorem suum manus extendit Mardochæus: *Mardochæus autem deprecatus est Dominum... In ditione enim tua cuncta sunt posita, & non est, qui possit tuæ resistere voluntati, &c.*

Cornelius hic.

Manus ad eum extendit.

Esth. 13. v. 8.

Ejus exemplo, & adhortatione omnis quoque Israël in oratione ad Deum confugit: *Esther quoque Regina confugit ad Dominum, pavens periculum, quod imminebat.* Et sic desolata Regina, cum afflicto suo populo, Deum exquisivit manibus suis, & non est decepta.

Esth. 14. v. 1.

III.

Sed Aman magno amicorum stipatus numero, excelsæ dignitatis elatus officio, & regio tumidus favore, ac gratiâ, in his fiduciam, & spem suam posuerat: sed *væ filij desertores, dicit Dominus.* Væ filij hujus sæculi, qui in mundi confiditis amicitia, & potestate. *Sperantes auxilium in fortitudine Pharaonis*, *id est, potestatis sæcularis*, Exponit Hugo, *habentes fiduciam in umbra Ægypti. Erit nobis fortitudo Pharaonis in confusionem, & fiducia umbræ Ægypti in ignominiam.* Suo hoc damno expertus est infelix Aman, qui insurgente contra se Reginæ accusatione, exardescente regis furore, & acclamante in odium ejus Harbonâ aulico, quòd patibulum Mardochæo (conjurationis in Regem quondam fidelissimo detectori) domi suæ parâsset, irrevocabilem contra se ab irato Rege fulminatam accepit sententiam: *Appendite eum in eo. Suspensus est itaque Aman in patibulo.* Itaque *nolite confidere in principibus, in filijs hominum, in quibus non est salus.* Nolite in amicis, & magnatibus hujus mundi confidere, non extendite manus vestras ad mundum fallacē, amicū falsissimum, qui parat, ad se manus extendentibus, *parat funem, & laqueum.* Expandit manus suas, & non est, qui consoletur, nisi solus Deus.

Isa. 30. v. 1.

Hugo Catd.

Mundus Amano laqueum dedit.

Psal. 145. v. 2.

Suspensus est Aman.

IV.

Sunt alij, qui in afflictione, & desolatione manus suas extendunt ad carnem, hic amicus apprehendit quidem manum, sed non ut ex fovea, angustia, & profunditate maris extrahat, sed ad suspendium perducat. Exhibet se caro spiritui amicissimam, consolatricem, se promittit fidelissimam, trahit spiritum in vinculis charitatis impuræ, sed quo trahit? quò deducit? ad suspendiū æternæ damnationis. Sed modò non mei propositi est, loqui, de carne & lubricis carnis voluptatibus, sa

Alij carnem auxiliatricem vocant.

Caro, id est carnales amici.

tali amicitiâ spiritum allicientibus, sed carne tantùm & sanguine, de carnalibus amicis & propinquis mihi sermo est, in quorum auxilio ut plurimùm confidimus, sed consolatores eos rarò invenimus, ut bene de ipsis dicere liceat: *vocavi amicos meos, & ipsi deceperunt me.* Sicut autem in summa necessitate maximè ad amicos manum extendimus, ita eorum tunc maximè fidelitas probatur. Summa autem, quæ unquam hominem urget, necessitas, ea est, quæ illum inter mortis angustias depræhendit. Tunc, tunc *surgant, & opitulentur vobis, & in necessitate vos protegant.* Experiemini damno vestro, quòd extendetis tunc manus vestras, & non sit, qui consoletur.

Thr. 1. v. 19.

Magna mortis necessitas.

Deut. 32. v. 38.

In qua amici nos deserunt.

Testatur Cornelius à Lapide, in Belgio virum insignem in morte vocâsse & implorâsse opem uxoris: charissima conjunx adjuva me in his angustijs: cúmque illa flens diceret: Equî possum te juvare charissime marite, in morbo incurabili? vocavit filium primogenitum: Fili adjuva, eripe me ex hisce angustijs, ego pro te die & nocte laboravi, & vitam sæpe periculo exposui; cúmque ille pariter gemens diceret: utinam mi pater, te morte eripere possem, sed hoc vires meas excedit. Vocavit secundum, deinde tertium, ac cæteros ordine filios, ac filias, deinde famulos, & ancillas, quemque sigillatim compellans, ac ejus implorans opem: cúmque singuli dolentes idem responderent, dicerentque, contra mortem non esse remedium, exclamavit ille: O vanas hominum curas, ô quantum est in rebus inane! Ecce ego tibi ô uxor, vobis ô filij, & filiæ, laboravi, sudavi, vires impendi & vitam, quin & animam fortè oppignoravi: & ecce hæc est merces mea, ut in hac hora ultima implorans opem vestram, non inveniam. O quàm satiùs fuisset, si Deo servîssem, si amicos in terra & in cœlo parâssem, qui in hoc articulo mihi adessent! O si vivere liceret, quàm laperem? extendi manus meas (bene conqueri hic poterat) & non est, qui consoletur. Sed non fuit hæc miseria illi viro insigni specialis, omnes eandem experiuntur desolationem, qui non ad Deum, sed homines, & amicos carnales extendunt manus in mortis necessitate.

Cornel. in Thr. c. 1. v. 19.

Exemplum notabile.

In morte nemo invare potest amicorum.

Sed magis adhuc, & turpiùs se defraudari illi sentiunt, qui manus extendent morituri ad eas personas, quibus illicito amore, & affectu adhæserunt, in quarum consortio, & amicitia, Deum sibi hostem fecerunt, & conscientiam turpissimè macu-

maculârunt. *Surgant, & opitulentur vobis, & in necessitate vos protegant.*

V. Quòd in afflictione homo ad hominem manus extendat, & necessitate arctatus hominis imploret opem, naturæ dictat instinctus, & in hoc humanæ compatiendum fragilitati. Sed quòd homo à jurato humani generis hoste, ab ipso videlicet dæmone subinde imploret opem, & ad eum in necessitate manus extendat, non solùm summæ impietatis, sed extremæ simul dementiæ, & insaniæ est. Quid enim ab hoste, humani generis perditioni omnibus viribus procurandæ professo, aliud, quàm interitum sempiternum, & laqueum expectare poterit: extendit hic hostis funes naufrago peccatori in laqueum, funes objicit peccatorum, quos si peccator apprehenderit manu, ac collo injecerit, hoc ipso laqueo eum suspendit diabolus, sibi consentientem, non contentus aut corporis aut animæ solius interitu, nisi utrumque perdat simul. Et tamen, prô dolor! tam miseri, & excæcati inveniuntur mortales, qui angustijs suis innodati, manum ad hunc juratum hostem extendere, & opem implorare non verean-

Alij ad dæmonem recurrunt.

tur.

Sicut Saul. Erat Saul in regni sui exordio vir justus, sincerus, & candidus, & ita innocens, ut de ipso sacræ testentur paginæ; *Filius unius anni erat Saul, cùm regnare cœpisset*, qui tamen successu temporis ita à conscientiæ suæ candore, imò ab ipso Deo recesserat, ut ad ipsum dæmonem, manus in extrema sua necessitate extendere, & ab illo (sepositâ Dei, & Creatoris sui potentiâ) opem & consilium petere sustinuerit, exquirendam jubens *mulierem habentem pythonem*, cujus consilio, & ope consolationem acciperet, atque subsidium in instanti cum Philistæis prælio.

1. Reg. 13. v. 1.

Consulens Pythonissam.

1. Reg. 28. v. 7.

Sed qualem ab hoc consolatore opem, & consolationem accepit? non aliam planè, quàm quòd justo Dei judicio, & sibi & domui suæ universæ paratum cognosceret interitum, ac tremore, ac angustijs in terram projectus, ac conturbatus, omnibúsque destitutus viribus, tantâ animi dejectione, & angustiâ premeretur, ut vix ad sumendum cibum potuerit persuaderi. Hæ consolatoris illius infernalis refocillationes sunt. Et quia in hoc peccato magiæ mortuus est Saul, consultâ paulò ante conflictum Pythonissâ, maximum æternæ ejus damnationis argumentum inde trahit Cornelius.

Ideò damnatus.

VI. Ceciderat Ochozias rex Israël

4. Reg. 1 v. 2. raêl (filius impius impii Achabi) *per cancellos cœnaculi sui, quòd habebat in Samaria.* Cùm igitur malè & periculosè ex tam gravi casu haberet, præcepit famulis: *ite, consulite Belzebub deum Accaron, utrum vivere queam, de infirmitate mea hac.* Magnam ab hoc muscarum Deo acceptandam consolationem ac opem sibi rex impius promittebat. At ecce angelo commonente, his regijs internuncijs obviam processit Elias Propheta, atque de implorando regis jussu, dæmonis auxilio divinitus edoctus, asperis hisce eos excepit verbis: *Nunquid non est Deus in Israël, ut eatis ad consulendum Belzebub.* Denunciandam ergo regi mortem jubet ex Dei mandato: *De lectulo, super quem ascendisti, non descendes; sed morte morieris.*

Sicut etiam Ochozias Rex.

Ideo morte punitus à Deo.

4. Reg. 20. v. 1. Saniora consilia egit devotus rex Ezechias, qui ad mortem decumbens, imò denuntiatâ sibi jam per Prophetam Isaiam morte, *oravit ad Dominum, &c.* Ad eum solum extendens manum, & illum solum consolatorem requirens, quem etiam invenit, per Isaiam Prophetam de recuperanda intra triduum sanitate assecuratus: *Ecce sanavi te: die tertio ascendes ad templum Domini.* Quidnî in Deo confidens, & ad eum manum extendens, opem inveniat, ex tendens verò manum ad opem dæmonum, ruinam & interitum & corporis & animæ experiatur?

Ezechias recurrit ad Deum.

Et tamen hodiéque non Judeos, aut gentiles, sed ipsos etiam Christianos auxilium implorare dæmonum, & manus ad eorum subsidium extendere, compertum est. Non jam de scelesta illa hominum fæce loquor, qui per explicitum pactum, & proprij sanguinis subsignatione se illi devoverunt, miserrimè ab ipso verberibus tractari, & angustiari soliti; sed de illis tantùm loquor, qui pactis tantùm implicitis cum ipso irretiti, ita superstitionum, incantationumque diabolicarum usui publicè student, sibique, aut pecoribus eas applicari in necessitate, aut infirmitate patiuntur, ut tamen bono Christiani nomini aut vitæ nihil tales ad diabolicam manum recursus, præjudicare persuasum alijs velint.

Christiani multi ad dæmones recurrunt.

Per pacta implicita.

Quid communius vulgò & usitatius, quàm pecoribus infirmatis, & quavis lue infectis vocare vetulas, quæ certâ incantatione (sacris licet nominibus, aut signo Crucis intermixto) dæmonis opem ad sanitatem invocent? vel certa adhibeant diabolica media ad feras certò jaculandas? aut alterius sclopeti explosionem impediendam?

Incantationes, superstitiones.

endam? aut corpus suum contra hostiles ictus, impenetrabile reddendum? aut felicitatem in ludendo conciliandam? vel pecora à ferarum infestatione securè conservanda? &c.

VII. De 1. præcepto.

Narrat Joannes Heroldus, devotum quendam Eremitam per desertum iter facientem, incidisse in diabolum in humana specie porcos pascentem, tempore autumnali, quo scilicet porci glandibus saginandi in silvas aguntur. Quærebat ex eo pius Dei servus, quidnam ipsi hîc esset negotii? Cui ille, porcos, inquit, custodio, ne à feris infestentur, cùm incantatores ad hoc me coniuravetint: ne ergo homines fidem ad huiusce modi incantationes deponant, ac in errore tenaciùs perseverent, magnâ eos diligentiâ custodio. Addit Bernardinus Mercator in suo opere Cathechistico; pastorali baculo (ad boni speciem, & mali palliationem) S. Blasii nomen fuisse incisum, ac à diabolo fideliter porcos fuisse custoditos, quamdiu à se hunc baculum non dimiserit pastor.

Exemplum de pastore.

Varia superstitionum genera.

Centena talia enumerare facile esset, quæ Christiani conservandis pecoribus adhibent, præsertim fabri ferrarii in medicandis equis, sistendo sanguine, in dentium, aut oculorum doloribus, in assignandis rebus deperditis, vel etiam ipso fure sistendo, aut prodendo, item in divinationibus per chyromantiam, &c. in quibus omnibus implicito pacto manus datur diabolo, in subsidium vocato. In quibus tamen rebus subinde ita obstinatos se exhibent Christiani, ut vel pecudum, aut sanitatis, temporalisve lucri amore excæcati, vel proprii iudicii tenacitate obstinati, nullatenus se averti patiantur, cùm tamen revera indubitato & unanimi Theologorum iudicio, omnia huiusmodi media, non secreta naturæ, sed implicita sint cùm dæmone pacta, quibus ille in subsidium advocatur, certis incognitis nominibus, & signis magicâ arte excogitatis, quibus (ut quidam aiebat)

Flectere si nequeam superos, Acheronta movebo.

Et quid demum auxilii, quid consolationis sperare possunt, ab infernali hoc auxiliatore, mortales infelicissimi? nisi damna, & mala infinita mentis & corporis? malum enim plerumque exitum parant eiusmodi illicita media, &c. Non quidem eo inficias, subinde dæmonis, activa passivis applicantis, arte aliquam succedere curam, ne scilicet fidem apud homines & recursum perdat, sed tamen ipsum præstitum beneficium centenis

Nulla in hu utilia tas

tenis alijs compensat malis, sic enim etiam temporalem successum invidet homini diabolus, ut spirituali eorum non sit contentus ruinâ, nisi etiam temporales adjiciat angustias. Et siquidem infirmitatibus aut plagis adhibitæ semel fuerint ejusmodi diabolicæ incantationes, vix ulla amplius naturalis medicina solitum consequetur effectum.

Sed decepio.

VIII. Miseri ergo, & infelices homines, qui ad infensissimum hostem extendunt manus, & auxilium, ac Consolationem ab eo sperant, qui maximè nostrum interitum sitit, & desolationem. *Nunquid non est Deus in Israël, ut eatis ad consulendum Belzebub.* Nonne ipse Deus vester curandi & juvandi potentiam, & scientiam amisisse vobis videtur, & exhaustos misericordiæ ejus thesauros existimatis? an non gratiosa vobis loca, & Ecclesias sufficienter aperuit, ex quibus miraculorum, & gratiarum fontes scaturire facit? an non gratiosa undique sanctissimæ Matris suæ, ac aliorum Sanctorum vobis patrocinia erexit? Quid pro dolore dentium ad dæmones necesse tibi est recurrere, quasi non esset Deus in Israël, & concessa ab ipso S. Apoloniæ corandi dentium doloris copia, in remunerationem perpessi pro sui gloria, in excussione dentium, doloris? Quid pro oculorum, pro pectoris dolore recurritis ad artes magicas & superstitiones? nunquid non S. Lucia, S. Agatha, pro oculorum, & pectoris cura? nonne pro angina S. Blasius, pro pecudibus Leonardus, aut Martinus, contra luem pestiferam SS. Rochus, & Sebastianus? & alij, miraculosi Sancti in Ecclesia, quibus gratiam curationum concessit Deus. Quid pro rebus deperditis consulitis Deum Accaron, quasi non esset Antonius Paduanus, tot in hoc genere præclarus continuis miraculis, de quibus non tam Catholici nostri, quàm etiam Acatholici propriâ experientiâ debent testari; sed licet quidam quotidiana hæc beneficia, & sanitatum miracula protervè negare præsumerent, planè ea, nisi penitus à ratione alienati, negare non possunt; ea, quæ à S. Ambrosio, Augustino, & alijs irrefragabilis auctoritatis Patribus, notata, & posteritati certâ fide tradita sunt. Quale illud est de cæco illuminato ad sacra sanctorum Martyrum Gervasij & Prothasij corpora, tunc recenter à S. Antistite Ambrosio, per visum cœlitus edocto, reperta, uti enarrat S. Augustinus suarum confessionum l. 9. c. 7.

Ab hoste non est sperandum beneficium.

Nunquid non est Deus in Israël?

An non Sancti?

Hos Deus singularibus præsecit affectibus.

Negant miracula Acatholici.

Scripta à SS. patribus negare non possunt.

Si quidem autem Deus tam soli-

solicitos nobis auxiliatores, servos, ac sanctos suos constituit, quidni vocari eos in auxilium velit jam glorioſos in cœlo, quorum preces, Paulus implorare jam docuit, dum mortales adhuc verſarentur in terris? uti in feſto S. Angeli Cuſtodis multis memoravi, ad quæ lectorem remitto. Bene utique argumentatur Doctor melliſluus: *Quam potentiores ſunt in cœlis, qui tam potentes fuerunt in terris?* Imprimis autem Auguſtiſſimæ & potentiſſimæ cœlorum Reginæ, atque Deiparæ implorandam ardenter opem, omnes uno ore clamant, & hortantur ſancti Patres, atque Doctores. Ad hanc, ad hanc ô Chriſtiane, quæ in omnibus terræ partibus miraculoſa, ac gratioſa ſibi loca delegit, ad effundenda cultoribus ſuis beneficia, ad hanc, inquam, inter tribulationum procellas confuge, *voca ſtellam, voca Mariam*, ad hanc extende manus, & conſolatricem invenies. Hæc ad impetrandam tibi veniam, & gratiam, Filio oſtendit ubera, & Filius Patri oſtendit vulnera. Quid his auxiliatoribus amoroſius? quid ſincerius? quid efficacius?

Sancti invocandi.

Rom. 15. Epheſ. 6. 1. Theſſ. 5. &c.

S. Bern. in vigil. SS. Petri, & Pauli.

potentiores modò in cœlo.

IX. Ad has ergo auxiliatrices (ô anima) confuge manus, rejectis mundi, carnis, & diaboli laqueis, en ipſe te invitat miſericorditer Deus tuus: *Revertere ô anima ad me, ego ſum* S. Bonav. ſolil. c. 1. *Creator tuus; revertere, ego ſum Redemptor tuus. Revertere, ego ſum Conſolator tuus. Etſi hæc modica videntur; revertere ultimò, quia ego ſum tam liberalis Remunerator tuus. Quid tibi cum mundi fallacijs? cum carnis illecebris? cum dæmonum laqueis? extende pœnitens* ad Redemptorem manus tuas: *reverte adhuc ô anima, Chriſtus in Cruce te expectans habet caput inclinatum, ad te peccatricem, & immundam deoſculandam; habet brachia extenſa ad amplexandam; manus apertas ad remittendum; corpus extenſum, ad ſe totum impendendum; pedes affixos ad tecum commanendum; latus apertum, ad te in illud intromittendum.*

Invitat nos ipſe Chriſtus

Expandit manus, ut & nos extendamus.

Cùm ergo tam fidelem, ac propenſum (Dei Flium) experiaris auxiliatorem, ô anima, omnibus alijs nuncium remitte, & in ſola illius bonitate & potentia confide, ſpretis mundi, carnis & diaboli doloſis conſolationibus: ad illum ſolum, & conſtitutos nobis ab eo auxiliatores, manus extende, & omnes hoſtium facilè deridebis inſultus; hic eſt enim, qui in neceſſitate, & tribulatione, nos juvare & vult, & poteſt. *De tribulatione* (expertus loquitur David) *invocavi Dominum, & exaudivit me in latitudine Dominus. Dominus mihi adiutor, non timebo, quid faciat mihi homo.* Dominus

Dominus adiutor

Pſal. 117. v. 5.

minus mihi adiutor, & ego, talem habens adiutorem (glossatur Hugo) despiciam inimicos meos, scilicet mundum, carnem, diabolum, mundum debemus despicere propter sui vanitatem; carnem propter sui vilitatem; diabolum propter sui malignitatem. Concludamus ergo cum Psalmista regio: *Bonum est confidere in Domino, quàm confidere in homine.* Ad Deum ergo, in quo confidimus, manus extendamus, & cum nobis in præsentibus angustijs auxiliatorem, & in futurâ vitâ benignum experiemur consolatorem, atque remuneratorem, Amen.

Hugo Card. hic.

Mundus, caro, dæmon despiciendi.

DISCVRSUS XXXVII.

Phe.

Facta est Jerusalem, quasi polluta menstruis inter eos. *Thren. 1. v. 17.*

DE ECCLESIA.

Plangit ex affectata malorum, præsertim hæreticorum, societate, multos pollui, & seduci.

1. HUic versui, præponitur Phe, quod interpretatur, *Oris.* Expandit igitur afflicta Sion manus, *ut, quod non valet ore, significet manuum expansione,* uti interlinearis glossatur. Malum autem, inexplicabile verbis, quòd expansis deplorat manibus, est, quòd non solùm hostibus sit circumvallata, & concluſa, sed maximè talibus hostibus impuris, & contaminatis, ut puram & incontaminatam se *inter illos* conservare nequiverit: *Facta est Ierusalem, quasi polluta menstruis, inter eos.* Ubi Hugo Carensis multiplicem notat pollutionem, cujus non minima species est *malæ societatis,*

Gl. Interlin.

Societas mala polluit.

Hugo Card.

tis, quæ per consortium, & cohabitationem malorum, maximè verò hæreticorum contrahitur, tantum in Ecclesiam invehens malum, ut manuum expansione, majorem suum indicet esse dolorem, quàm ut possit exprimi sermone oris. Quare in præsenti declarabo breviter, quàm nociva sit malorum, præsertim hæreticorum, fidelibus societas, cuius malam inexplicabile præsenti versu Ecclesia deplorat.

II. Inter plurimas morales, & utilissimas doctrinas, etiam hanc tradit in Proverbijs suis Salomon: *Qui cum sapientibus graditur, sapiens erit; amicus stultorum similis efficietur*: Quibus verbis non tam bonæ societatis utilitatem, quàm malæ damnum, & periculum insinuat. Et siquidem malus cum bono, ac bonus societur cum malo, maius semper erit periculum seducendi à malo boni, quàm spes convertendi à bono mali: quia semper nitimur in vetitum, ac faciliùs socius bonus à malo deorsum, quàm malus à bono trahitur sursum. Maius est contagium mali, quàm boni, & faciliùs addiscitur vitium, quàm virtus. Neque bonitas, ac sanitas mentis eam habet sanandi, qualem malitia vim inficiendi. Inter centum oves sanas, si una reperiatur scabiosa, hæc citiùs omnes alias inficiet, quàm hæc à consortio reliquarum sanetur. Leprosus à sanorũ cohabitatione non mundatur, bene autem sani in ejus contubernio maculantur. Pestilenti, & malignâ febre correptus, totam inficiet domum, quem plena domesticorum sanitas non restituet. Pomum putridum si sanis commisceatur, ab his nequaquam suæ restituetur integritati, sed facilè reliqua omnia solius putridi affinitate corrumpentur. Olla fuliginosa à vase etiam mundissimo, sibi apposito, nihilo fit mundior, sed bene vas mundum, ab olla fuliginosa mutuatur nigredinem. Mensura integra lactis infusa atramento, non istud dealbare poterit, sed modicum atramentum, infusum integræ lactis mensuræ, hujus obscurabit candorem. Magna licet mellis copia felli infusa, amaritudinem huius non extinguet, parva tamen fellis particula, magnam mellis massam replebit amaritudine. Vitium est fel; virtus est mel: majoris semper activitatis est vitium in socio corrumpendo, quàm virtus in sanando. Unde bene ex Isidoro concludit Ven. Beda: *Melius est habere malorum odium, quàm consortium*. Licet enim bonus, ferventi zelo, ac bonâ intentione ductus, subinde con-

Declaratur per similitudinem.

Societas mala maioris efficacia

quàm bona.

Sanitas non sanat sicut contagio inficit.

Beda in locis comm. c. 62.

Melius est odium, quàm consortium malorum.

sortium quærat malorum, ad horum conversionem; noverit tamen rem esse plenam periculo, & dubios piorum ejusmodi stratagematum effectus, æquè enim timeat de suamet seductione, ac de alterius speret conversione; & vix etiam in moralibus in passum vehemens datur actio, quin non detur reactio.

Icterus attrahit malignitatem.

Icterus, avicula subflava, si flava bile infectum (qui hinc Ictericus dicitur) respiciat, sanari hunc quidem affirmant, illam verò attracto maligno flavæ bilis humore infirmari, imò & emori. Idem aliquando indiscretè zelosis contingit viris, ut dum varijs vitiorum malignitatibus corruptos sanaturi illis se sociant, malignitatem a b ægro extractã, in se attrahant, & imbibant, quare citiùs malorum odium, quàm consortium approbaverim: magnæ enim est temeritatis, nimium de propria virtute præsumere, & debiliorem æstimare alienam infirmitatem, quàm propriam firmitatem, cùm tamen summè activa, plerumque minùs sint restitiva.

III. Novi ego virum nobili familiâ ex urbe quadam celebri, licet Acatholicâ natum, qui Gallias in juventutis flore peragrando, ibidem non solùm fidem Catholicam, sed etiam religiosum habitum amplexus, tanto fervore religionis suæ tyrocinia posuit, ac etiam sacro presbyteratûs ordine initiatus, tantâ devotione incruentum illud sacrificium obtulit, ut magnam sibi pene sanctitatis famam apud omnes comparaverit. Exarsit etiam in eo magnus convertendorum, ad orthodoxam fidem, parentum zelus, in quem finem à suo superiore licentiam visendi parentes, non tamen civitatem ingrediendi, cum socio obtinuit. Patriæ igitur vicinus, consultiùs duxit ipsam civitatem, & paternam subire domum, quem tamen socius (tenori obedientiæ ad literam tenaciter inhærens, ac ejus limites nec latum unguem transgredi volens) comitari noluit. Solus ergo (obedientiæ clypeo jam exarmatus) paternam subijt domum, ac à parentibus, licet religiosum in eo habitum summè aversantibus tamen dissimulato dolore, benignè acceptus, solemnique convivio, tanquam filius prodigus, è longinqua regione adventans, exceptus fuit, invitatis etiam confidentioribus aliquot propinquis, & præter comptas, & exquisitæ formæ juvenculas, ad latas Religiosi collcatas; omnis tunc à parentibus dissimulatus dolor, ac dolus, ac post transactam

Exemplum mutabile.

Obedientia transgressio

Initium ruinæ.

actam jocosis, ac subinde falsis discursibus cœnam, cubitum ductus bonus Religiosus, cujus animus parentum blanditijs, amicorum comitate, ac juvencularum affabilitate, ciborum lautitia jã erat tantisper fract'. Cúmq; alto sepultus somno dormiret, religiosæ ipsi clàm fuêre subductæ vestes, quibus ipse sublatis manè parentum tum gemitibus, tum armatis precibus, ac etiam minis victus, cum religiosa professione, simul etiam catholicam fidem exuere consensit, cui mox prædives, ac speciosa conquisita sponsa, festumque nuptiale summo totius civitatis applausu celebratum fuit, deficiente interim pene, præ dolore ac compassione, socio, qui de lamentabili casu informatus, ac prope tristitiâ absorptus domum redjit.

Pœnituit quidem millies miserum commissi erroris, unde etiam conscientiæ stimulis exagitatus, ac in melancoliâ profundatus, vix unquam ridere visus est, sed tamen conjugis, liberorum, ac amicorum copiâ circumvallatus, redeundi vel occasionem, vel animum nunquam efficacem habuit. Uxore primâ defunctâ, mox ipsi in conjugium juvencula Jovialis genij exquisita, quæ melancoliam sua vivacitate pelleret, sed frustra; semper enim uti conscientiæ stimulus, ita animo hæsit melancolia, uti ipse vidi, dum semel thermis usus, cum alijs suæ urbis nobilibus Monasterium nostrum inviseret, miserandum omnibus factus religiosis spectaculum, & exemplum, quo quisque magis malorum (maximè hæreticorum) odium, quàm consortium eligere, ipsius damno edoceretur.

IV.

E Mesopotamia cum conjugibus, liberis, ac pecoribus in patriam perrecturus Patriarcha Jacob, obvium habuit, Gen. 33. v. 12. cum armata militum manu, Esau fratrem suum: hic per orationem ad Deum fusam, magis, quàm per submissionem, & munera fratris placatus, etiam se socium itineris obtulit: *Gradiamur simul, eroque socius itineris tui.* Miram hîc observationem habet Hugo Cardinalis: *Hîc gerit Esau personam principum sæcularium, Iacob personam Prælatorum Ecclesiæ. Dicit ergo Esau Iacob: Gradiamur simul in pompis & phaleris; nec est, qui contradicat: imò iam cum maiori pompa, & pluribus equis, & avibus vadunt Prælati Ecclesiastici, & Clerici, quàm Principes sæculares, quasi non ministerium sit eis creditum, sed magis regnum, vel imperium. Dicitur de Carolo, quòd abstulit nepoti suo Episcopatum, quia vidit eum citò, & viriliter ascendere super equum, sicut milites.* Hæc Hugo.

Iacob notat se associare Esau.

Hugo Card. hic

Prælati Principibus similes in pompa.

Si verò cum sæcularibus con-

Societatum sæcularibus periculosa.

versando, vivaces, & dissolutos sæcularium haurimus mores, & gestus, etiam vitiosos facilè eorum induemus habitus, cum illis gradi, & conversari refugiamus: nam uti observat Seraphicus: *Noluit ambulare Iacob cum malo fratre, licet placâsset eum muneribus, & ille sæcus instaret, & signa dilectionis ostenderet.* Instabat Esau; *Oro te, ut de populo, qui mecum est, saltem socij remaneant viæ tuæ.* Sed neque hoc amicitiæ genus admisit Jacob: & bene, & ad nostram doctrinam. Nam eodem Hugone teste: sicut Esau, *ita facit diabolus; si potest, facit homines peccare per se, si non potest, suggerit pravam societatem, ut per illam corrumpantur pauliſper.* Invitat primùm astutus serpens hominem simplicem, *gradiamur simul, eróque socius itineris tui*, sed cùm quivis hunc horreat socium, substituit alios ex sua cohorte socios, & stipendiarios; hi *saltem socij remaneant viæ tuæ*, qui scilicet per prava colloquia animum corrumpant; nam teste Apostolo; *corrumpunt mores bonos, colloquia mala*, quòd maximè de hæreticis intelligendum repetit Apostolus, qui ad Timotheum scribens, ait: *Profana autem & vaniloquia devita, multum enim proficiunt ad impietatem, & sermo eorum, ut cancer serpit.* Sermo eorum, *id est, hæreticorum, & falsorum Prædicatorum*, uti exponit Lyranus, ut cancer serpit.

S. Bonav. in Bibl. pauperum c. 120.

Hugo hîc.

Per hanc diabolus superat homines.

1. Corint. 15 v. 33. 2. Timoth. 2. v. 17.

V.

Nullus morborum Cancro, sive Gangræna horribilior, qui de membro ad membrum serpit, donec totum inficiat, & depascat corpus. *Talis est hæresis*, ait Cornelius, *quæ semper serpit tum ab uno errore in alium, & ex malo in deterius semper proserpit, & prolabitur. Tum potiùs, & amplius serpit hæresis quasi Cancer, ab uno homine in alium, ab una urbe & provincia in aliam.* Ab uno membro in aliud. Sicut ergo periculosissima est cohabitatio hominis Cancro infecti, cujus solus contactus, aut maligna exhalatio alterum valet inficere, & accedente calore serpere per totum corpus, sic etiam sermo hæreticorum, ut cancer serpens, facilè inficit malignâ afflatione, & societate cohabitantes, nam uti probè notat S. Leo Papa: *Sermo eorum serpit, ut cancer; humiliter irrepunt, blandè capiunt, molliter ligant, latenter occidunt.* Te blandè invitant, gradiamur simul, eróque socius itineris tui, cohabita mecum, in nostra civitate, in nostra commorare domo, omne benevolentiæ & amicitiæ genus experieris, *sortem mitte nobiscum, marsupium unum sit omnium nostrûm.* Sed monet Sapiens: *Fili mi, ne ambules cum eis, &c.*

Cornelius hîc.

Similitudo Cancri.

Societas & sermo hæreticorum.

S. Leo serm. 6 de jejunio decimi mensis.

Prov. 1. v. 14.

Licet

Licet enim nihil mali adhuc prodant, nec religionis libertatem impugnandam simulent, tamen latet cancer, latet venenum, suo jam tempore in tuam ruinam erupturum.

Aspides ova pariunt.

Serpentes, aspides, & ejusmodi venenosum animalium genus, non statim edunt fœtum, sed ova, à quibus nullum adhuc imminet periculum, donec calore fœtus vivificatus, rupto prodeat ovo, tunc enim jam sibilare & inficere incipiet erumpens serpens, aut regulus.

Isaic. 59. v. 5.

Ova aspidum ruperunt (ait Isaias) *qui comederit de ovis eorum, morietur, & quod confotum est, erumpet in regulum.* Sic ille qui se malis, & impijs jungit, ab initio nullum apertum & serpentinũ videbit malum, nullum advertet regulum, sed omnia candidâ ovorum cuticulâ erunt abscondita. Successivè cùm incaluerint, rumpentur ova, qui comederit de ovis eorum, morietur, dum erumpentem deglutivit regulum. *Ovis similis malorum societas.*

Cornelius hic.

Nota hîc (ait Cornelius) *quæ sit vis, & pernicies perversæ societatis, quàm exitiale sit, cum impijs conversari, & sociari.*

Rupta venenum effundunt.

Hi enim in mensis, simposijs, ludis ova aspidum cum eis comedunt, & venenum libidinis, scurrilitatis, rixarum, aut etiam pravorum dogmatum hauriunt, quo animam necant.

Iuvenes imbibunt venenum

VI. Quot juvenes probè à parentibus educati, & in rebus fidei bene instructi, ad alienas ablegati terras, vel ut addiscendis linguis, & excolendis moribus, aut artibus, &c. studeant, dum ad ejusmodi malas veniunt societates, latentes in ovis regulos, & venenum hauriunt, hæreticas doctrinas imbibunt, ita tenaciter animo hærentes, ut vix amplius ullo Antidoto valeant expelli. Hinc audies eorum aliquos, vel conjugijs implicatos sub spe pinguioris dotis, Catholicam abjurare fidem, alios licet domum reversos, Acatholicorum commendare ritus, extollere gratiosum in conversando modum, & in eam demum erumpere conclusionem, in omni fide salutem licere consequi, modò in Christum credatur. Ecce quàm exitiosum venenum! ecce quàm utilius sit odium, quàm consortium hæreticorum?

In terrâ Acatholicorum.

Et siquidem ita venenum hauriant, bene educati & in fide fundati, quid immorigeratis, luridè educatis, & rudibus in fide continget, si ad ejusmodi deveniant occasiones, & societates? caveant parentes, magnam Deo reddituri rationem, si filios temerè in regiones Acatholicas emittant, caveant locorum superiores, & domini territoriales, si in hoc casu parentibus non severam faciant

Caveant parentes, & magistratus.

ciant inhibitionem, gravibus etiam mulctis, & pœnis exequendam. Perrarò enim sine gravi damno & infectione malorum societas frequentatur.

Iudæi interdictus aditus Ægypti.

Reliquiæ Judæorum in Palæstina post dirutam urbem Jerosolymorum commorantes, ne denuò graviora à Chaldæis mala expectare deberent, consultare cœperunt de adeunda contra Dei præceptum, Ægypto; Ierem. 42. v. 14. *Non habitabimus in terra ista... Sed ad terram Ægypti pergemus, ubi non videbimus bellum, & clangorem tubæ non audiemus, & famem non sustinebimus, &c.* Sed contra hos vehementer exacerbatus Deus, dira omnia, & mala ipsis eventura minatur, quibus ipsi non attentis, instigante maximè Johannan filio Chareæ, Ægyptum ingressi sunt. Ibi non tantùm iterum fame, & gladio à Chaldæis unà cum Ægyptijs afflicti, sed ab Ægyptijs maximè Idololatriæ deditis, ad eandem adducti sunt, uti olim patribus eorum contigerat: *Commixti sunt inter gentes, & didicerunt opera eorum. Quia difficile est* (ait Hugo in hunc passum) *tangere serpentem, & non invenenari; & picem, & non contaminari. Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea.*

Ierem. 43.

Ne discerent opera eorum.

Psal 105. v. 35.

Hugo Card Eccli. 13. v. 1.

societas est venenum, & pix.

Venenum valdè activum, est malignitas vitiorum, pix valde viscosa, & adhæsiva, est doctrina hæreticorum, cùm enim magnam vivendi, & conscientiæ libertatem admittat, facilè adhæret picis instar: hanc picem frequenter secum ex alienis Acatholicorum terris ferunt vagabundi nostri Catholici, ita ut magno labore vix actionum, & apprehensionum perversarum picem illis abstergere, & avellere valeamus. Commixti sunt inter gentes, & didicerunt non tantùm doctrinam, sed etiam opera eorum.

VII. Didicerunt etiam Politici nostri maximas politicas eorum, ut non ea, quæ multis, quæ communitati, quæ reip blicæ, sed quæ sibi utilia sunt, & interesse privatum contingunt, & promovent, quærere intendant, quidquid deinde religio vel directè, vel indirectè patiatur. Didicerunt ab eis lucro tantùm temporali inhiare, terrena quærere, cœlestia parum curare. Quare apparet, quàm periculosum sit cum malis multa habere fœdera, consortia, commercia, & connubia, quæ etiam Israëlitis sub gravi comminatione maximè inhibuerat Deus cum gentibus, contrahenda. *Quodsi volueritis gentium harum, quæ inter vos habitant, erroribus adhærere, & cum eis miscere connubia, & amicitias copulare, &c.* Contrahendos Deus, gentium errores prævet, ut autem sciant

Ab hæreticis discimus politam.

Iosue c. 23. v. 13.

Israë-

Israëlitæ, qualiter isti contrahantur, nempe per occasionem cohabitandi, & societatem amicabilem, aut maritalem, misceri vetat connubia, & amicitias copulari: *quod erat eis prohibitum Deutr. 7.* (ait Lyranus) *quia talia sunt occasiones recedendi à cultu divino.* Cum maximo liberorum pariter seducendorum detrimento; unde ulteriùs pergit textus præcitatus, idemque confirmat: *Erunt vobis in vocam, ac laqueum, & offendiculum,* scilicet *transgressionis*, uti Lyranus exponit.

Connubia cum ijs periculosa.

Lyranus hic.

VIII. Eâdem ex causa ægrè tulit Deus, quod Rex Iuda Josaphat, aliàs Deo devotus cum impio & gentili Israelitarum Rege Ochozia fœdus percusserit, ac in bello subsidium miserit, atque arma conjunxerit cum impio Rege Achab. Unde illi imprimis per Prophetam insinuari fecit. *Quia habuisti fœdus cum Ochozia, percussit Dominus omnia opera tua, contritæque sunt naves, &c.* non leviùs, imò graviùs deliquit Iosaphat, eò quòd *affinitate coniunctus est Achab*, nempe Athaliam filiam Achab, dando uxorem filio suo Joram. Ut ergo testatur Cornelius, *hoc unicum fuit peccatum Iosaphat, quòd societatem, & connubium miscuerit cum impio Achab. Athalia enim filia Achab, Idololatriam in Iudæam invexit, adeoque occisis omnibus regis filijs, seipsam Reginam effecit.* Quare meritò initam cum impia Achabi domo amicitiam, & affinitatem ipsi Josaphat exprobravit Jehu filius Hannani: *Impio præbes auxilium, & his, qui oderunt Dominum, amicitiâ jungeris, & idcirco iram quidem Dei mereberis.* Quidni iram Dei mereantur, qui hodieque ex Christianis arcto fœdere Turcis & Saracenis se sociare, & jungere non erubescunt.

Item fœdera.

2. Paral. 20. v. 37.

2. Paral. 18. v. 1.

Exemplo Iosophat.

2. Paral. 19. v. 2.

Sunt quidem qui publicis scriptis commendant modernorum Principum nostrorum Orthodoxorum prudentem politiam, & boni publici promovendi zelum, dum relictâ priori scrupulositate, & politiâ monasticâ (ut eorum verbis utar) labentibus confœderati Belgij rebus succurrere, alijsque protestantium Principum armis se conjungere non dedignati sunt, sed qualem, erepti ex hostium faucibus, confœderati status nobis compensatione rependant, & in quale periculum totum Imperium Romanum conjecerint, nostro, prô dolor, experimur damno. Licet in Domino confidam, omnia demum in melius convertenda, quia & bona intentio, & *bona opera inventa sunt in te.*

Docemur nostro damno.

2. Par. 19. v. 3.

Missus ad delendum Amalec Saul, confidenter admonuit Cinæum: *Abite, recedite, atque descen-*

1. Reg. 15. v. 6. *scendite ab Amalec, ne fortè involvam te cum eo.* Sic & Moyses præcepit populo, ut recederet à tabernaculis hominum impiorum, Chore scilicet, Dathan, & Abiron, *Ne involvamini in peccatis eorum*, & simul in pœna eorum, qui hiante sub pedibus terrâ, vivi in infernum absorpti sunt. Meritò igitur, & paterna sollicitudine populum moneri præcepit Deus: *Separamini de medio congregationis huius.* Separamini, ne simul involvamini in eorum interitu, separamini. *Sic Noë cum domo sua separatur, alijs in diluvio submergendis* (addit ex Augustino Hugo Card.) *sic Lot cum suis ex Sodomis extrahitur ab Angelo, alijs igne, & sulphure perituris: sic filij Israël ab Ægyptijs, marinis fluctibus obruendis. Sic isti modò à Synagoga Chore, terræ hiatu absorbendâ.* Quod idem ijsdem pene verbis confirmat glossa ordinaria. Et concludit Cornelius: *Vide, quàm Deus vitari velit peccatorum consortia, quámque peccatum sit noxium, & contagiosum.*

Num. 16. v. 26.

Boni mala declinent,

Hugo Card. hîc.

Ne involvamur cum eis.

Cornelius hîc.

IX. Planè formidabilis Apostolorum Principis casus (dum ipse in atrio versans, & conversans cum satellitibus, & ancillâ ostiaria, ad negandum Christum fuit inductus) satis nos erudit, quam periculosa sint malorum consortia. Commendatur quidem à S. Hieronymo Nebridius, Augustorum condiscipulus, quòd licet inter aulicos, non mutaverit mores, ab aulâ tamen exiverit, ne mutaretur: nam juxta commune verbum: Exeat aulâ, qui volet esse pius. Unde aulicorum se societate abdicans, omne consortium cum Monachis, & Clericis postea habuit, ait Hieron: *Quis enim fornacem regis Babylonij sine adustione ingressus est? cujus adolescentis, Ægyptia Domina, pallium non tenuit?*

Casus Petri nos instruat.

S. Hieron. epist. 6. ad Salvinam.

Quem diu non vicit cupiditas

At dices; nihil hactenus mihi consortium malorum nocuit, non ignis Babylonius adussit. Noli nimium de superatis hactenus periculis præsumere, & intumescere, quem violenta frangere non potuit occasio, diuturna potuit aliquando domare societas, & malorum consuetudo. Præclarè Isidorus: *Ante ignem consistens, etiamsi ferreus sis, aliquando dissolveris. Proximus periculo, diu tutus non erit. Sæpe familiaritas implicavit, sæpe peccandi occasionem dedit; sæpe quod voluntas non potuit, assiduitas superavit.* Et mox: *Melius est habere malorum odium, quàm consortium; sicut bona multa, habet communis vita sanctorum, sic plurima mala, societas affert malorum.*

S. Isid. l. 2. solilo. que.

Vincit assiduitas.

Relictâ igitur malorum societate, quæ ad mala pariter nos trahit, & ad æternam, à bonis, separationem, fulminante per ju-

judicem sententiâ condemnabitur, ad eorum transeamus societatem in terris, qui ad dexteram, tanquam oves, collocandi, ad suam nos felicissimam societatem invitant æternùm perfruendam in cœlis, Amen.

DISCVRSUS XXXVIII.

Phe.

Facta est Jerusalem, quasi polluta menstruis inter eos. *Thren. 1. v. 17.*

DE ANIMA.

Anima per peccatum fœdè polluta, per pœnitentiam tamen recuperat pristinam pulchritudinem.

DEploratPropheta factam Jerusalem, scilicet Ecclesiam, vel animam (uti Hugo exponit) quasi pollutam menstruis inter eos, nempe hostes; maximè autem anima per desideria & opera tum carnalia, tum sanguinaria (iuxta expositionem sancti Hieronymi) imò per quælibet peccata mortalia polluitur, maculatur, & sordidatur. De qua etiam superiùs dictum fuerat: *Et egressus est à filia Sion omnis decor ejus*, nam *anima malis moribus illecta perdidit decorem, id est, virtutum ornamentum*, affirmat ordinaria. Est enim anima virtutum decore, & gratiâ Dei ornata, sicut regina pulcherrima, superans omnem naturalem pulchritudinem Angelorum, & omnium creaturarum, per gratiam divinæ facta consors naturæ. Hæc autem pulchritudo ab anima egreditur, dum in peccatis, quasi menstruata polluitur, quæ meritò turpitudinem suam execrata, ad Deum Creatorem suum

Thren. 1. v. 6.

Gl. ordinaria.

Anima peccatrix amittit decorem.

um gemendo, & supirando exclamat: *Vide Domine, & considera, quoniam facta sum vilis.* Quàm ergo anima in peccatis pollura vilis sit, & dedecorata, per pœnitentiam tamen pristino restituenda decori, & dignitati, breviter exponam.

Thren. 1. v. 11.

II.

Magnus & puritatis, & pulchritudinis amator est Deus, de quo testatur Psaltes regius; *concupiscet Rex decorem tuum*, cui proinde obviam processuræ prudentes virgines ornaverant lampades suas. Non minus in conservando decore, & comparando ornatu solicitæ videntur esse virgines, & domicellæ nostræ modernæ, majorem diei partem in adornando capite, discriminandis capillis, adaptando mundo muliebri intentæ, omnes vultûs sui maculas judice, ac arbitro speculo examinantes; sed non hæc illa à divino sponso, & superno Rege desiderata species, & ornatus est, quo sepulchra dealbata, plena ossibus mortuorum adornantur, sed internam Deus quærit pulchritudinem, quam licet vili contectam sacco, concupiscit. *Omnis gloria eius filiæ Regis ab intus.* Intus in conscientia; intus in anima. Interna hac pulchritudine (quam divini respiciunt oculi) per peccatum destructâ, lepra peccati animam inficit, & maculat: nam sicut lepra materialis exteriùs adhæret cuti, & externis patet oculis, ita è contra lepra peccati interiùs adhæret menti, & fœdiùs maculat animam, quàm lepra materialis corpus; si ergo Israëlitis præcepit Deus, *ut ejicerent de castris omnem leprosum* multo magis de suo & sanctorum suorum consortio Deus ejicit animam peccatricem, tanquam pollutam menstruis, & leprâ inter eos. Apositè ad propositum nostrum loquitur Doctor Seraphicus; *Leprosus.. peccatorem significat, qui coram Deo, Angelis, & omnibus sanctis fœtidior, & abominabilior est omni leproso; & ideò tanquam leprosus de consortio sanctorum ejicitur in die novissimo.*

Psal. 44. v. 12.

Psal. 44. v. 14.

Peccator leprosus.

Num. 5.

S. Bonav. serm. 2. dom. 2. Epiph.

Est lepra malum contagiosum, & sufficiens causa faciendi divortij, & separandæ conjugalis cohabitationis, ac thori, donec à lepra penitus conjux fuerit liberatus, & purificatus. Sic & lepra peccati divortium facit inter Deum, & animam: huic enim meritò se unire per gratiam, & charitatem recusat Deus, quamdiu contagiosâ & fœtenti leprâ infecta est. Sed quonam remedio hæc fœtens lepra sanatur? pœnitentiæ fonte ac calidis contritionis lacrymis, *pœnitentia languores sanat, leprosos curat* [affirmat ex S. Augustino Seraphicus] pristinamque

Lepra causa divortij.

Sanatur per pœnitentiam.

S. Bonav. ibidem.

Psal. 95. v. 6. que animæ restituit pulchritudinem. Unde Psalmista: *Confessio & pulchritudo in conspectu eius.*

S. Aug. hic. Ubi accuratè notat Augustinus; *non dixit, pulchritudo, & confessio, sed confessio, & pulchritudo; fœdus eras? confitere, ut sis pulcher;*

Pulchritudo sequitur confessionem. *prius eligamus confessionem, & sequatur pulchritudo.* Observat etiam Hugo Card. quòd Judith erat inæstimabilis pulchritudinis, sive [ut ipsius textûs sacri verbis utar] *erat autem eleganti aspectu nimis*, Judith autem interpretatur confessio; confessio enim, & pulchritudo in conspectu eius. Fœdus eras, confitere, ut sis pulcher.

Iudith, 8. v. 7.

III. Magna solicitudine & expensis solet vanum mulierum genus conquirere secreta remedia conservandæ formæ, eluendis maculis, & rugis; & olim quidem mulieres nitoris studiosissimas nitro uti solitas, asserit Isidorus, & Athanasius, unde illud Jeremiæ: *Si laveris te nitro, & multiplicaveris tibi herbam Borith, maculata es in iniquitate tua coram me, dicit Dominus Deus.* Est Borith herba fullonum qua scilicet ipsi pannorum sordes abluunt, & purgant. Tanta autem animæ peccatricis est fœditas, & sordida deformitas, ut neque nitrum neque herba Borith illam reformare, & diluere valeat, unde aliud nitrum, & herbam fullonum inquirere necesse est, abluendis iniquitatum nostrarum maculis & sordibus Et quænam hæc? *Nitrum nostrum, & herba fullonis pœnitentia est*, respondet S. Hieronymus. Habebat etiam Synagoga suum nitrum, & herbam Borith, lustrationes scilicet legales, baptismata, & sacrificia, quæ tamen abluendis peccatorum maculis insufficientes erant: pœnitentia autem novi testamenti, Sacramento vel in re, vel in voto conjunctum, nitrum & herba fullonis efficacissima est, omnem abluens deformitatis maculam, & rugam abstergens vetustatis.

Ieremi. 2 v. 22.

Pœnitentia est nitrum, & herba fullonum.

S. Hieron. hic.

O quantam pecuniæ summam deformes quandoque numerarent vetulæ, si egressum à se juventutis nitidæ, decorem renovare possent, & herba fullonum canos tingere capillos, & calvitiem revestire. *Decalvare, & tondere super filios delitiarum tuarum, dilata calvitium tuum, sicut aquila.* Hæc verba etiam de conditione humana posse accipi, ex vetustis commentarijs testatur Hieronymus. *O anima humana! ô urbs quondam sanctorum mater, quæ prius eras in paradyso... & habebas speciosissimam comam, nunc quia proiecta es de sublimibus, & deducta in Babylonem, & venisti in locum captivitatis, & perdidisti comam tuam.* Sicuti olim tondebantur mancipia. Per comam autem

Anima peccatrix, decalvata.

Mich. 1. v. 16.

S. Hieron. hic.

autem & crines (quos nutrire solebant Nazaræi) gratiam & dona spiritus sancti intelligit cum S. Isidoro Hugo Card. quam perdit anima, dum in sinu Dalilæ sensualitatis recumbens obdormit, & rasa decalvatur. Quodsi virgo summopere de abrasis capillis, & calvitio erubescit, & summa divinæ vindictæ comminatio fuit, erga reprobas filias Sion: *Et erit pro suavi odore fœtor, & pro zona funiculus, & pro crispante crine calvitium.* Iterum: *Vocabit Dominus Deus exercituum in die illa ad fletum, & ad planctum, & ad calvitium, &c.* Multò magis coram Deo, & Angelis eius erubescet de calvitio anima humana, dum per peccatum crispante suo crine gratiarum, donorum, & virtutum privata, & denudata comparebit. Quid ergo de hoc ignominioso suo calvitio faciet anima? *Dilata calvitium tuum sicut aquila.* *Aquila* enim (teste S. Hieronymo) *certo tempore amittit pilos, & remanet implumis*, sed hoc calvitium, & senectutem calvam innovat, dum reliquis adhuc plumis ad solis radios se elevans, eius calore se accendit, & accensa, in fontem præceps volando, eius se aquis refrigerat & renovat: *Renovabitur, ut aquilæ, iuventus tua.* Sic anima per peccatum decalvata, sursum se ad solem divinæ Iustitiæ agens, divinæ charitatis se radijs accendat, ac pœnitentiæ aquis se refrigerans, renovet calvitium & senectutem suam. Fœda eras? confitere, ut sis pulchra, & concupiscet Rex decorem tuum.

Hugo Iudic. 16. v. 19.

Isa 3. v. 24.

Isa 22. v. 12.

Sicut aquila pilos resumat.

Psal. 102 v. 5.

IV.

Solent in matrimonium reges deposcere filias non tam specie, quàm generis prosapiâ illustres. Est anima justa, non tam sponsa, quàm Filia Dei: ipsius enim & genus sumus; à Deo igitur & speciem & nobilitatem animæ hæreditans, meritò digna Filij Dei habetur sponsa. Anima verò peccatrix, uti speciem, ita & Dei perdit filiationem, ut jam non amplius mereatur Deum vocare Patrem. Sed *Pater tuus Amorrhæus; mater tua Cethæa.* Quis ille Amorrhæus? respondet glossa moralis: *Peccato namque nascitur, qui peccatum mortale facit, & in hac generatione diabolus, pater est, qui dicitur Amorrhæus, id est amare loquens, ad peccati mortalis amaritudinem inducendo. Unde taliter inductis dicitur: vos ex patre diabolo estis.* Multùm de prædara patrum prosapia gloriantur mortales, solentque nobili loco, & parentibus nati, vilibus ortos natalibus superbo supercilio, & quasi ex altiori theatro despicere, qui tamen peccatis mortalibus infecti & contaminati, majorem seipsos despiciendi habe-

Anima peccatrix Filia diaboli.

Ezechiel. v. 3.

Gloss. Mor.

Ioan. 8. v. 44.

Ignominiosa anima, diabolum habere patrem.

haberent causam, utpote turpissimo, abominabili, & abjectissimo patre nati.

S. Bonav. serm. 2. de nativ. S. Ioan. Bapt.

Optimè insinuat Doctor Seraphicus: *Ignominia certè est, si homo natus de parente turpissimo, id est, de cane, vel lupo, quanto magis de diabolo*, infernali illo Cerbero, & infami lupo, dominicas oves infestante, *toties enim diabolo nascitur* (addit præfatus S. Doctor) *quoties mortaliter peccat*: vos ex patre diabolo estis.

Filij indices sunt parentum.

Sunt plerumque filii speculum parentum, horum enim & facies & mores in filijs, tanquam speculis repræsentantur, nam sicut nascendo à parentibus trahunt similitudinem vultûs, ita imitando eorum imbibunt mores. Anima peccatrix filia est diaboli, non quòd hic creando sit pater, sed illa imitando filia. Et hinc in filia diaboli, anima peccatrice, tanquam speculo diaboli, hujus canina invidia, & ira, lupina gulositas, & rapacitas repræsentatur, ut vel ex ipsis actibus diabolicis in ea comparentibus, eam diaboli filiam agnoscere liceat. *Vos ex patre diabolo estis, & desideria patris vestri vultis facere.*

V.

Lud. Blosius in spec. spirit. c. 3.

Sicut autem in moribus, ita etiam in ipsa deformitate, turpissimum patrem diabolum repræsentat peccatrix anima. Testatur quidem Ludov. Blosius, quòd *tanta est elegantia, & formositas animæ rationalis, quam peccatorum sordes non deturpant, ut si tu, Anima miserrima eam clarius cernere posses, vix scires præ admiratione, & gaudio ubinam esses.* Nihil enim ad Angelorum pulchritudinem inexplicabilem propius accedit, quàm anima rationalis, mediante gratiâ sanctificante, divinæ consors naturæ. Sed tolle ab anima gratiam, detonde capillos donorum, decalva eam virtutibus, peccatorum sordibus & fuligine obducito, & erit imago turpissimi dæmonis, nigroque simillima patri. *Præcipitur* autem animæ peccatrici (uti S. Aug. observat tract. 14 in Joann.) *ut relinquat antiquum patrem, & dicitur ad eam: Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam, & obliviscere populum tuum, & domum patris tui*, id est diaboli, cujus, imitando, hactenus fuisti filia, & concupiscet Rex decorem tuum.

Per peccatum assimilatur diabolo.

S. Aug. tract. 14. in Ioan.

Sed quem decorem? non enim nisi turpia, & indecora omnia in anima peccatrice reperiuntur. Notandum hîc, quòd homo amando puellam, se ipsi copulando, venustiorem eam reddere non valet, Deus autem turpissimam, & peccatis obscuratam amando animam, gratiâ suâ, & amoris sui radijs decorare mirabiliter potest. *Videsti aliquando nubem atram* (quærit S. Antistes Valentinas) *turbidam*,

Est sicut atra nubes.

S. Th. de Villanova Conc. de dedicat.

bidam, vilem vaporem à terra sublatum? quid illa deformius? infunditur in ea solaris radius? quid ea pulchrius? quid illustrius? quid formosius? sic omnino, sic & anima, cui illabitur Deus. Quamdiu anima Deo, & Dei gratiâ caret, instar nubis atræ, & turbidæ, obscura, & à ventis vanitatum circumacta, nihil cœleste, & æthereum, sed obscuram Tartari scenam refert, deformis, & infernalem spirans horrorem; at ubi se illi solaris divinæ gratiæ radius infundit, pulsis mentis tenebris, profligatis ignorantiæ obscuritatibus, consumptis vanitatum, & vitiorum atris vaporibus, illustris, formosa, & divinæ consors naturæ, divinæ Justitiæ splendorem participat, *amicta lumine sicut vestimento.*

Deus per gratiam, animæ restituit pulchritudinem.

Psal. 103. v. 2.

VI.

Sed quomodo lumine vestita est anima? per pœnitentiam, & confessionem. *Confessionem, & decorem induisti: id est, illum, qui se per confessionem lavat, & decorat, tu intras in eum per gratiam, & facis, eum, quasi vestem tuam,* exponit Hugo. *Et nota, quòd primò dicit confessionem, & post addit decorem* (ait idem Expositor) *quia confessio animam decorat.* Quod emphaticè confirmat S. Augustinus: *Anima decora esse non potest, nisi confessa fuerit fœditatem: tunc audiet; quæ est ista quæ ascendit dealbata, id est, illuminata? fuistis enim aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. Dicitur ergo de te; quæ est ista, quæ ascendit dealbata, tam pulchra, tam luminosa, tam sine macula, & ruga? nonne ista, quæ immunda erat in omni cupiditate, desiderioque carnali? nonne ista, quæ iacebat in cœno iniquitatum?* in hanc ergo per gratiam intravit Deus, & fecit eam quasi vestem suam, amictam lumine sicut vestimento.

Vestitur lumine

Hugo Card hic.

S. Aug. hic.

Ephes. 5. v. 8.

Per pœnitentiam, & gratiam.

Si persona nobilis & decora, splendidam, auro & argento intextam induat vestem, istâ ab omni macula & scissura immunem conservare studet, sicque non tam persona à veste decorem, quàm vestimentum à persona dignitatem, formam, & conservationem accipit: vestimenta enim sine persona, sunt sicut exuviæ mortui animalis, at homo licet venustus, sine vestimenti decore, pecus apparet excoriatum. Sic anima quantumvis in creatione sua nobilis, & ad imaginem Dei facta, tamen Deo suo vacua, cadaver apparet excoriati animalis, quare induat oportet vestem gratiæ, amicta lumine, sicut vestimento. Quin imò intrat in animam Deus per gratiam, & facit eam vestem suam. Hac veste quasi gloriatur Deus, illamque sine maculâ conservatam, toti aulæ cœlesti ostentat, quodsi vero anima, vestis Dei

Vestis decorem personæ.

Et persona vestis.

Deus intrat in animam.

sui

sui esse recusat, eúmque à se expellat, in illam intrat infernalis spiritus, niger iste tartareus Carbonarius cum veste hac per omnes fuliginosos officinarum suarum angulos circumvolvitur, cum hac veste in cœno instar porci volutatur; unde vestis hæc, sponsi cœlestis, nuptialis polluta maculis, lacerata vitijs, infecta fœtoribus, adusta concupiscentijs, denigrata infamiæ carbonibus, facta est vilis, dum egressa est ab ea omnis decor eius: fœtorem, & deformitatem induisti, amictus turpitudine sicut vestimento, dum vestimentum factus es diaboli, donec eum per confessionem rursus expellas.

Item diabolus,

Tanquam vestem in cœno volvit.

VII. Videtur tamen loco præcitato Hugo Card. innuere, quòd nos per gratiam non tam simus vestimentum Christi, quàm Christus vestimentum nostrũ, dum illud Apostoli allegat: *quicunque baptizati estis, Christum induistis.* Anima enim justa induit quasi Christum, dum ejus induit virtutes; Christum induistis, *id est, conformes ei facti estis, quod est nobis honor, & contra æstus protectio,* gloss atur ordinaria: *quod autem Christus indumentum sit, alibi Apostolus aperit, dicens: induimini Dominum nostrum Iesum Christum.* Fideles, qui taliter Christum induunt; & ejus conformantur virtutibus, hac veste candidâ & immaculatâ verè Christum repræsentant, verèque Christiani merentur vocari; & sicut unus, alterius indutus veste, ipsius similitudinem subinde perfectè repræsentat, & vix ab isto discernatur primo aspectu, sic Christianus Christum indutus, alterum mundo referre Christum videtur.

Galat. c. 3. v. 27.

Rom. 13. v. 14.

Iusti induunt Christum.

Econtra homo, qui Christum, ejusque vitam & virtutes exuit, vitia autem, & mores dæmonum induit, talis ipsum induisse dæmonem procul dubio censendus est, conformis ei factus, quod utique magna est ignominiæ nota. Circuit ergo peccator in hoc mundi theatro, tanquam personatus diabolus, personam ejus, & gestus repræsentans, fulgurant oculi, spumant ora, strident dentes, venenum blasphemiarum, & obtrectationum spirat lingua, cædes minantur manus, currunt pedes, ad effundendum sanguinem, jecur exeditur invidia, cor ardet concupiscentijs, fœtore, cœno, & infernalibus circumvolutatur carbonib⁹. Quid aliud anima hæc diabolum induta, quàm spiritum infernalem repræsentat, quem incarnatum diabolum meritò plus horrent homines, quàm ipsos dæmones infernales, saltem signo sanctæ Crucis facilè fugandos. O anima peccatrix, pol-

Iniusti diabolam.

Eum moribus repræsentant,

luta

luta menstruis & facta vilis, quò tandem delapsa es? quò demum tua te traxit insania? ut ab imagine Dei, ad similitudinem dæmonum devoluta, exueris Christum, induta diabolo sicut vestimento, conformis ipsi facta per malitiam!

VIII. *Dæmones inflexibiles.*

In uno tamen principaliter à dæmone discrepat peccatrix anima, quod ille in malo sit inflexibilis, anima verò adhuc flexibilis, & convertibilis. De Angelo speciosissimo factus est Lucifer, dæmon horribilis; non autem ex dæmone amplius evadere potest Angelus amabilis, & formosus, cùm penitus à divina miseratione rejectus, & abjectus, omnique gratiæ auxilio destitutus, in maso omnino sit obstinatus, & inflexibilis, neque à Deo ad pœnitentiam vocetur, indignus ven â, qui ex mero elationis spiritu contra Deum insurgens, nullo seductus tentatore, sed propriâ tantùm stimulante malitiâ peccavit. Sed quoniam homo, vas luteum, & fragilissimum, sibimetipsi gravis, varijs obruitur passionibus, & innatâ intricatus cæcitate, à potentissimis insuper oppugnatur hostibus, hinc est, quòd ei viam ad veniam, & pœnitentiam non tantùm non intercluśit Deus, sed etiam illum affectuosissimè ad pœnitentiam, & veniam vocat, & allicit, licet in peccatis turpissimè fuerit pollutus.

Homo convertibilis.

Ob fragilitatem, & tentationem.

Clamat Deus post animam peccatricem per Jeremiam prophetam. *Frons mulieris peccatricis facta est tibi; noluisti erubescere*, Amorrhæum diabolum scilicet, habere sponsum, & patrem tuum; *Ergo saltem amodo voca me patrem meum, Dux virginitatis meæ tu es.* Quis sponsam apostatricem sponsam suam, quis pater immorigerum, & fugitivum filiũ tam affectuosè vocat? *Quantò ergo Deus est clementior*, (infert S. Hieronymus) *qui salutis viam post fornicationem ostendit, tantò miserior peccator, qui post tot, & tanta vulnera non vult recipere sanitatem, quam tamen ita benignè offert medicus.*

Jerem. 3. v. 4.

Deum videns nostræ conversionis.

Apud Hugonem hic.

Quòd Apostata Angelus ad Deum suum non revertatur, mirum non est, cùm illum Deus nec vocet, nec medicinam gratiæ sanativæ conferat, unde concludit Seraphicus, maiorem esse peccatoris obstinati, quàm dæmonis perversionem, & malitiam. Nam *ille perstat in malitia Deo reprobante, ego curro à Deo misericorditer revocante; ille contra non requirentem se, ego contra morientem pro me.* Si ergo non vis dæmone obstinatior haberi, convertere ad Dominum Deum tuum, *ergo saltem voca me, pater meus, dux virginitatis meæ tu es.*

S. Bonav. Solil. c. 1.

Peccator obstinatus peior dæmone.

Sed

IX. Sed quomodo ducem virginitatis suæ anima vocare Deum potest, quæ toties in peccatis polluta, frontem mulieris meretricis contraxit? si meretrix, quomodo ducem, & custodem virginitatis invocat Deum? nempe, *homo cum uxorem accipit, de virgine facit mulierem, hoc est non virginem; Deus meretricibus copulatus, eas mutat in virgines*, uti testatur Hieronymus. S. Hieron. in Oseæ c. 2.

Sed hinc nova rursus exurgit difficultas, quomodo virginitatis irreparabile damnum, reparare Deus possit? non enim esse potest, ut eadem, quæ semel corrupta est, simul non corrupta, possit esse. *Quomodo Deus meretrices virgines facit.*

Pro dubio hoc resolvendo, supponendum est ex S. Augustino, duplicem esse virginitatem, corporis scilicet & animæ. Puritas & virginitas animæ per pœnitentiam reparari omnino potest, & in hoc sensu, Deus meretricibus copulatus, eas rursus virgines facit. Virginitas autem corporis corrupta, reparari amplius non potest, ita tamen per pœnitentiam suppleri, *ut* (teste S. Gregorio) *plerumque gratior sit Deo, fervens post culpam vita, quàm securitate torpens innocentia.* Est enim virginitas corporis instar vasis splendidi quidē, sed Crystallini, & vitrei, quod semel ruptum, & corruptum redintegrari non valet, licet rupti vasis fragmenta ardenti fornaci injecta, & violento ignis ardore liquefacta, in novum & priore splendidius vas conflari possint. Sic rupta etiam, & corrupta virginitas animæ, in ardenti pœnitentiæ fornace conflata in purum & splendidissimum electionis vas evadere potest, uti in pœnitente Magdalena apparuit, de qua Augustinus: *dum Magdalena retro agnum stat, virginum locum occupat; ea enim pœnitentiæ vis est, ut cum virginibus locum teneat.* *Virginitas animæ, & corporis.* S. Greg. apud Cornel in Baruch. c. 4. v. 28. *Virginitas vitrea.* *Rupta, irreparabilis.* S. August. *Pœnitentiacum virginibus locum habet.*

Quæ cùm ita sint, ô anima peccatrix, vitijs polluta, & corrupta, voca Deum ducem virginitatis tuæ, & frontem meretricis depone; & quæ Amorrhæum, dæmonem, habuisti patrem, Deum tuum Patrem invoca: *Ergo saltem amodo voca me, Pater meus tu es.* Saltem amodò, quasi diceret (uti Hugo observat) *satis peccasti, modò quiesce.* Exue dæmonem, & indue Christum, & eris amicta lumine sicut vestimento: oblivisce populum tuum, & domum patris tui diaboli, & concupiscet rex speciem tuam, in ejus ergo occursum te adorna, lava te nitro, & herbâ fullonis pœnitentiæ, *lavamini, mundi estote* ô virgines squalidæ. Ornare Hugo Card hic.

nare sicut sponsa, Jerusalem, anima sedes Dei, & eris *urbs perfecti decoris, & gaudium universæ terræ*, ô anima; Jerusalem, Jerusalem, convertere ad Dominum Deum tuum, Amen.

Thren. 2. v. 12.

DISCVRSVS XXXIX.

Sade.

Justus es Domine, quia os ejus ad iracundiam provocavi. *Thr. 1. v. 18.*

DE ECCLESIA.

Os Domini (Prædicatores, veritatem annuntiantes) mundus persequitur.

OMnibus quidem animalibus Deus os dedit, per quod non solum cibum, & alimentum sumere, sed etiam vocem qualem qualem edere possent, exceptis piscibus, qui muti omnino in aquarum abyssо profundantur. Homini verò nõ tantùm os ad comedendum, & incultâ voce clamandum, sed etiam ad, voce articulatâ, loquendum dedit, quo unus alteri non tantùm animi sui sensa aperire, sed etiam sanas doctrinas, & salutaria monita communicare valeret. Quod ergo est os in corpore humano, hoc sunt Prædicatores in corpore mystico Ecclesiæ; unde illud Jeremiæ: *si separaveris pretiosum à vili, id est* (ait Lyranus) *Animas pretioso Christi sanguine redemptas à vilitate peccati per tuam doctrinam,* vel (ut Hugo loquitur) *per prædicationem, quasi os meum eris, quia in te, vel per te loquor, & secreta mea revelo, quod magnum est*, ait idem Expositor.

Jerem. 15. v. 19.

Hugo Card. hîc

Solus homo, os habet ad loquendum

Gemens igitur fatetur Jerusalem, & Synagoga afflicta, quòd justo Dei judicio tam acer-

Os Domini, sunt Prædicatores.

bas

bas experiatur pœnas, & afflictiones, *quia os eius ad iracundiam provocavit*, scilicet, *Prædicatores*, glossatur Interlinearis, eos. veritatem annuntiantes, persequendo, imò & occidendo, uti imprimis ipsemet iteratò expertus est Jeremias, verberatus, in lacum fœtidum projectus, fame pene enecatus, & lapidatus: Isaias serrâ per medium dissectus, Zacharias inter templum, & altare occisus, &c. Ut verbo concludam, *quem Prophetarum non sunt persecuti?* quod os Domini, veritatem eis annuntians non provocaverunt? Iusta proinde Dei vindictâ animadversi.

Gl. Interl.

Hi persecutionem patiuntur,

Act. 7. v. 52.

Non minus autem ad eandem hodieque pœnam tremit Ecclesia, meritò divinam expavescens vindictam, eò quòd videat os Domini, *prædicatores*, veritatem mundo annuntiantes, à fidelibus, præsertim magnatibus, non tantùm amaro tolerari animo, sed etiam gravissimas (nisi à veritate dicenda desistere velint) persecutiones pati, quoniam implacabile veritas odium parit.

Quia veritas odium parit.

II. Magna quidem ex jure gentium Legatis magnatum debetur reverentia, & immunitas, ipsius Principis personam repræsentantibus; tamen negari non potest, quin majorem semper auctoritatem, & vim ipsa habeat persona Principis, singularem sibi populi concilians venerationem. Miserat Deus ad Synagogam varias ex Prophetis, legationes, mentem ac voluntatem suam candidè per hos legatos ei fecerat insinuari, sed cùm non tantùm exiguum erga hos legatos exhibuisset respectum, sed etiam contra jus gentium, & naturale divinum ignominiosè tractâsset, idcirco ipse se mundo sistere voluit Deus per proprium Filium: *olim loquens patribus in Prophetis, novissimè locutus est nobis in Filio. Saltem verebuntur filium meum.* Sed non major filio, quàm præmissis legatis, habitus est honor. Nam licet bene omnia fecisset, & surdos audire, & mutos faciens loqui, tamen contra ipsam Filij personam insurgere non veriti, *hic est hæres* (inquiunt) *venite occidamus eum*, nunc lapidare, nunc interficere eum tentantes, nunc crucifige contra illum inclamantes, &c. *Os Domini*, nempe *Verbum Patris*, sive *Filium* (ut Interlinearis & Hugo glossantur) *ad iracundiam provocaverunt.* Et quare hoc? populo meus, quid feci tibi, aut in quo contristavi te? nempe ob solum veritatis eloquium: *Nunc quæritis me interficere, hominem, qui veritatem vobis locutus sum*: Et hac solùm ex ratione, turpissimam Filio Dei mortem inflixit noverca Synagoga, *quia testimonium perhibuit*

Legati Prophetæ.

Hebr. 1. v. 2.

Post hos ipse Filius venit.

Ioan. 8. v. 40.

Sed occidus.

Legati gaudent immunitate.

hibuit veritati. Sed justus es Domine, qui veritatis sibi annuntiatæ persecutorem populum extremo delevit excidio.

Eadem crudelitas exercita in Apostolos legatos.

Sapere oportebat mundum, damno rejectæ, & extinctæ horribiliter Synagogæ, sed uti doctrinâ Christi nihilo melior, ita Judæorum tremendo exemplo nihilo sapientior factus est, sed assumpto in cœlos Dei Filio, relictos ejusdem legatos non mitiùs, quàm ipsum Dominum tractavit. Principalis quidem per universum orbem legatio Apostolis credita fuit, testante Paulo: *Pro Christo ergo legatione fungimur. Et ex illis occidetis, & crucifigetis, & ex eis flagellabitis in Synagogis vestris, & persequemini de civitate in civitatem.*

2. Corint. 5. v. 20. Matt 23. v. 34.

IN. Quòd hæc ab obstinatis Judæis, & perversis gentilibus, quibus Christus crucifixus vel scandalum, vel stultitia fuit, acta sint, adeò admirandum non est, sed quòd etiam in ipsa Ecclesia, Christi Fideles, ita legatos, & os Dei, veritatis scilicet præcones, ad iracundiam provocent, & persequantur, & non à Paganis, aut hæreticis, sed ipsis Catholicis principibus, & Monarchis, Chrysostomus ejiciatur in exilium, Thomas Cantuariensis in Ecclesia, Stanislaus trucidetur ad Aram, &c. Doctores in signes, viri eximij, Episcopi sanctitate clari, homines, qui veritatem locuti sunt illis Monarchis, apertè nobis demonstrat, quàm exosa mundo, præcipuè autem magnatibus semper veritas fuerit, quam quis denuntiaturus, neque de vita securus esse potest; quare necesse foret, ad denuntiandam magnatibus veritatem Prophetas & Prædicatores ex altero revocare mundo, qui nullam bonorum, aut vitæ ampliùs jacturam timere possint.

Idem adhuc fit in Ecclesia.

Degenerem sibi filium, & regni successorem reliquerat pius, & candidæ mentis rex Josaphat, nempe Joram, hominem uti omni impietati, ita imprimis idololatriæ deditum, *Allatæ sunt autem ei literæ ab Elia Propheta*, in quibus severissimè non tantùm ob immania scelera increpatus fuerat rex, sed etiam pessima eius plaga, & interitus fuerat denuntiatus.

Impius Rex Joram 2. Paral. 21. v. 12.

Gravis hîc exoritur de his literis quæstio, à quo, & quando fuerint conscriptæ, & unde missæ? nam Helias Thesbites jam sexto ante obitum regis Josaphat anno, curru ignito in cœlum fuerat raptus, hæ autem literæ in tertio primùm, aut quarto anno regni Joram fuerunt allatæ, uti etiam ex Hebræis docet Lyranus, & Cornelius, unde rejectis alijs opinionibus minùs solidis, hic concludit cum majori expositorum consen-

Helias è paradyso scribit.

Cornelius hic.

sensu, *Eliam ex paradyso, vel loco, in quo ipse post raptum degit cum Enoch, has literas misisse.* Sed nunquid non Propheta tunc erat in Israël? nonne Heliæ successerat Elisæus, duplici magistri sui spiritu munitus? nonne hic legatione ista fungi, & sive oretenus, sive per epistolam monere de perversa vita regem poterat? quid tanto opus dispendio, ut literæ in paradyso conscribendæ, angelicâ manu deferrentur ad regem?

IV. Ad dubium hoc solidiùs resolvendum, recedamus paulisper in regũ historiam, ad libri primi caput vigesimum octavum, ubi Saul cum Philistæis conflicturus, neque per sacerdotes, neque per Prophetas responsum obtinere potuit. Quare simulato habitu Pythonissam adjit, sibique suscitandum Samuelem rogavit. Paruit Pythonissa, & ecce, *vir senex ascendit, amictus pallio. Et intellexit Saul, quòd Samuel esset.* Magna nascitur hic iterum inter Expositores quæstio, an hæc apparitio, mera fuerit diabolica dementatio, vel realis Samuelis præsentia: affirmat Lyranus, quòd *anima Samuelis virtute divina, & eius dispensatione apparuit, ad annuntiandum Sauli divinam sententiam.* Cui opinioni etiam accedit Cornelius, & Sauli missum ex altero mundo à Deo Samuelem asserit, *qui eum puniret, tum ob alia crimina, tum ob hoc magiæ, denuntiatione cladis secuturæ.* Sed quid opus erat ab altero mundo ablegare animam Samuelis? nunquid per sacerdotes & prophetas Sauli denunciare poterat scelera ipsius, & sententiam interitûs? Appositè ad hoc respondet clarissimus Alphonsus Tostatus. *Quia Sacerdotes, & Prophetæ videntes interitum Saulis appropinquare, nolunt denuntiare propter timorem, Samuel verò, qui mortuus erat, non timeret,* Tale enim odium magnatibus parit denuntiatio veritatis, & criminum, pœnæque remonstratio, ut vivus quisque horreat veritatem edicere, unde è limbo revocandus Sauli Samuel, & è Paradyso exarandæ literæ erant ab Elia, quia vivi Prophetæ, & prædicatores horrent annuntiare veritatem magnatibus, qui os Domini, quòd veritatem loquitur, ad internecionem usque persequuntur, unde hodieque gemit Ecclesia. Os Domini, Prædicatores, ad iracundiam provocaverunt, id est persequendo irritaverunt, exacerbaverunt, amaricârunt, uti aliæ explicant interpretationes, ita ut ad hoc officium non vivos, sed mortuos, qui de vita timere amplius non possint, adhibere præstaret Prædicatores.

V. Refert Michaël de Palatio, vi-

1. Reg. 28. v. 6.

Samuel Sauli interitum denunciat.

Lyranus hic.

Cornelius hic.

Quia nemo vivus veritatem dicere auderet.

Si martyrium quæris? virum quemdam Religiosum consequendi Martyrij zelo ductum, ad Saracenorum partes migrasse, ipsámque Sultani aulam imperterritum penetrâsse, hujus temeritatem admiratus Sultanus quæsivit, quidnam temerario hoc aulæ suæ accessu prætenderet? cui ille: *ut mortem inveniam, tibi veritatem prædicando.* Ad quæ ingeniosè æque, ac falsè replicavit Sultanus: *Ito ad principes tuos, prædica illis veritatem, & mortem, quam apud me quæris, apud illos cito invenies.*

Dic veritatem principibus.

Non opus est longis itineribus, & navigationibus, non terras & maria trajicere necesse est, ad Christianorum magnatum aulas & curias accede, veritatem prædica, & mortem, aut exilium invenies. Accede aulas, sive regias, sive Ecclesiasticas, intona contra pacis Christianæ turbatores, contra bellorum, & factionum incentores, contra vanos personarum acceptores, contra ambitiosas dignitatum, & Simoniacas beneficiorum procurationes, patrimonij Petri cum luxu dilapidationes, interpella de lasciva luxuriæ libertate Reges & Principes, inculpa Machiavellicam magnatum modernorum politiam, carpe præjudicioſa Religioni Catholicæ consilia, exproba magistratibus interessatas eorum, & bono publico præjudiciosas actiones, scissiones, injustitias, pauperum oppressiones, auri famem, & alia vitia, & citò exilium, proscriptionē, aut mortem ipsam invenies, nec te aut jus divinum, aut gentium juvabit, quòd te legatum Christi & pro eo te in Cathedra legatione fungi prætendas, odium enim veritatis, nec ipsis parcit legatis, nec ori Domini. Et hinc malum irremediabile in Dei Ecclesia; *Et quis medebitur tui?*

Cave, ne aulas tangas, aut regimina.

Pauci reperiuntur Theodosii, qui patienter detonantem audiant Ambrosium: Pauci Joannes Imperatores Constantinopolitani, de eo enim legitur, quòd cùm Abbas Nicephorus ipsius concubinam splendidiùs ipsa imperatrice incedentem, ab ingressu templi prohiberet, hæc autem ad vindictam Imperatorem incitaret, ipse Abbatis sancti correctioni humiliter acquieverit. Pauci sunt, qui mansuetudine Philippi secundi magni Hispaniarum Regis, prædíti sunt; [cùm enim magnatum aliquis contra indiscretam concionatoris fulminationem fuisset conquestus, *Os* (inquit Rex,) *concionatori claudite. Et quomodo?* replicavit aulicus: *Vos emendando*; respondit rex, nihil indignatus, quòd sibi, ac aulæ, regiminisve sui defectus è cathedra fuerint remonstrati.

Commendatur Theodosius Imp.

Item Ioann. Constant. Imper.

Philippus 2. Hispan. rex.

Sed

VI. Sed, uti dixi, rari tales inveniuntur Magnates, qui ita Os Dei, prædicatores, ac doctores respiciant, & veritatem ab eis sibi deprædicari sustineant, quin contra eos indignationē suam effundant. Sed quid de monarchis, regibus, & principibus dico? Vix infimæ plebis homuncionem invenies, qui in detegendis defectibus suis veritatem non execretur.

Apologus de veritate exulc.

Ferunt veritatem olim toto orbe profugam, & è magnatum palatiis ejectam, aliquando sub noctem ad casulam pauperculæ anûs divertisse; ab hâc benignè recepta, quænam esset, & unde tandem serò venisset, interrogata, veritatem se esse respondit, omnibus, præsertim magnatibus, exosam, qui se nullo firmo cōsistere loco paterentur. Quid, inquit muliercula, molestiæ infers magnatibus? nihil (respondet veritas) nisi quòd omnium accuso vitia, nihil dissimulo: & quia nemo sese reprehendi non indignè fert, hinc mihi fuga, & exilium perpetuum. Avidis auribus has contra magnates murmurationes excepit vetula, animum jam aliàs erga eos, ob perpessas suppressiones, exacerbatum gerens, quare bene admodum consolata, post frugalem cœnulam cum veritate cubitum concessit, eodem illam excipiens lecto. Manè orta jam luce, cùm ambæ è somno surgerent, vetulam veritas curiosiùs intuita, eam altero oculo orbatam, frontémque obductam rugis deprehendit. Hanc vultûs deformitatem dissimulare veritas nequiens, deformitatis illi vitia per partes enumerat. Exarsit subitò, in frigido licet corpusculo, bilis, & à veritate sibi detectam candidè deformitatem indignata, eam è tigurio ejecit, centenis etiam convitiis eam prosecuta, nō mirum esse asserens, quòd omnibus odiosa, nullo consistere firma loco possit, cùm tam impudenter in omnium vitia debacchari consuevisset, nullâ vel ætatis, vel nobilitatis attentâ ratione. Ejectâ igitur per vetulam veritate, illud Isa. 59. dici poterat; corruit in platea veritas; *Non potuit invenire hospitium*, addit Hugo Cardinalis in c. 4. Galat. v. 15.

Quævis vetula veritatē edit.

VII. Ex quo concludere, & addiscere prudens quisq; potest, non solum magnates, sed plebeios quosvis veritatem sibi loquentibus indignari, & veritatis præcones (qui sunt os Domini) exosos esse omnibus, veritatem liberè proferentes, cùm tamen vel maximè sapientissimus Salomon veritatem etiam emendam suadeat.

Veri-

Prov. 23. 23. *Veritatem eme.* Quomodo autem veritatem emendam suadet Sapiens? an veritas fortè à concionatoribus vendi potest, sicut eloquens loquacitas à Rhetoribus, uti de se fatetur Augustinus: *Docebam in illis annis Rhetoricam, & victoriosam loquacitatem cupiditate vendebam,* &c. Qui aliis etiam in locis suarum Confessionum, Rhetoricam nundinas verborum, ipsos verò Professores verborum venditores vocat. Dedignantur autem plerique verba emere, nisi compta valde, & phalerata, humilia verò, quantumvis vera dedignantur, uti conqueritur de Alipio suo S. Augustinus, quòd, nondum humilitatem Christi sapiens, *dedignabatur inseri literis nostris; magis enim eas volebat redolere gymnasiorum cedros, quas jam continuit Dominus, quàm salubres herbas ecclesiasticas, adversas serpentibus.* Modernus quidam in eruditis, ac verè spiritualibus Notis in confessiones S. Augustini conscriptis, hîc graviter notat, quòd *habet Alipius Catechumenus imitatores, viros in fide Christiana enutritos, quibus nihil latinum est, nisi profanum; ideóque abstinent vocibus Ecclesiasticis, non aliter; quàm solœcismis, aut barbarismis, quasi Christi fides, quæ omnium gentium devicit errores, sacrorum suorum vocabula, non possit iure suo profanis miscere linguis, aut deceat superstitiosis, idololatricisque vocibus, sacrosancta mysteria inquinare, & obscurare.* Quasi ad emendum & vendendum verba formarent. Sed non sic concionatores, qui nec mercaturam verborum gerere, nec verbum Dei, & veritatẽ dissem inandam vendere possunt, sic enim expressa incurreretur Simonia, sed etsi venalem exponere veritatem quis vellet, inanes forent nundinæ, nullum inventuræ emptorem.

S. Augustin. Conf. lib. 4. c. 2. *Rhetores verborum venditores.*

S. Augustin. Confess. l. 9. c. 4.

P. Henr. Wagnereg. S. I.

Disciplis suis fidem universo mundo annuntiaturis, certas Christus præscribit leges: *Euntes autem prædicate . . . infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos mundate, dæmones ejicite; gratis accepistis, gratis date.* Et bene notat Cornelius, quòd gratis Apostoli dare jubeantur sanitates, ut excludatur occasio omnis avaritiæ, & simoniæ, *ne scilicet miracula sua accepto pretio vendant.* Et nunquid idem de prædicatione intelligendum voluit Christus, ut sicut de curatione, sic nec de prædicatione veritatis pretium acciperent? negat Abulensis, τὸ gratis date, etiam de prædicatione intelligi: *illud (gratis date) maximè intelligitur de curatione, seu sanatione infirmorum, non autem de prædicatione.* Et quare hoc? nunquid ergo verborum, & veritatis venditores esse divini verbi præcones possunt?

Math. 10. 7.

Cornel. hic.

Alphon. Tostatus hic. *Nõ mandat Christus gratis prædicandum.*

sunt? Non hoc ex allegatis verbis suis concludi vult Tostatus, sed innuere vult esse hanc superfluam cautelam, nec subesse periculum, quòd cum veritate, populo annuntiandâ, nundinas erigere, & pretium aut exigere Prædicatores, aut sperare possint, *Quia* (ait præclarus iste Commentator) *pro prædicatione nemo daret pecunias, si gratis prædicare nollent.* Pro sanitate, & curatione quivis numeratam dare pecuniam paratus, veritatem autem à prædicatoribus emere nemo curat, unde de prædicatione gratis danda, nullâ cautelâ posuit Christus, quia si gratis prædicare nollent, nemo pro prædicatione veritatis, eos pecuniis conduceret, sed tantùm exilia & persecutiones, verbera, flagella, & ipsam mortem, expectare debent, quam ipse expertus est divinus illorum Magister, quia testimonium perhibuit veritati.

Quia à-liàs nemo dat pretium di-vini ve-ritatem.

VIII. Satis commendare non potest doctor gentium magnum Galatarum erga se affectum, civilitatem, & benevolentiam, Galat. 4. 14. *Sicut Angelum Dei excepistis me, sicut Christum Iesum... Si fieri posset, oculos vestros eruissetis, & dedissetis mihi.* Sed quamdiu intensa hæc duravit affectio? Donec veritatem eis prædicare cœpit Paulus, tunc enim nec oculos, nec pecuniam, imò vix frustum panis illi dedissent Galatæ, nisi gratis prædicare vellet, nemo ei quicquam daret, ita omnium à se animos, prædicando veritatem Paulus averterat. Quod meritò eis exprobrat Apostolus: *Ergo inimicus vobis factus sum verum dicens vobis?* Inde scilicet factus inimicus, unde magis haberi debebat amicus. Et concludit Hugo ex Terentio: *Obsequium amicos, veritas odium parit.* Hug. Cardin. hîc.

Ideò Galatæ exosi Paulo.

Sed parum hoc odium, & inimicitia ab Apostolicis viris curanda, sed potiùs attendenda tremenda illa divina per Ezechielem Dei præconibus facta comminatio: *Si dicente me ad impium, morte morieris, non annuntiaveris ei, neq; locutus fueris, ut avertatur à via sua impia, & vivat; ipse impius in impietate sua morietur, sanguinem autem ejus de manu tua requiram,* Nempe, uti alibi minatur Deus: *Erit anima tua, pro anima illius.* Nec minùs divini verbi præco, timidè tacendo, quàm temerariè loquendo errare graviter potest. Ezech. 3. 18. 3 Reg. 20. 39.

Non curandum hoc odiũ.

Virum pollutum labiis se fatetur Isaias, sed quæ verba impura aut inordinata effutierat, ut iis se pollutum agnosceret? Non loquendo, sed tacendo, se pollutum conqueritur: *Væ mihi, quia tacui, quia vir pollutus labiis ego sum. Sicut enim polluuntur labia loquendo, quod non decet, ita etiam tacendo* Isa. 6. 5. Lyranus hîc.

Etiam tacendo polluuntur labia.

cendo, quod dici debet, ait Lyran. Fuit ergo pollutum os Isaiæ nõ loquacitate, sed taciturnitate, quòd ex humano respectu, licet ex sanguine regio oriundus, tamen Oziam regem, temerè incensum adolentem, non corripuisset, hæc Isaiæ timida taciturnitas calculo ignito fuerat purganda.

IX. Igitur *viriliter erigenda est veritas* (infert S. Bernardin. Senen, *quia eius diminutio, seu defectio criminosa; nimis profectò damnosum, & criminosum est in mundo, & in qualibet civitate, insuper & in qualibet anima, defectio & diminutio veritatis.* Si enim veritatem nemo audeat prædicare, aut prædicandam nemo velit audire, quid inde nisi scelerum omnium incrementum, virtutum defectio ac pietatis exterminium expectari potest? Quid in privatis domibus, quàm earum ruina, & posteritatis corruptio consequetur. Inde enim evenit, quod S. Hieronymus advertit, nempe quòd *solemus mala domûs nostræ scire novissimi, ac liberorum, & coniugum vitia, vicinis cantantibus, ignorare*; quod omnis ruinæ est initium. Nec minor ruina in publicis, ex veritatis vel denuntiatæ, vel auditæ defectu, *Conversum est retrorsum judicium*, (ait Isaias) *& justitia longè stetit*, magna utique in Republica deordinatio, defectus inexplicabilis, judiciorum, & justitiæ corruptela, quam non nisi gravis divina vindicta, & interitus sequi potest: Quia justus Dominus: At unde omnia mala hæc? *quia corruit in platea veritas*, ita Isaias, quam vel eloqui, qui deberent, extimescunt, vel audire, quibus necesse foret, renuunt, & os Domini ad iracundiam provocant, ac veritatem loquentes persequuntur, sic divinam in se provocantes iram, brutis animalibus, quàm hominibus rationalibus fiunt similiores.

S Bernardinus Senen Dom. 21. Pent. c. 1. a. 1.

Ex defectu veritatis.

Corruunt domus privatæ

Isa. 59. 14.

Bonum publicum interit.

Tales in suæ Ordinationis Episcopalis anniversario sic alloquitur S. Augustinus: *Vobis itaq; dico, sive præsentibus, sive absentibus, quibus inimicus efficior, verum prædicans: Nolite esse sicut equus & mulus, non habentes intellectum; nam & hæc jumenta eos maximè calce, morsúque appetunt, à quibus curantur, & ut curentur, eorum vulnera contrectantur. Non parcis? non parco. Adversaris? adversor. Resistis? resisto. Lucta nos comparat, sed causa separat. Tu inimicus es medico, ego morbo: tu diligentiæ meæ, ego pestilentiæ tuæ.* Retribuebant (ait Psaltes regius) mihi mala pro bonis. Et concludit sanctus P. Augustinus: *Vos autem corrigite perversitatem vestram, agnoscite charitatem nostram.* Os Domini non exacerbate, non confringite *ad numerum*

S Augustin. hom 24. inter Quinquaginta.

Jumenta à medicum calce petunt.

Ps. 34. 12.

Thr. 3. 16.

rum dentes eius, sed ori Domini benevolas præbete aures, doctrinas amplectimini, & siquidem aliquando etiam in verbo indiscretè offendat, compatimini, sustinete medicum, non ægro, sed morbo infensum, nolite odisse latrantes Dñi canes, qui medicâ suâ linguâ ulcera vestra lambentes, suo labore & sudore, obsecrando, & increpando aliud nõ intẽdunt, quàm æternam animæ vestræ salutem, quam Deus vobis concedat, Amen.

Prædicatores morbum, non ægrum oderunt.

DISCVRSUS XXXX.

Sade.

Iustus est Dominus, quia os ejus ad iracundiam provocavi. *Thren. 1. 18.*

DE ANIMA.

Magna animæ peccatricis insipientia, quæ mala sibi per os Domini toties denuntiata non præcavens, accepta demùm damna deplorat, serò sapiens cum Phrygibus.

1. EXteriores homini sensus concessit Deus, ut per eos experientiam rerum haurire, atque mala & nociva devitare, utilia autem, & sibi proficua amplecti posset. Sic oculi circumspectè omnia examinant, & inquirunt; aures avidè, quæ sibi ad profectum vel interitum faciunt, excipiunt, ut ita anima externis sensibus, quasi speculatoribus & exploratoribus informata, noverit, quæ sibi utilia & amplectenda, quæve nociva, & fugienda. At insipiens hominum genus illud est, qui neglecto auditûs, & visûs beneficio, tanquam cæci & surdi ambulant, ac sic ambulando impingunt durissimè, impingendo verò se periculosissimè lçdunt.

Sensus externi sunt quasi exploratores.

De his ex Isaia dicit æterna Veritas: *Auditu audietis, & non intelligetis, & videntes videbitis, & non videbitis, incrassatum est enim cor populi huius, & auribus graviter audierunt, & oculos suos clauserunt, ne quando videant oculis, & auribus audiant, & corde intelligant, & convertantur, & sanem eos.* Math. 13. 14.

Hoc etiam malo laborabat Jerusalem, quæ sævissima mala, & extrema ruinæ pericula ante oculos posita non agnovit, nec ea per os Domini, (Prophetas) sibi denuntiata audire, & capere voluit, donec serò nimis, damno suo, mala hęc omnia experta exclamavit: *Iustus es Domine, quia os eius ad iracundiam provocavi &c.* universos terræ populos ad planctum suum invitans: *Audite obsecro, universi populi, & videte dolorem meum.*

Anima peccatrix surda & cæca.

Misera hæc eadem fors animam tangit peccatricem, quæ ad omne periculum cœca, & ad comminatum illi per os Domini (Prædicatores) malũ, surda, dum futura, & denuntiata sibi damna insipiens audire, & præcavere non vult, inflicta, & accepta damna amarissimè plangit, & omnes ad planctum, & dolorem lamentabiliter invitat.

II. *Phryges plagis sapiunt.*

Veræ sapientiæ, & providentiæ est imminentia præcavere mala, nam sentire præsentia etiam insipiens quisque potest, nisi insensibilis simul sit, & insensatus.

Hinc illud tritum de Phrygibus: *Phryx non nisi plagis emendatur*, quòd defectum ingenuitatis, & crassitiem stoliditatis denotat. Nam sapiens ante, sed *stultus* (Platone teste,) *post acceptam plagam sapit*; adeóque serò nimis, & cum Phrygibus. Prudens ac providus viator, præsertim de periculosa jam admonitus via, ac foveis, cautè incedit, singulis attentè gressibus invigilans; at stultus cœco impetu currens, quid mirum si incidat in foveam, & si quidem inciderit, quidni luto inhærens, de casu ingemiscat? Monemur identidem in sacris paginis periculoso itineri cautè attendere. *Ponite corda vestra super vias vestras.* Quod etiam probè adverterat David: *Foderunt ante faciem meam foveam*; & Jeremias: *Foderunt foveam animæ meæ.* Foveam quippe profundam superbiæ fodiunt hostes infernales homini peccatori, in quam & ipsi inciderunt, & ipsam ipsimet sibi foderunt, tam profundam, ut ex ea se erigere amplius non possint. Fovea quoque profunda est terrenorum concupiscentia, maximè autem carnis petulantis lascivia; *Fovea profunda os alienæ*, & lascivæ mulieris, quæ verbis dulcibus, nutibus affectuosis, oculis magneti-

Plato in Symposio.

Viator prudens attendit via.

Aggæi. 1. 5.

Ps. 56. 7. Ierem 18. 20.

Prov. 22. 14.

Fovea vitiorum

neticis, canticis demulcentibus, vocibus penetrantibus multos in profundum vitiorum traxit, ac instar ignivomi Vesuvii, aut Æthnæ deglutivit, eodem usi, cum Plinio secundo, infortunio, qui temporibus Vespasiani Imperatoris secreta montis Vesuvii scrutaturus, cum ignivomas montis fauces ascenderet, attractivâ caloris vi arreptus, in ipsis absorptus est montis visceribus, priùs in cineres redactus, quàm secreta viscera scrutari posset.

Plinius secundus Vesuvio absorptus.

Sic sapientissimus vult innuere Salomon, foveam profundam (instar ardentis Vesuvii) esse fæminam lascivam, dum juvenes ad fauces usque, & ad extremum liciti accedunt, vi flammæ trahuntur in foveam interitûs, & ruinæ animæ & corporis, in quâ & vita, & bona fortunæ, & fama, & quicquid in mundo cari habetur, absorbetur, *Cui iratus est Dominus, incidet in eam.*

Vesuvius ignis Vereus.

Monentur seriò & in cathedris, & in confessionalibus peccatores, ut sibi de hac fovea profunda caveant, *Ponite corda vestra super vias vestras*, nolite antiquas ambulare semitas, usitatas frequentare conversationes, periculosas sequi societates, nolite currere post vestigia sodalium vestrorum, illam alteràmve accedere domum & personam, fovea profunda est, si incideris in eam, si semel in profundum veneris peccatorum, vix emergendi spes erit, unáque vobiscum, & corpus & anima, & vita, & bona omnia demergentur. Sed *ô Gens absque consilio, & sine prudentia*, vel (ut Interlinearis glossatur) *atq; providentia*, quæ nec aurem præbet ori Domini, & nec oculis corporis, nec mentis circumspicit pericula viæ suæ, sed cæco impetu fertur in profundam foveam; tum primùm post acceptam plagam, & omnium jacturam sapere incipit, cùm in miseriarum abyssum devenerit, tum primùm divinæ justitiæ punientis, post acceptam plagam, vindictam agnoscit, quando ita afflictionibus est immersa, ut vel prætereuntes, ad miseriarum spectaculum invitans exclamet, *Justus Dominus: Audite obsecro, universi populi, & videte dolorem meum.*

III.

Parentes nostri protoplasti justitiâ originali decorati affluentiam omnium deliciarum in paradyso terrestri habebant, absoluto in omnia animalia, & & fructus terræ dominio, unicâ tantùm arbore exceptâ; *de ligno autem scientiæ boni, & mali ne comedas, in quocunque enim die comederis ex eo, morte morieris.* Maturè hîc considerandum, quare hæc arbor, lignum scientiæ boni, & mali

Gen. 2. 17 *Arbor scientiæ unde dicta?*

mali fuerit à Deo vocata, & siquidem talis fuit, atque scientiam boni ac mali primis parentibus tribuit (uti expressè testatur Scriptura: *Et aperti sunt oculi amborum*,) quare illius usum eis inhibuit Deus? vel quomodo intelligendum, quòd arbor fuerit lignum scientiæ boni & mali, & qualiter aperti sint oculi eorum?

Aperti sunt oculi primorum parentũ.

Lyranus hic.

Lyranus de oculis mentis intelligendum putat: Rabbi Salomon, apertos eorum oculos censet, *ad cognoscendum malum, quia priùs cognoscebant bonum tantùm.* Sed obstat, quòd cognoscens bonum, oppositum ejus malum etiam cognoscit, quia eadem est notitia cõtrariorum.

Quoad scientiam experimentalẽ.

Quare optimè resolvit Lyranus, quòd aperti sunt oculi eorum, quia *priùs habebant notitiam speculativam boni, & mali sibi oppositi, sed non habebant notitiam experimentalem suæ transgressionis & & punitionis, quam tunc experimentaliter cognoverunt, & ideòtunc aperti sunt oculi eorum.* Tunc primùm post acceptam plagam serò cum Phrygibus sapere, angustiante conscientiâ, divinam agnoscere justitiam, statûs justitiæ originalis deperditæ æstimare dignitatem, & damnati exilio paradysi suspicere delicias cœperunt, postquam nempe *emisit eum Dominus Deus de paradyso voluptatis.*

IV. *Adam è regione paradysi positus.*

Septuaginta legunt: *Collocavit eum è regione*, seu, *in conspectu Paradysi.* Huic lectioni assentire videtur D. Chrysostomus: *Ejecítque Dominus Deus Adam, & habitare fecit eum è regione horti deliciarum.* Subdítque causam: *Quòd contra paradisum illum habitare faciebat, ut iugem dolorem haberet, quotidie cogitans, unde excideret, & in quem statum se conjecerit. Et quãvis gravissimi doloris spectaculum erat, & tamen magnæ utilitatis occasio, ut dolens continuo aspectu, munitior, & cautior esset in aliis, ne iterum in eadem peccata incideret, qui hominis, ut plurimùm, mos est.*

S. Chrys. hom. 38. in Gen.

Vt exul eum respiciens magis doleret & caveret.

Cùm ergo primi parentes nostri parum os Domini, ejúsque monita, & comminationes curâssent, & tanquam gens sine consilio, & sine prudentia, comminatam mortem, & mortalitatis miserias nõ intelligerent, ipsa pœna & afflictio experimentalem scientiam, ipsos docere debuit, quæ ut tenacius animis eorum inhæreret, collocati à Deo è regione paradysi fuerunt, quod quidem gravissimi doloris spectaculum erat, & amara insipientiæ medicina, ut ipse deliciarum deperditarum aspectus continuus, pœnam augeret, pœna verò mentis oculos aperiret, nam, uti bene docet Divus Gregorius: *Culpa oculos claudit, pœna aperit.* Sibi ergo imputet, qui tale cœcitatis remedium patitur. In-

Apud Hugonem, Gen. c. 3. *Pœna aperit oculos, culpa claudit.*

Insipientium parentum insipientes nos filii, quid nobis proficuum, quid nocivum sit, agnoscere nolumus, neque scientiam boni & mali habemus, obscuratis intellectûs nostri oculis, quos neque divinæ vindictæ, neque afflictionum, & omnium bonorum jacturæ comminatio valet aperire, quare demum Deus plagis nos sapientiam docere cogitur, & immissis confusionibus, pœnis, & miseriis in nos advertere, tunc primum oculi nostri aperiuntur, per pœnam, quos culpa clausit, tunc è regione paradysi sedentes in valle lacymarum, gravissimo doloris spectaculo, innocentiæ statum, conscientiæ quietem, famam, opes, honorem, ex quo ejecti sumus, agnoscentes, scientiam experimentalem boni amissi, & mali inflicti aquirimus, ut dolentes, continuo amissorum bonorum, & malorum perpessorum aspectu munitiores, & cautiores nostro damno, ac sapientiores evadamus. Nec ægrè feramus tam severum capitibus nostris imponi sapientiæ magistrum, qui eam plagis nos doceat, & qui nobis afflictiones, miserias, bella, famem, penuriam, lues, grandines immittat; sed nobis imputemus, qui oculos & cerebrum ita vitiis gerimus obscuratum, ut sine plagis discere negligamus. Quos enim culpa clausit, aperire oculos pœna debet.

Bonum absens cognoscere incipimus

Iussus à Deo Jonas pergere in Niniven civitatem magnam, ad denuntiandum ei interitum, declinaturus Dei mandata, & Ninivitarum odium, festinavit in Joppen, ac fugitivus à facie Domini, conscensâ ibidem navi tendebat in Tharsis. Alloquitur fugitivum Prophetã Chrysostomus: Quò fugis Propheta? non audîsti, quod David ait: *Quò ibo à spiritu tuo, & quò à facie tua fugiam? Si ascendero in cœlum, tu illic es, si descendero in infernum, ades.* An fortè te manus Domini evasurum æstimas, si à continenti recedens, te mari credideris, aut trajecto mari extremam inhabitaveris Thule? Imò verò, ait David, *si sumpsero pennas meas diluculò, & habitavero in extremis maris, etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua.* Sed nondum insipiens hæc capiebat Jonas, quem excœcaverat inobedientiæ culpa, quare durioribus disciplinis ac pœnis instruere cõveniebat rudem discipulum, & experimentalem scientiam boni & mali eum inter procellarum tumultus docere.

V. Jonæ. 1.

S. Chrys. homil. in oan. tom 1.

Ps. 138. 7.

Fugitivum à facie Jonam.

Notat quoque Divus Chrysostomus, quòd *sicut fidele mancipium*, fugitivum conservum, pretiosa quæque Domino surruratum, insequitur, nec insequendo

quendo desistit, donec è fuga retractũ, eum rursus Dño sistat, *Sic & mare*, fidele Dei mancipium, agnitum conservum, (fugitivum Jonam) insequitur, utque fugæ ipsius viam intercludat, furere, spumare, procellis navim impetere, tantóque impetu concutere cœpit, donec excitatus à somno Jonas, cadente in eum sorte, culpam fassus, & proprii oris judicio condemnatus, in mare præcipitatus fuit. Omnes quasi creaturas contra immorigerum Prophetam armaverat Deus: Mare contra illum tumens insurrexerat, venti sævissimi toto commoto mari, & jactatâ per fluctus navi, minabantur interitum, nautæ tantum, ipsius causâ, periculum, & bonorum jacturam passi, exacerbati ipsum in mare præcipitem dabant, cetus horrendæ & inusitatæ magnitudinis, tanquam divinæ justitiæ satelles fugitivum servum apprehendit conjiciendum in vincula, cúmque reo, in quem detruderetur, carcer deesset, recluſit obscurum ventris recessum cetus, immorigeri servi futurum carcerem, in quo tamdiu ipsum detinuit, donec de captivo sententiam enuntiârit divina justitia.

Insequitur fidele Dei mancipium, mare.

Satelles Dei cetus incarcerat.

VI. Dura sapientiæ rudimenta sustinuit Jonas, quæ vel rudissimo cerebro imprimere debebant scientię boni, & mali principia. Itaque plagis demum eruditior, ac sapientior redditus: *Oravit ad Dominum Deum suum de ventre piscis.* Et cui culpa oculos clausit, pœna aperuit. Jonas perversi, & à Deo fugitivi typus est peccatoris, obstinatè faciei Dei sui terga vertentis, ejúsque mandata ac minas superbè contemnentis, qui insipientiâ & culpâ excæcatus vindicantis justitiæ manus evadere conatur. Sed quò ibis à spiritu ejus, insipiens homo, & quò à facie ejus fugies? An nescis longas magis Deo, quàm Regibus esse manus? an nescis, quòd contra iniquos omnem armat creaturam? & cœlum & terra, & venti & maria faciunt verbum ejus, ad insequendum, & fugitivum appræhendendũ peccatorem, ac tamdiu plagis exagitandum, donec plagis emendatus, ad Deum suũ revertatur, eúmq; cum Jona pœnitens deprecetur, qui proprjissimè fugitivi peccatoris typum gessit. Aptè ad propositum D. Hieronymus: *Potest fuga Prophetæ, & ad hominis referri in cõmuni personam, qui Dei præcepta contemnens, recessit à facie eius, & se mundo tradidit; ubi postea malorum tempestate, & totius mundi contra se sæviente naufragio compulsus est sentire Deum, & reverti ad eum, quem fugerat.* Ab omnibus hisce tempestatibus,

Sic plagis eruditur Jonas.

Jonæ 2.

Jonas peccatoris typus.

S. Hieron. in Jonam hic.

Percussus Deum sentit.

bus, afflictionibus & ruinis liber esse poterat peccator, si Deo suo adhærens, ipsius paruisset mandatis, sed quoniam cum Jona os Domini ad iracundiam provocavit, & fugitivus à facie Domini, Creatori suo terga vertit, tam sævis plagis fugitivum mancipium conservæ insequuntur creaturæ, donec Deum sentiens in flagellis peccator, ad eum revertatur, quem fugerat; agnoscens, & confitens: *Iustus est Dominus, quia os ejus ad iracundiam provocavi.* Sic insipienti peccatori, cui culpa oculos clausit, pœna aperit: *Audite, obsecro universi populi, & videte dolorem meum.*

VII. Est quidem insipiens hoc hominum genus, qui non nisi plagis edocti sapientes evadunt, sed adhuc insipientiores, qui neq; plagis eruditi, Deum sentire, & ad eum reverti sustinent. Tumidus victoriis, & malis in gentem Judaicam exercitatis, Antiochus Epiphanes, non modo à Deo Creatore suo aversus, eum sentire nolebat, sed etiam eò insaniæ devenerat, ut etiam seipsum Deum sentiri vellet. Non fuerat unquam os Domini tanæ efficaciæ, ut à malo rex scelestissimus averteretur, quare ori Domini succedere manus debuit, quæ *percussit eum insanabili, & invisibili plagâ:* sed nondum Deum sentiens, aut humiliatus, quin imò superbiâ repletus, & ignem spirans in Judæos, dum accelerando negotio agitari currum jussit, impetu ex eo delapsus graviter adeò membra collisit, ut qui fluctibus maris imperare, & montium altitudines in statera appendere sibi videbatur, humiliatus in terram, gestatorio portaretur, scaturientibus de corpore vermibus, ac tabescentibus carnibus, ob fœtorem toti exercitui suo intolerabilis.

Antiochus perversus.

2. Mach. 9. v. 5.

Plagis Deum sentire videbatur.

Videbatur his plagis exercitatus Antiochus Dei potentis manum, suámque fragilitatem sentire. *Hinc igitur cœpit ex gravi superbia deductus, ad agnitionem sui venire, divinâ admonitus plagâ;* profitens: *Iustum est subditum esse Deo, & mortalem non paria Deo sentire.* Tum enim orare ad Dominum, vota emittere de ornando muneribus templo, de vasis aureis, argenteisque conficiendis, & subministrandis ad sacrificia sumptibus, de assumenda Judæorum fide, & potestate Dei ubique terrarum deprædicanda. Sed parum hæc illi vota, ac oratio profuerunt *Orabat scelestus ad Dominum, à quo non esset misericordiam consecuturus. Quantum ad remissionem culpæ, nec pœnæ,* glossatur Lyranus.

Emisit vota, & oravit.

Lyranus v. 13.

VIII. Sed si peccator quantumvis enormis à Deo non repellitur, quin remissionem culpæ, &

etiam pœnæ (si sufficienter fuerit contritus) obtineat, uti per Isaiam promittitur: *Si fuerint peccata vestra, ut coccinum quasi nix dealbabuntur, & si fuerint rubra, velut vermiculus, velut lanæ alba erunt.* Cur ergo solus repulsus Antiochus? nunquid ab illo superata, & defatigata fuerat divina misericordia, qui tam insigniter pœnituit? Si enim ad verè pœnitentem sui requiras agnitionem? de ipso testatur scriptura sacra, quòd cœpit *ad sui agnitionem* venire. Si humiliationem desideres? Iterum legitur, quòd fuerit *humiliatus ad terram.* Si dolorem de commissis? Audi clamantem: *Nunc reminiscor malorum, quæ feci in Ierusalem.* Si emendandi propositum? Attende insignia vota, & proposita ab ipso emissa; si deprecationem, & orationem? Nunquid orabat Dominum? à quo tamen non erat misericordiam consecuturus. Et quare hoc?

Isa 1. v. 18. Sed fictè omnia.

Lyranus hic. *Illudens Deo, illusus.*

Respondet Lyranus, *Quòd eius pœnitentia non fuit vera, quia non fuit propter offensam Dei, sed tantùm propter evasionem corporalis flagelli.* Quod etiam confirmat Cornelius, addens; *Illudere ergo voluit impius Deo, sed ab eo illusus fuit: non enim intendebat illa præstare, quæ hic dicit, & promittit.* Adeóque plagis nec emendatior, nec sapientior, sed tantùm cautior, & simulatior fuerat factus, sicut etiam Pharao Ægyptius.

Et hoc hodiéque frequenter contingit in peccatoribus, qui percussi à Deo, & angustiati à conscientia, somnum recessisse conqueruntur ab oculis, & quasi corruunt corde præ sollicitudine. Tunc ex vermis conscientiæ corrosione forti, atque ex malæ famæ fœtore omnibus exosi, exclamant cum Antiocho: *Heu in quantam tribulationem deveni? In quos fluctus tristitiæ? Ad sui agnitionem deductus: Nunc* (ait) *reminiscor malorum, quæ feci in Ierusalem, in Ecclesia Dei. Iucundus eram, dilectus in potestate mea.* In quantam tribulationem, & vilipensionem modò deveni? O si mala hæc mihi eventura prævidissem, quàm cautius incessissem. Hinc tales concipiunt proposita cautiùs posthac se gerendi, emittunt vota hoc vel illud præstandi, aut peregrinationis ad sacra loca cum anathematibus instituendæ, orántque ad Dominum, sed non misericordiam cõsecuturi, nec quoad remissionem culpæ, nec pœnæ, quia non dolent, & proponunt propter offensam Dei, sed tantùm propter evasionem corporalis flagelli, neque intendunt præstare, quæ dicunt, & promittunt, sed illudere tantùm volunt Deo, sed ab ipso illudendi, vel in hoc ipso insipientissimi,

Proposita simulata peccatoris

quòd

quòd neque plagis verè emendentur, damnóque suo prudentiores fiant; nec pœna oculos aperiat, quos culpa clausit. Licet enim serò, & post plagas cum Phrygibus sapere, exiguæ sapientiæ nota sit, attamen *melius est serò, quàm nunquam.*

IX. *Sapiens non expectat plagas.*

Verè providus, & sapiens autem maturè oculos, & corda sua super vias ponit, antequam in foveam cadat; aperit oculos, antequam è paradyso ejectus, experimentalem mali scientiam habeat; fugitivus à facie Domini, revertitur, antequam violentâ satellitum Dei, armata scilicet creaturarum manu, & persecutione retrahatur; Et ori Domini, salubres sibi doctrinas dictanti, & mala sibi eventura prædicenti placidas, & benignas aures præbet, antequam in tales devoluatur miseriarum profunditates, ubi omnibus gravissimi doloris fiat spectaculum. *Audite universi populi, & videte dolorem meum.*

Itaque *audi consilium & suscipe disciplinam, ut sis sapiens in novissimis tuis*; Audi consilium Prædicatorum, & Confessariorum, suscipe disciplinam superiorum, & præcave mala imminentia prudenter, ne mala accepta lugeas insipienter; recogita bona quæ peccando omittis, mala quæ incurris, præmium, quod perdis, pœnam, quam contrahis; animi tranquillitatem, quam deseris, conscientiæ inquietudinẽ, qua jactaris: ante plagam sapias, & ut sapias, os Domini, & consilium audi, disciplinam suscipe, ut sis sapiens in novissimis tuis, & intrare cum prudentibus virginibus possis in gaudium Domini tui, Amen. Prov. 19. v. 20.

DISCVRSVS XLI.

Coph.

Vocavi amicos meos, & ipsi deceperunt me. *Thr. 1. v. 19.*

DE ECCLESIA.

Deplorat falsitatem amicorum (Christianorum) per quos tam ipsa Ecclesia, quàm proximus decipitur.

1. Eccl. 6. v. 14. & seq.

SApientissimè simul ac verissimè Ecclesiasticus amicitiæ veræ extollit pretium, ejusque inæstimabilem deprædicat valorem; *Amicus fidelis protectio fortis, qui autem illum invenit, invenit thesaurum.* Et rursus: *Amico fideli nulla est comparatio, & non est digna ponderatio auri, & argenti, contra bonitatem fidei illius: Amicus fidelis, medicamentum vitæ, & immortalitatis.*

S. Aug. l. de amicitia. c. 5. *Amicus fidelis*

Unde meritò S. Augustinus (vel quisquis Auctor est illius libri de amicitia) infert: *Amicus sapiens, medicamentum est vitæ.* Et iterum: *Non aqua, non sole, non igne, pluribus locis utimur, quàm amico, in omni actu, in omni studio, in certis, in dubijs, in quolibet eventu, & in fortuna qualibet* &c. ac demum concludit: *Igitur amicitia est divitibus pro eleëmosyna*, quamvis enim bonis temporalibus affluant, hac tamen juvari amicitiæ eleëmosyna non erubescunt, cùm quivis amicorum sit indigus. *Exulibus pro patria*; nam in exilio verum inveniens amicum, quasi postliminio in patriam reductus est, in qua nihil magis, quàm relictum amicorum cœtum deplorat: è contra in patria amicorum fidelitate destitutus, in ea exilium agit. *Pauperibus pro censu*; pauper enim bono, & potente suffultus amico, jam sufficientes & paupertatem compensantes redditus habet. *Ægrotis pro medicina*; non enim est vulneribus, & afflictionibus nostris efficacior medicina, quàm habere, qui omni incommodo occurrat compatiens. *Mortuis pro vita*: quia & mortui ab amicorum superstitum commendati encomijs, in

Quàm utilis & consolatorius.

memo-

memoria hominũ reviviscunt. *Sanus pro gratia, imbecillibus pro virtute, robustis pro præmio.*

Non ergo mirum, cur tam ardenter Jerusalem angustiata, & cum ea afflicta Ecclesia amicorum imploret auxilium, & fi-
Hug. hic. dem: *Vocavi amicos meos, dicit Ecclesia.* Sed intimis conqueritur gemitibus, *& ipsi deceperunt me*: experta scilicet abominandam amicorum (fidelium suorum, minùs fidelium) falsam duplicitatem, quam non tam in ipsam, quàm in se invicem exercent.

II. *Iob amicos implorat.* Spoliatus omnibus bonis, imò & ipsis charissimis liberis suis patientissimus Propheta, cùm ulceribus plenus sederet desolatus in sterquilinio, ut aliquod saltem inter miserias suas haberet solatium, ad amicos suos animum, atque vocem suam convertit, illorum implo-
Iob. 19 v. 21. rans auxilium: *Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos amici mei, quia manus Domini tetigit me,* O amici! qui in prosperitate semper mihi fuistis socij, qui dulces mecum capiebatis cibos, non me deserite, sed inter inimicorum persecutiones, & immissas à divina manu afflictiones, *miseremini mei, miseremini mei, saltem vos amici mei.*

Hugo Card. hic. *Sic & Ecclesia.* *Vox est Ecclesiæ,* ait Hugo Cardin. quæ amicos & fideles in tribulatione posita compellat: *Vocavi amicos meos, & ipsi deceperunt me. Nõne enim Ecclesiam decipit* (ait præfatus commentator) *ille qui plures habet præbendas: ubi enim deberent plures esse ministri Ecclesiæ, non est nisi unus.* Sed adhuc gravius apud patientissimum Job, ab amicis se deceptam conqueritur Ecclesia, ab ijs non tantùm nullam recipens assistentiam, sed sævam etiam persecutionem: *quare persequimini me sicut Deus, & carnibus meis saturamini?* Dum scilicet afflicta mater Ecclesia, interpellans maritum, eum ob commissos defectus sibi experitur iratum; si filios, eos inter ubera, & in sinu suo materno exhalantes spiritũ intue- *Sed ab ijs decipitur.* tur, partim fame, & ærumnis, partim gladio consumptos, effusum cernes Christianum sanguinem, tanquam aquam in circuitu Jerusalem, non à gentilibus tantùm, & sectarijs, sed ab ipsis fidelibus amicis suis, à quibus tamen nulla fidelitatis specimina experiri potest, sed sub fidelitatis, & amicitiæ prætextu, summis infidelitatis, & falsitatis malis affligitur: *Omnes amici eius spreverunt eam, facti sunt ei inimici.* Thren. 1. v. 2.

Tanto falsitatis, ac corruptæ amicitiæ vitio laborasse Jerosolymam, à Vespasiano, & Tito obsessam, testantur Josephus Historicus, & Egesippus, ut nemo ab amico dignoscere inimi- *Falsitas inter Indæos* cum posset. Longis usi vestibus, sub ijs tela, ac gladios ab-

sconderunt, eò formidabiliores Sagatis, quò fraudulentiùs nocebant Togati, inopinato quemvis ictu trucidantes. Joannes, primus seditiosorum fautor, ita dextrè hostilitatem sub amicitiæ larva abscondere noverat, ut Jerosolymitæ in ei' confisi fidelitate, eum controversiæ, ac litis arbitrum rogarent, qui datam sibi auctoritatem, in populi perniciem convertit, totus fovendæ seditioni intentus. Non minùs nociva, sub specie amicitiæ, tunc gessit Simon Giocæ filius, rogatus enim ut urbis, ac boni publici partes foveret, statim ut in urbem admissus est, totam subvertit pacem, omnésque machinationi suæ contrarios, sub pallio & titulo zeli peremit. Ut altum tunc ingemiscens Jerosolyma cõquereretur; *vocavi amicos meos, & ipsi deceperunt me.*

Tempore obsidionis.

III. *Eadem experitur Ecclesia.*

Et nunquid eadem hodie facies lugubris, plorantis Jerusalem, Ecclesiæ, quæ ab amico, inimicum nescit dignoscere, multósque togatos sub longis vestibus abscondere tela & arma experitur, eò periculosiores inimicos, quò magis tecti sub amicitiæ, & pacis toga, latent. *Omnis amicus meus fraudulenter incessit in me.* A quibus enim reddẽdam sibi pacem, ac contra hostes defensionem expectabat Ecclesia, ij Machiavellismi ducti maximis, attenta tantùm ratione

Ierem. 9. v. 4.

Sub toga pacis bellum parazur.

status, parum de Ecclesiæ tranquilitate, aut incremento curant, imò ipsam Ecclesiæ, ac Christianorum Principum pacem subvertere, nullo sibi scrupulo ducunt, dummodo per hoc sua stabilire, aut ampliare confinia, & proprium interesse promovere possint. *Vocavi amicos meos, & ipsi deceperunt me:* nempe *mali Catholici* (ut notat Glossa) *in potestatibus constituti, in quibus Ecclesia sæpe confidit, quasi amicis, sæpe decipiunt eam*, & majorem ab ijs Ecclesia læsionem, atque dolorem, quàm consolationem, & auxilium accipit, in illis confidens.

Glossa Ord. hic. *Amicus fidelis.*

Dens putridus, & pes lassus (docet Salomon) *qui sperat super infideli, in die angustiæ, & amittit pallium in die frigoris.* Serviunt dentes homini ad masticandum, loquendum, & alijs animalibus ad se defendendum; pes, ad corpus ferendum & sustentandum; pallium ad tegendum, & fovendum. Sic etiam verus amicus servit homini ad sustentationem, bonam famam, & defensionem; sustentat illum, atque fert, ut stare, & etiam progressus fortunæ facere possit: tegit illius fragilitates ac defectus, & contra irruentium persecutionum molestias defendit. Sed amicus infidelis, est sicut dens putridus, nam veluti iste nihil servit homini, sed comesturo sumas causat molestias ac dolo-

Prov. 25. v. 19. *Est sicut dens, pes, pallium.*

Infidelis, est dens putridus.

res,

res, ciet catarros è capite defluentes, anhelitum putredine sua fœtidũ facit, vicinos etiam corrumpit & inficit dentes, atque cœli serenitate variante, ac nubilis ingruentibus tempestatibus, doloribus incalescit, ac prope furit; sic amicus infidelis, non nisi dolores & angustias parit, malorum omnium affluxum causat, odorem famæ inficit, alios etiam pari malignitate corrumpit, atque pro temporum, ac fortunæ varietate dolores, ac cruciatus moderatur, aut intẽdit: quare excutere ejusdem dentem, & falsum amicum præstat, quàm ad doloris & periculi incrementum, diutiùs eum ore circumferre.

IV. *Pes lassus.* Pes insuper lassus, & podagricus, est amicus infidelis, qui huic innititur stare diu non potest, nedum progredi in prosperitate; dum maximè illius indigeret subsidio, destituet viribus sibi innitentem. *Noli contemnere, cum senuerit, mater tua,* nempe *Ecclesia*, licet enim senuerit, non tamen est anus edentula, sed os ejus dentibus circumseptum; at modo non inter hos, dentes putridos numeraret, infideles amicos, qui non ad masticationem, & defensionem, sed ad dolorem deserviunt, pro temporum varietate magnum illi causantes dolorem. Sed & pedes habet, sed admodum fessos, podagricos, & nodosos, quibuscum progressus ulteriores nequit facere. *Dens putridus, & pes lassus, qui sperat super infideli, & amittit pallium in die frigoris.*

Ecclesia dentes multos habet, *sed putridos.* *Pedes podagricos.*

Nunquam magis pallio, quàm in intenso frigore indigemus, sicut æstatis tempore, & sereno cœlo, rarò pallium gerimus, ita eo tempore denegatum minùs dolemus; tempore autem intensi frigoris, venti, tempestatis, ac imbrium copiosorum, uti maximè pallio indigemus, ita ægerrimè eum nobis sublatum dolemus. Pallium amicus est, qui fovet & tegit; hoc pallium, affulgente fortunæ serenitate, facilè quisque sibi comparare potest, sed in tempore frigoris, & tempestatis, decidit pallium, & infortunii frigore rigentem & trementem deserit amicum.

Pallium amicus. *Sereno cœlo non se subtrahit.*

Tempora cùm fuerint nubila, solus eris.

Et quid talis prodest amicus, qui tum maximè, cùm ejus nobis necessarium, foret auxilium, deficit? nam amittit quis pallium in die frigoris, (uti Cardin. à S. Caro notat) *quando maximè est necessarium.. Sicut ille, qui habet dentes putridos, non potentes masticare. & sicut ille, qui lassus est, & vellet longiùs ire, & sicut ille, qui pallium amittit, quando frigus invalescit.* Cùm tamen amicus maximè in necessitate, ad nostram vtilitatem desideretur.

Sed tunc, cùm maximè necessarium. Hug. Cardin. hic.

Vulgus amicitias utilitate probat.

Effectũ utilitatis, non affluentiâ

tiâ verbositatis probatur amicitia, multos enim invenire est, qui ore summam gerant amicitiam, cor autem eorũ longè est.

V. *Cygnus foris albus, intus niger.*

Hi nimirum sunt instar cygnorum, qui foris quidem candidissimis nitent plumis, intus autem nigram habent carnem, hinc Israelitis edi prohibitam. Sic amici exteriùs in verbis, & gratiosis gestibus candorem, ac comitatem, omnémque serviendi promptitudinem gerunt, sed intus in corde atrâ bile, & invidiâ agitati, non nisi ruinã, & interitum machinantur, cor corvinum, & plumas gerentes cygnorum. *Sic falsus amicus*

Est Ens rationis Chimæricum.

Ens rationis meritò falsos istos diceres amicos: Ens rationis fictitium merè, & Chimæricum, ex variis conflatam animalibus fingitur.

Prima Leo, postrema Draco, media ipsa Chimæra.

Chimæra ex variis composita animalibus, est falsus amicus, Cygno-Corvus, Columba-Vulpes, vel Columba-Canis. Optimè ad propositum S. Hieronymus: *Verè monstruosa res est, speciem habere columbinam, & mentem caninam, professionem ovinam, & intentionem lupinam, intus esse Neronem, & foris Catonem, &c.* Et tamen de hac duplicitate non erubescunt moderni Politici, sed gloriantur in ea, summúmque sapientiæ apicem se conscendisse æstimant, si dextrè proximo suo imponere, & talia ficto amicitiæ titulo subministrare consilia possint, quæ sub prætextu utilitatis, in interitum illos præcipitent. S. Hieron. epist. 58.

VI. *Apologus de lupo & vulpe.*

Lupum ajunt rigidissimo hyemis tempore famelicum hinc inde conquirendo cibo circumvagatum, demum in vulpem incidisse, quæ magna illi compassionis, & amicitiæ signa exhibebat; Huic cùm ille miseriam ac famem suam confidenter exposuisset, vulpes blandis ipsum verbis consolata, doleo, inquiebat, amice, de tua miseria, quam in his temporum conjuncturis non aliter, nisi sano consilio sublevare queo. Quandoquidem terrâ frigore congelatâ, nulla fructuum acquirendorum spes est, & insuper feræ in altis & securis montium recessibus, pecora autem in stabulis reclusa, omnem tibi intercludunt aditum, ut pro hac vice quadragesimalibus assuescas cibis, suadeo. Modũ deinde capiendis piscibus præscribens, ad torrentis, (ait,) vel stagni ripam sedeas, immissâ in aquas caudâ, & siquidẽ caudam mordere, illíque hærere piscem senseris, cõfestim eum exurgendo extrahas. Placuit consilium famelico lupo, atque de amicabili affectu vulpi gratias agens, festinus ad torrentem, jam hinc inde præ frigoris intensione, glacie obduratum consedit, caudam in aquam, ut erat edoctus, protendens.

dens. Sederat per longam moram ita immotus ad ripam lupus, nec retrospicere quidem ausus, ne adnatantes, motu corporis, absterreret pisces, tandem & fame, & frigore defatigatâ suâ patientiâ, exurgere paulisper lupus, & attrahere caudam tentavit, experturus piscationis suæ effectum. Cùm itaque leniter surgendo extrahere caudam non valeret, adhuc animum non despondens, sperabat tantæ magnitudinis, aut copiæ pisces caudæ hærere, quæ majorem trahentis violentiam exigeret; unde toto conatu, totisque viribus eluctari frustra conatus, tum demum caudam glacie penitus constrictam, & affixam hærere advertit, quare miserandum ululans, vulpis, licet frustra, implorabat auxilium, hæc enim liberè gallinaria interim visitans, parum de lupi curabat angustiis, qui frigoris, famisque miseriis pene confectus, ac eminus accurrentem cum securi rusticum conspicatus diris omnibus infidelia vulpis consilia, ac fictam amicitiam detestatus est. *Vocavi amicos meos & ipsi deceperunt me.*

VII. *Maligna consilia falsorum amicorũ.*

Eadem à falsis amicis, & politicis statistis patitur simplex, ac recta fidelium turba, cui salubria se subministrare simulant consilia, suadent contractus ac societates, fœdera ineunda, tutelas suscipiendas, movenda bella, &c. omnia sub magnæ utilitatis tam publicæ, quàm privatæ prætextu, cùm tamen aliud non quærant, quàm ut miseri miseriis & angustiis irretiti, ac quasi inimica perfidiæ glacie constricti, detineantur, quò liberiùs ipsi Interesse proprium venari interim valeant, parum solliciti, aut anxij, de alterius interitu, suis insidiis, ac malignis cõsiliis præparato, quin huc omnes ingenii vires acuunt, & artis hujus ex industria professionem faciunt, ut aliis decipulam, & laqueum ponant.

Orbis vulpina pelle sustentatur.

Atlas leoninâ contectus pelle, antiquis credebatur sustentare orbem, sed moderno sæculo Atlas non leoninâ, sed vulpinâ, contectus pelle, orbem gestat. Hinc orbi, à tali Atlante sustentato, meritò inscribas: *Hoc modò sustentor.* Vulpinâ scilicet pelle, & fallaciâ sustentor, imò pervertor.

Ex hac vulpinâ versutia & mendaci fallacia, eò deventum est, (uti bene advertit S. Antoninus) *Quòd ex multitudine mendaciorum, & hominum, qui sunt mendaces, quasi nullus credit alteri.* S. Antonin p 3. tit 10. c. 1. §. 3.

Mittuntur à magnatibus sumptuosæ legationes, arcta offeruntur fœdera, sanctæ amicitiæ, & societates indissolubiles, sed nullus jam amplius fidit, aut credit alteri, *ex multitudine mendaciorum.* Non in bellis, & castris, non in politicis contractibus, *Nimia mendacia omnem fidē tollunt*

& aulis, ullus aut fidit aut credit alteri, *ex multitudine mendaciorum*, & fallaciarum, quibus probè mundus modernus novit sub amicitiæ specie ludere, & illudere.

Falsi amici sicut feles,

Feles blandè norunt adulari, pelle tenera manus, vultúmque blãdiendo tergere, sed cùm minimè suspicamur, ungues exerunt, ac vulnerant, Et sic, *cùm ludunt, lædunt*. Haud secus ficti, in moderno sæculo, amici blandiuntur, manibus, pedibúsque delicias faciunt, dulciter in verbis, & gestibus ludunt, sed dum ludunt, lædunt; & veluti aviculæ, quæ aliis vocandis ac decipiendis aluntur ab aucupe, *dum ludunt, illudunt*, sic & amici falsi, ad ruinam tantùm, & interitum proximo illudunt, & provocant.

Et aves.

Jerem 5. 26.

Contra hos per Jeremiam conqueritur Deus: *Inventi sunt in populo meo impii, insidiantes quasi aucupes, laqueos ponentes, & pedicas ad capiendos viros; sicut decipula plena avibus, sic domus eorum plenæ dolo.* Nihil aucupibus aut familiarius, aut in aves videtur esse propensius; vix aurorâ cœlum purpurante, isti jam avibus parant escas, & fistulis dulces illarum provocant concentus. Advolant turmatim curiosæ aviculæ, respondent cantu, reddunt sibilos, applaudunt alis, & de viridi fronde, de arbore unâ ad alteram jucundè saltitantes, de præparatâ sibi, licet neque serentibus, neque metentibus, à Deo suo mensâ applaudunt, sed dum escis inhiant, laqueum, decipulas, casses, & dolosas aucupis insidias non priùs capiunt, quàm captæ sint.

Aucupum dolositas.

Aucupes, falsos amicos, appositissimè dixit Propheta, hi enim officiosissimos se omnibus, ac comicos exhibentes, cum Absalone summo manè captivandis animis invigilant, dulcibus sibilis ac verbis aures demulcent, in amicitiæ indubitatæ testimonium convivia parant, nullum officiositatis genus omittunt, manibus pedibúsque delicias faciunt, nec inclinandorum pedum, osculandarum manuum finis. Sed cave simplex avicula, cave sinceri & candidi animi columba, sub istis cantibus, sibilis, ac escis non nisi laquei, & decipulæ latent, quibus irretita, serò nimis dolosi aucupis insidias experieris, *cujus domus plena dolo, sicut decipula plena avibus*, scilicet *ab eis decepti*, (glossatur Lyranus) & domus eorum plenæ dolo, id est, *Bonis simplicium, dolosè acquisitis*.

Typus falsorum amicorũ.

Lyranus hic.

VIII. Viduas negligũt.

Ideò (ait Propheta) *magnificati sunt, & ditati, incrassati & impinguati*, in tantum, in quantum alii, ipsorum falsâ amicitiâ decepti, facti sunt in substantia sua macilentiores, præsertim desolatæ viduæ & pupilli. Unde prosequitur Propheta: *Causam*

sam viduæ non judicaverunt, causam pupilli non direxerunt, & judicium pauperum non judicaverunt. *Quia non sperabant inde habere lucrum*; addit Lyranus.

Quia nullum inde sperant lucrum. Lyranus.

Dum vivebat adhuc maritus, nobilitate illustris, clientibus potens, magistratu, aut prætoriâ dignitate excellens, omnes cum marito inclinabantur reverenter filiis & uxori, patronam, cognatam, affinem, ac aliis honorum titulis salutabant, sed erepto per mortem marito, viduam desolatam, pupillos derelictos, nemo est, qui parentelam agnoscere, tutelam suscipere, illorum judicium, & causam agere velit, cùm nullum inde speretur lucrum, aut favor reciprocus.

sicut molendinum venti

Similes sunt falsi ejusmodi amici, molendinis vento agitatis, qui tamdiu gyrantur, & molunt, donec aspirat ventus, isto cessante, stat molendinum, unde de hoc acutè dictum: *Quousque spirabit.* Sic etiam prospera afflante aurâ currunt, & advolant amici, de officiositatis primatu competentes: sed quousque hoc? Quousque spirabit, prosperioris fortunæ ventus, nam hoc expirante, mox omnis amicorum cessabit officiositas. Unde S. Augustinus:

Cessante vento sistit.

S. Augustin. l. de Amicitia, cit. *Est amicus secundùm tempus suum, & non permanebit in die tribulationis. Tolle spem quæstûs, & statim desinet esse amicus.* Causam viduæ, causam pupilli non judicabit, tutelam non suscipiet, quia non sperat inde lucrum; vel si suscipiat, incrassabit & impinguabit se, & cùm domos viduarum devoraverit, amicitiam & pacem stabilire volet

IX. *Apologus de vulpe.*

Vulpes gallinarium ingressus, devoratis omnibus gallinis, cum gallo in arborem cautè confugiente, amicitiam se contracturum simulabat, legem modò latam esse asseverans, ut nullus posthac alteri noceret, proinde descensum gallo persuadere conabatur. Sed fraudem subodoratus gallus, in arbore, quasi attonitus, acriter circumspexit. Causam tam sedulæ circumspectionis sciscitanti vulpi, respondit gallus; canes duos venaticos illuc accurrentes video; quo audito vulpes, quà data porta ruens, citato in silvam cursu properat, fugienti proclamante fortiter gallo, quid fugis? quid times amice? nunquid pacem undiq; proclamatam affirmâsti? aut simulasti tantùm? Ita falsi amici detectus dolus, & fraudulenta pax.

Amicâ falsi pacem proclamant.

Sic quandoque amici falsi pupillorum ac viduarum devoratis domibus, ac bonis saginati, amicos juratos, tutores indefessos, protectores intrepidos eorum se posthac futuros edicunt; præteritorum consilium & memoriam esse non debere.

Pacem, & amicitiã proclamant simulatâ fide, sed dicunt: Pax, pax, & non est pax. Salutant amicabiliter, tenent mentum, osculantur, sicut Joab Amasam, & interim occultum ferrum lateribus infigunt. Unde cautiores quique vident cui fidant, & damno suo jam prudentiores facti, se faucibus harum vulpium subducunt, nam sicuti de præterita rapina nec pœnitentes, nec satiatæ sunt, ita de cavenda imposterum rapina non proponunt, unde caninos in vulpinam pellem dentes advocare consultiùs est, ut detractâ fictæ amicitiæ pelle ac larvâ, sciant se sciri inimicos, ac fugâ, non amore dignos esse, imò tales, tanquam vineam Domini, sub amicitiæ titulo, turpiter demolientes vulpeculæ canibus expellantur, aut caninis dentibus dilacerandę projiciantur.

sed cum istis vulpibus non est pax.

X. Contra quos etiam graviter exardescit ira, *Nunquid super his, non visitabo dicit Dominus, aut super gentem huiusmodi non ulciscetur anima mea?* ait per Prophetam Jeremiam loco citato Deus, quod adhuc acriùs capite nono prosequitur: *Unusquisque se à proximo suo custodiat, & in omni fratre suo non habeat fiduciam, quia omnis frater supplantans supplantabit, & omnis amicus fraudulenter incedit... Habitatio tua in medio doli.* Et iterum: *Sagitta vulnerans est lingua eorum, dolum locuta est: in ore suo pacem cum amico suo loquitur, & occultè ponit ei insidias. Nunquid super his non visitabo, dicit Dominus, aut in gente huiusmodi ulciscetur anima mea?* Et tamen has dolosas simultates, & simulatas amicitias parum curant deflere, multo minus emendare Christiani fideles, in hoc genere quandoque infidelibus deteriores, qui neque ejusmodi fallacias dignas æstimant, quas ad pœnitentiæ tribunal vocent, cùm tamen illis tam graviter indignetur, & comminetur Deus, quia per has omnis in communitate societas, fidelitas & amicitia tollitur, qua nihil melius, nihil in republica utilius, adeò ut Tullius dicere nõ veritus sit; *Solem è mundo tollere videntur, qui amicitiam è vita tollunt.*

Ierem. 5.

Falsis amicis minatur Deus.

Ierem. 9. v. 4.

Erubescite de falsitate Christiani.

Cicero l. de Amicitia.

Erubescite igitur Christiani fideles, vestrâ mentis infidelitate & duplicitate hunc solem Christiano orbi è medio tollere, sed *deponentes omnem malitiam, & omnem dolum, & simulationem, &c. sicut modò geniti infantes sine dolo lac concupiscite.* Infantes simplices & sinceros optat esse Christianos, Apostolorum Princeps, sine dolo, sine simulatione, reprobat in illis vulpinam astutiam, & simulationem, & columbinam, ovinam, & agninam in cordibus eorum plantare satagit sinceritatem, candorem & simplicitatem, qua

1. Pet. 2. v. 1.

median-

Deus unicus firmus amicus & anchora.

mediante etiam in amicitiam Dei venire, & in ea permanere in æternum mereantur. Et hic unicus, in quem indubitanter confidere possumus, amicus nobis sufficiat. Reprehendit quidem Seneca illum, qui non nisi unicum habet amicum: *Perdidi amicum! Fortem animum habe si unum; erubesce, si unicum. Quid tu in tanta tempestate ad unam anchoram stabas?* Sed mille amicorum terrenorum anchoris, unicus præstat Deus, in illo vestram spem figite, in illo unico indubitanter confidite, cui uni adhærere bonum est, cui unico affixus non confundar in æternum. Amen.

Seneca in in ludo de morte Claudii.

DISCURSUS XLII.

Coph.

Vocavi amicos meos, & ipsi deceperunt me. *Thren. cap. 1. v. 19.*

DE ANIMA.

Amicos anima peccatrix sibi facit inordinatas passiones, & motus, sed eos advocans in morte, ab iis decipitur, & illos sibi factos sentiet inimicos.

1 ANgustiata ab Assyrijs Jerosolyma vocavit amicos suos Ægyptios, sibi confœderatos, quorum amicitia, & auxilio freti Judæi contra Chaldæos rebellaverant: sed exiguum inde subsidium, & solatium receperunt: *Vocavi amicos meos, & ipsi deceperunt me.* Per hos amicos Glossa Moralis intelligit *dulces carnis affectus*, cum quibus arctam peccatrix anima amicitiam contraxit, in ijs spem & solatium suum reponens. *Sed & ipsi animam sibi intentam decipiunt, vocavi amicos meos, & ipsi deceperunt me.* Amicos maxime

Glossa Moralis.

Amici animæ peccatricis,

vocare, & advocare solemus in necessitate, nam in hac maximè probatur amicus. Quæ autem major animæ, & urgentior necessitas, quàm extrema cum morte lucta, tunc enim amicos suos vocare in extremis angustijs, & agone peccatrix anima solet. Sed quos amicos? suum fortè Redemptorem, quo majorem amicum non habet, qui proprium pro ea sanguinem fudit, ac carnem suam ei dedit in cibum? Fortè sanctos in cœlo Patronos, ac intercessores potentes? Bene utique faceret in illis angustijs anima peccatrix, tales vocatura amicos; sed cum in vita parum horum curaverit amicitiam, & tantùm carnis, ac concupiscentiæ terrenæ, affectus & motus, in ipsis incunabulis suffocandos, & revera hostes infensissimos, sibi amicos delegerit, horum & amicitiam, ac opem implorabit, sed non tantùm sine fructu, imò maximo suo damno: *Vocavi amicos meos, & ipsi deceperunt me.* Quin imò hi ipsi amici nefandissimi, maximè tunc ipsam animam angustiabunt, & hostili in eam inimicitia desævient.

Affectus carnales, & motus inordinati.

II. Debellatis majori ex parte adversarijs, ingressurus Josue viam universæ carnis, vocavit omnem Israël, majoresque natu, & principes, & magistratus, eosque de observantia mandatorum Dei admonitos, maximè etiam est adhortatus ad prosequendam victoriam, & delendas adhuc gentes superstites, quibuscum nullatenus connubia & amicitias copulare deberent, nam eo, inquit, casu, gentes illæ à vobis amicabiliter toleratæ *erunt vobis in foveam, ac laqueum, & offendiculum ex latere vestro, & sudes in oculis vestris.* Per Josue (ait Glossa Moralis) intelligitur quilibet bonus Prælatus, qui subditos ad observantiam legis divinæ adhortatur, videnque subditos de vitijs aliquibus feliciter triumphasse, animat eos ad prosequendum vitiorum bellum. *Quod etiã de quavis persona singulari exponi potest,* (ut eadem Glossa notat) in qua synderisis contra malũ semper obmurmurans, & ad bonum inclinans, *incitat intellectum, & voluntatem ad rebellationem motuum sensitivæ partis inordinatorum, & post debellationem unius partis sensitivæ, scilicet irascibilis, incitat cum Dei adjutorio ad devincendum passiones alterius partis.* Sensualitas semper pacem, & amicitiam suadet, sed synderisis bellum, quia cum hisce hostibus pax aut amicitia stabiliri non potest, qui hostilibus semper insidijs ad animæ ruinam intenti, in foveam, laqueum, & offendiculum, imò quasi sudes (Hebræi vertunt *spinæ*) in oculis ejus erunt, non tam oculos mentis, quàm corporis offensuræ, sed con-

Josue ad debellandos hostes incitans.

Josue 23. 13.

Et Prælatus.

Glossa Moralis. *Vel Synderisis ad passiones debellandas incitans.*

In morte erunt inimici.

conscientiam sævè laceraturæ, & angustiaturæ, præsertim in periculosa lucta cum morte, tunc enim amicos hos anima vocatura, ab iis non modò se deceptam, nullámque consolationem sentiet, sed & *omnes amici ejus*, id est, *affectus pravæ delectationis* (glossatur Hugo) *quos priùs habebat infelix anima, in morte fiunt inimici, multipliciter eam vexando, quia eos in vita non reliquit.* Tunc enim anima peccatrix ab ijs consolationem, & quietem sperans, afflictionem, & persecutionem experietur. *Nec invenit requiem; omnes persecutores ejus apprehenderunt eam inter angustias.* *Persecutores* (ait idem Expositor) *sunt caro, mundus, dæmones,* quibuscum amicitiam & fœdus pro sui consolatione, contra Deum, peccator inierat, hi apprehendent eum inter angustias. *Inter angustias* (pergit memoratus commentator) *est homo peccator, maximè in morte, quia nec ad dexteram potest transire, id est, ad vitam æternam; nec in sinistra potest remanere, id est, in vita præsenti.* Quàm ergo consultiùs, & consolabiliùs fuisset animæ peccatrici, generoso bello contra mundum, carnem, & diabolum decertâsse, & justis armis affectus inordinatos, passiones, & concupiscentias deviciisse, quàm à fictis amicis, inter mortis angustias, tantas experiri molestias, & persecutiones: *Vocavi amicos meos, & ipsi deceperunt me, supplantaverunt me, facti sunt mihi inimici; apprehenderunt me inter angustias.*

Thren. 1. 2.

Hug. Cardin. hic.

Thr. 1. 2.

Peccator in morte angustiatus.

III.

Inter alias, etiam duas falsas coluêre deas Romani, voluptatem scilicet, & Angeroniam, illam à voluptate, hanc ab angoribus & angustijs sic vocatam: Dicunt aliqui Angeroniæ simulacrum in ora Volupiæ fuisse, ejusque inhæsisse vestigijs, tangens digito os, quasi dicere vellet: *Attende tibi.* Nempe attende, ô homo, qui jucunda, & amœna facie ad te venientes amplecteris (quasi amicas) voluptates, en vestigijs, & oræ Volupiæ, & voluptatis inhæret Angeronia, & sicut umbra corpus, sic delicias sequitur angustia; angustia scilicet infamiæ, angustia torquentis conscientiæ, angustia timoris hiantem tibi infernum demonstrantis, maximè autem in morte, tremorem, & angustias Volupia post se trahit, quibus circumdat, & opprimit eos, qui affectus sensuales sibi fecerunt, & coluerunt amicos.

Angeronia iuncta Voluptati.

Angustia voluptatibus.

Variabile est ingenium hominum, quod ex magno subinde amore & amicitia, in magnum convertitur odium, & inimicitiam, imò summus subinde amoris affectus, est maximum odij seminarium, quod maximè inter personas illicito in invicem amore exardescentes,

Amor in odium vertitur.

tes, experientia docet, & clarum hujus rei exemplum exhibent sacræ paginæ in Amnone, quem vehemens, erga sororem suam Thamar, amor ita incendit, *ut propter amorem eius ægrotaret.* Proinde partim dolo, partim violentia id egit, ut eam violenter opprimeret, statimque sacer textus subnectit: *Et exosam eam habuit Amnon odio magno nimis.*

2. Reg. 13. 2.

Exemplū in Amnone.

Amorem, & amicitiam animæ per gratiam sanctificantem cœlesti sponso junctæ ambiunt impudentes proci, caro, mūdus & diabolus, & incautæ tamdiu struunt insidias, usque dum eam opprimant, & à divino amore abstractam in sui amicitiam trahant, cōtra quam per Jeremiam cœlestis sponsus conqueritur, *in omni colle sublimi, & sub omni ligno frondoso prosternebaris meretrix*, & iterum: *tu autem fornicata es cum amatoribus multis.* Promittunt animæ peccatrici adulteri hi amici plenam consolationem, constantem affectum, indissolubilem amicitiā, indubitatam fidelitatem; sed veluti adolescentes amasiam leviter à marito profugam, infidelem, & infamem mox voluptate peracta contemnunt, abominantur, & exosam habent, sic etiam mundus, caro & diabolus insidiosi adulteri, mox ut ad lapsum animam à Deo apostatricem traxerunt, exosam eam habent, ejusque infidelitatem, proteruiam, inhonestatem, & effrontem impudicitiam abominantur, ac ipsi ejusdem turpitudinem detegunt, detegendo infamant, infamando repudiant, atque in mille miserias præcipitant, *omnes amici eius spreverunt eam, & facti sunt ei inimici*, maximè autem in angustijs mortis, ubi lascivientem caro deserit, adulteram, & à Deo profugam mundus vilipendit, & concubinam suam diabolus, magno & innato odio, ita exosam habet, ut de ea temporaliter angustianda & affligenda non contentus, illam æternum torquendam, secum in abyssum trahat: *Vocavi amicos meos, & ipsi deceperunt me.*

Anima peccatrix adultera

Jerem. 2. v. 20.

e. 3. 1.

Fit adulteris ipsis contemptibilis.

O anima peccatrix insipiens, quæ perfidis istis amicis, & adulteris adhæres! quid falsis hisce amatoribus, non salutem, sed interitum tuum quærentibus te confidis? Attende tibi; agnosce perfidiam, dolum & falsitatem, & vel propriæ infamiæ, & turpitudinis damno sapientior effecta, nuncium remitte his amatoribus falsis, amicitiam solve, amoris vincula rumpe, commercia eorum dolosa fuge, falsorum amorem amicorum in implacabile odium converte, non pacem, non armistitium admitte, sed tanquam sævissimos inimicos persequere, & cum Propheta regio (qui dolosa quoque horum falsorum

IV.

Non fide amicus adulterus.

amico-

amicorum infidelitate deceptus erat) in eorum odium, & persecutionem insurge. *Persequar inimicos meos, & comprehendam illos*, nempe (uti Hugo exponit) *dæmones, mundum, carnales affectus*, vel persequar inimicos meos, scilicet *primos motus, vel peccata: perscrutando eos & ad iudicium confessionis trahendo, & ad ignem pœnitentiæ pertrahendo.* Unde 1. Mach. 3. dicitur de Juda Machabæo, quòd persecutus est inimicos, perscrutans eos, & qui conturtabant populum suum, eos succendit igni. Falsi enim isti amici, dupliciter inimici, nisi exterminentur, & jugulentur, ipsi jugulum nostrum petent; persequar, & non convertar, donec deficiant.

Ps. 17. 38.

Hug. Cardin. hic.

1 Mach. 3

Sed eos persequebor.

V. Mandaverat Israëlitarum regi, Sauli Deus, ut bellum Amalecitis movens, penitus eos deleret; *Vade, & percute Amalec, & demolire universa eius*; ita quidem ut nulli omnino neque viro, neque mulieri, neque ipsis parvulis ab uberibus maternis pendentibus, imò nec ipsis animalibus parcendum juberet. Morem gessit ex divino mandato, & potenti exercitu contra hostem movens, insigni potitus victoriâ, *Apprehendit Agag regem Amalec vivum, omne aut in vulgus occidit in ore gladii.* Gloriabatur coram Samuele rex, quòd egregiè divino paruisset præcepto; *Implevi verbum Domini.* Sed iratus Dominus, Samueli præcepit, ut intimaret Sauli, eum à regno cum tota sua posteritate abjiciendum esse, eò quòd non delêsset omninò Amalec, sed regi Amalecitarum pepercisset.

1. Reg 15. 3.

Saul parcens regi Amalec.

Post hæc contigit, ut Saul contra Philistæos pugnans, infelici prælio vinceretur, ac irruente in eum hostilium sagitariorum impetu vulneratus, ne vivus in hostium manus deveniret, *Arripuit gladium Saul, & irruit super eum*, quod ex singulari Dei inobedientiam vindicantis judicio actum fuisse Hugo asserit: *Gladio, quo Amalecitis contra præceptum Dei pepercerat, meritò seipsum occidit.*

Gladio seipsum confodit.

1. Reg 31.

Hug. hic.

Magis autem observatu dignum est, quòd proprio se gladio occidere màchinatus sit rex infelicissimus præsente viro Amalecitâ, qui infelicem de morte regis, ac filiorum ejus nuncium Davidi ferens, per ordinem omnia enarravit, qualiter scilicet curribus & equitibus Philistæorum jam sibi appropinquantibus, Saul hastæ incumbens, semimortuus se vocâsset, imperans sibi: *Sta super me, & interfice me, quoniam tenent me angustiæ, & adhuc tota anima mea in me est. Stansque super eum, occidi illum, & tuli diadema de capite eius, &c.* Iste infelicissimi regis tragicus fuit exitus, ut gladium, quo in Amalecitas minùs animadverterat, in proprium converteret pectus,

Præsente Amalecita.

2. Reg 1. 9.

Qui ipsi diadema sustulit.

amissâ etiam inter Amalecitæ fortuito supervenientis manus, vitâ, & regio diademate; uti bene notat Cornel: *Vnde & coram Amalecita, cui pepercerat, occidit se, & Amalecites ipsi diadema abstulit.*

Cornelius hîc.

VI. *Amalecitæ sunt vitia.*

Præcipit quoque nobis Deus, ut bellum moveamus Amalecitis, eosque penitus ad internecionem omnes cædamus, & deleamus; hi Amalecitæ inordinati sunt mentis nostræ motus, passiones, & affectus, omnes in ore gladii mortificationis, interficiendi, unà cum ipsorum rege Agag pinguissimo, infernali scilicet inimico, animabus, à se devoratis, incrassato, & impinguato. Sed, quodsi hoc gladio contra eos uti negligamus, inimicis nostris, tanquam amicis, parcentes, hi gladium justo Dei judicio in animæ nostræ ruinam convertent, circumdabunt, & coangustabunt nos, & vitam sempiternam, & coronam nobis eripientes.

Cornelius hîc.

Si ipsa nō hora mortis, passiones & vitia, quæ delemus, ipsi nos delent.

Optimè ad propositum nostrum Cornelius: *Tropologicè, in vita occidere, & mortificare negligis, te affligent, tibique decus, pacem, vitámque præsentem, & æternam auferent. Hi enim sunt nostri Amalecitæ.*

In morte has Amalecitas experiemur.

Tum primùm in necessitate extrema cum morte luctantes Amalecitarum horum fiętam experiemur amicitiam, cùm caligantibus oculis, palpitante corde, balbutiente linguâ, ipsorum implorabimus auxilium, dum nos tenent angustiæ, tum verò maximè inter angustias nos apprehendentes, stabunt super nos, & interficient nos; & quia nos eos delere non curavimus, ipsi nomina nostra delebunt de libro vitæ, quia nos eis vitam non eripuimus, ipsi nobis eripient vitam, & quia nos eis cervices subiecimus, illi de capitibus nostris coronam auferent gloriæ. Neque iurata falsorum horum amicorum inimicitia cum morte terminabitur, sed implacabili post mortem odio renascetur, dum amicæ dæmonis concubinæ (animæ peccatrices) ab adultero æternum opprimendæ, & cruciandæ, novis semper tormentorum generibus exercebuntur, ob amicitiam Dei relictam vel ipsis infernalibus inimicis contemptibiles: *Omnes amici eius spreverunt eam, facti sunt ei inimici.*

VII. *Hebræi tamta ab Ægyptiis passi.*

Magnas ab Ægyptiis afflictiones experti Israëlitæ, nihil non hostile ab iis perpessi sunt. Omnes masculi ab obstetricibus jugulari iussi; alimenta vilissima in pondere & mensura illis porrecta, sed è contra gravissimi labores ipsis, sine pondere, numero, mensura & modo, impositi. Egressuris de Ægypto filiis Israël, annuit quidem, licet invitus, & plagarum vi compulsus Pharao, sed mox pœnitentiâ ductus, cum curribus & equitibus

bus suis eos prosecutus est usque ad mare rubrum, imò ipsum mare, muri instar ex utraque parte firmiter consistens, ingressus, persequi eos non desiit, donec ab ipsis undis absorberetur.

Tamen iterum Ægyptũ aspirabant.

Non attentis gravibus istis in Ægypto perpessis pressuris, Hebræi injuriarum & afflictionum perpessarum quasi immemores, vix transito mari rubro, jam iterum, (licet pane de cœlo pasti à Deo, & frequentibus confortati miraculis, ac beneficiis, aspirare cœperunt Ægyptum, ac nauseantes super manna, tanquam cibo vilissimo, allia & pepones Ægypti appetivêre, inter otium manna, alliis & cibis vilissimis, inter insupportabiles sibi labores vix ad saturitatem porrectis, postponentes, ipsiusque fidelissimi Ducis Moysis dominium mansuetissimum murmurando dedignati, Pharaonis tyrannidem illius mansuetudini præposuerunt.

Et eorum amicitiã quærebat.

Inhæsit tenax hæc in Ægyptum propensio adhuc in Hebræorũ posteris, nam licet Chaldæicis monarchis fidelitatem servandam per Prophetas iteratò monuisset Deus, tamen Hebræi tantam (maximè sub Sedezia rege) in Ægyptios concepere nt hduciam (dehortante eos r delissimè Jeremiâ,) ut in eorum auxilio, & amicitia confisi contra Nabuchdonosorem rebellare nõ veriti sint, licet maximo suo damno, totiusque urbis exterminio. Unde serò malo suo sapiens Jerosolyma genit: *Vocavi amicos meos*; *Ægyptios* (dicunt Expositores) *& ipsi deceperunt me.*

VIII.

Ægyptus, est servitus peccati.

In Ægypto statum peccati, in Pharaone diabolum, in exactoribus inordinatos passionum motus denotari, jam aliàs dictum, in dura hac servitute Ægyptiaca, omnes masculi, ac generosi animi affectus & spiritus, jugulantur, relictis tantùm muliebri sensualitatis genere. Durissimis peccatores laboribus in luto & latere exercentur, ac diu noctuque densum contra se lutum vitiorum congregantes fœtidis tantùm alliis, cepe, & porris saturantur, quæ lacrymas uberes ex oculis exprimunt.

Egrediuntur peccatores,

Lassati demum iniquitate peccatores, è durissima Pharaonis tartarei servitute egressuri, per mare rubrum, merita scilicet sacratissimi sanguinis, à Salvatore nostro uberrimè effusi, transeuntes, Ægyptii tyranni manus violentas evadunt, quos tamen ipse insequi non desistens, hostili semper furore, ac insidiis fugientium inhæret vestigiis, nec nisi rubro passionis Dominicæ mari præpeditus, currus & equites suos revocat.

Nihilominus animæ peccatrices, dum minus debito, liberationis suæ beneficium, ac perpessæ servitutis jugum perpendunt,

Et rursus revertuntur.

dunt, vix per mare rubrum, & merita divini Sanguinis liberati, jam iterum cogitare Ægyptum, aspirare allia, cepe, & pepones incipiunt, sensuales delicias; nauseantes manna cœleste spirituale, & supernæ consolationis, quin contra ipsum Moysen, Salvatorem suum (qui virgâ crucis per mare rubrum pœnitentiæ perductos, omni amoris, & benevolentiæ genere prosecu us est) murmurantes, hujus mansueto jugo, insupportabile, & asininum Pharaonis infernalis onus præponunt. Quin imò non tam omnium beneficiorum à Deo, quàm injuriarum & malorum ab Ægyptiaco Pharaone acceptorum obliti, sepositâ salvatoris sui amicitiâ, ad fœdus, & amicitiam rursus Ægyptios suos vocare non dedignantur, *Vocavi amicos meos*, & amicitiæ Dei sui renuntiantes, illorum nutus, & consilia sequuntur, qui in perniciem eos deducunt.

Immemores beneficiorum Dei,

& malorum à dæmone perpessorum.

IX. Apostatrices hasce animas iterum revocare, & sub alas suas congregare festinat Dei Filius, *quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas.* Sed vel noluerunt sub umbra harum alarum se congregare, vel congregatæ statim iterum dispersæ recesserunt. Solent gallinis subinde ova anatum fovenda supponi, ex quibus pulli egressi, æqualem à gallina cum proprijs pullis curam, ac beneficia sortiuntur, qui etiam, instar aliorum, gallinam sequuntur, sed mox ut anates aquam conspiciunt, relicta matre, in illam nataturæ festinant. *Væ filij desertoces, dicit Dominus*, qui relicto Deo descendunt in tenebras Ægypti. *Desertores autem dicuntur* (Hugone teste) *qui frequenter deserunt, sive multoties recidivant. Sicut enim gallina deseritur à pullis anatum, quos fovit, quàm citò aquam inveniunt natabilem, ita Christus à claustralibus, & scholaribus deseritur, quando inveniunt aquas divitiarum, vel delitiarum.* Per has aquas iterum in Ægyptum descendunt. Sed væ filij desertores, qui tantæ fidelitatis, tam sinceræ amicitiæ, tam insignium beneficiorum, & maternæ sollicitudinis Dei vestri obliti, iterum amicitiam Ægyptiorum (à quibus tantas estis passi molestias, contumelias, & infamias) quæritis. *Vt faceretis consilium, mundi & carnis*, (glossatur Hugo) *& non ex me; sed contra me: nam mundus consulit vanitatem, caro voluptatem, Dominus veritatem. Et ordimini telam, vanitatis; & non per spiritum meum, ut adderetis peccatum, super peccatum. Qui ambulatis, ut descendatis in Ægyptum. Sperantes auxilium in fortitudine Pharaonis, & habentes fiduciam in umbra Ægypti. Et erit vobis fortitudo Pharaonis in confusionem, & fiducia umbræ Ægypti in ignominiam.* Quod de peccatoribus

Math. 23. 37.

Anates relicta gallina ad aquas properat.

Isa 30. 1.

Sic peccatores, Hug. Cardin. hic,

relicto Deo ad dæmon.

Hug. Cardin. hic.

Ægyptii nos decipient.

bus in tenebras Ægypti descendentibus Glossa Ord. intelligit, *quærentibus Pharaonis auxilium, qui regnat in Ægypto, cuius fortitudo ducit in opprobrium sempiternum.*

Glossa Ordin.

Tunc enim in aditu æternitatis constituta peccatrix anima, dum hos Ægyptios amicos suos vocabit, sentiet se ab eis deceptam: *Omnes amici eius spreverunt eam, & facti sunt ei inimici.* Quin imò larvati hi amici apprehendent eam inter angustias, & vitam, & coronam gloriæ erepturi. Quare perfidorum horum Ægyptiorum, & Amalecitarum fugiamus amicitiam, persequamur juratos hos inimicos, & deleamus, sub amicitiæ titulo nobis infensissimos, illúmque solum sequamur, & amplectamur amicum, qui & vitam & animam suam pro nobis posuit, recepturus nos in æterna sua tabernacula,

Amen.

Deum amicum amplecteretur.

DISCVRSVS XLIII.

Res.

Vide Domine, quoniam tribulor, conturbatus est venter meus, subversum est cor meũ in memetipsa. *Thren. c. 1. v. 20.*

DE ECCLESIA.

Plangit, quòd mundus totus horridum, & confusum sit desertum.

I. *In urbe & horto.* IN urbe, seu civitate ordinatè omnia solent esse dispositа, mœnia turribus, ac portis proportionatâ altitudine distincta, plateæ rectæ, ac latæ pulchro ordine dispositæ, domus æquali proportione constructæ, officia quoque ordinatè inter cives distributa, ut suis quisque negotiis pertractandis, sciat, quem convenire, & ubi se insinuare debeat. Non minùs in hortis regiis, pulcherrimo omnia ordine sunt dispositа, ambulacra ad lineam sibi invicem correspõdentia, areolæ ad amussim distinctæ, flores & arbores exquisitissimo modo ordinatè consitæ, portalia & sepes pulcherrimo spectaculo regulatę, aditum prę cludunt feris, ne subitâ irruptione facta, ordinatam horti venustatem subvertant. *Ordo pulcherrim°.*

At in silvis, eremis, solitudinibus, & desertis, nec via, nec platea, nec aditus, nec exitus, nec distinctio certa arborum, fruticum, habitationum, nec ordo ferarum inhabitantium: sed omnia dumetis, vepribus, frutictibus, arboribus infructiferis, & inviis paludibus, feris quoque ad libitum hinc inde sine ordine vagantibus & sævientibus confusa sunt. *In deser. to. confusio.*

Urbs pulcherrima & regulatissima erat Jerosolyma, de qua David: *Gloriosa dicta sunt de te civitas Dei*; Civitas enim magni Regis, etiam ab ipso Dei Filio vocatur: Erat & ipsa tempore regum suorum florentissima, & quasi ter- Psal. 86 2 Math. 5. 5.

Palæstina desertum.

si terrestris paradysus, sed ea à Chaldæis capta, succensa, ac devastata conqueritur: *Conturbatus est venter meus, subversum est cor meum; foris interficit gladius, & domi mors similis est*, ut ex urbe floridissima in desertum horridum conversa videretur. Sed quòd ipsa sancta civitas de se, ac Palæstina, hoc idem Ecclesia hodie de toto conqueritur mundo, & universo terrarum orbe, quòd scilic. confusione sua totus quasi subversus, & horridus, in horrendum & formidabile declinaverit desertum: Juxta illud Isaiæ: *Qui posuit orbem desertum: id est, totum mundum fecit habitationem bestiarum, id est, dæmonum & vitiorum, fugatis virtutibus, & sanctis viris.* Ingrediamur ergo hoc horridum desertum, illudque perscrutemur.

Imò totus mundus.

Isa. 14. 17

Hug Cardin. hic.

II.

Inter tenebras

Intempestâ nocte iter faciens, cœco quasi impetu pergit, non observata locorum constitutione, ac situ: imaginatur sibi quandoque se in pulchra campi fructiferi ambulare planitie, cùm versetur in terra arida, & inaquosa; videntur sibi subinde à lõgè objici excelsæ palatiorum turres, cùm revera non sint, nisi densa abietum, aut quercuum cacumina. Cùm versus patriam ad orientem se pergere opinatur, ad occidentem delatus, ab ea in horridum nemus defertur. Exurgente aurorâ dum se jam amicis vicinum sperat, adhuc inter densas silvarum umbras hærens, & socius ferarum in umbra mortis se versari deprehendit.

Mundum credimus paradysum.

Ambulamus nos homines cæco impetu in hoc mundo, quia pro dolor, modicum lumen in nobis est; Et quidem, *qui ambulat in tenebris, nescit quò vadat.* Imaginamur nobis, nos in amœnissimo & floridissimo ambulare campo, veneramur magnas turrium, ac palatiorum umbras, miramur speciosum terrestris Paradysi theatrum, sed oriente lucifero in cordibus nostris, hærentes attonitè de nostro errore, *agnoscimus nos iter agere in eremo* (uti S. Augustinus loquitur) *Quid est in eremo? In deserto. Quare in deserto? Quia in isto mundo.* Ergo mundus, sic à munditia dictus, informe desertum est? Ergo mundus, ergo sæculum hoc hominibus habitatum, regum splendore refulgens desertum sit? Imò verò, respondet S. Pater, *Malum desertum, horribile, & timendum.*

Ioan. 12. 35.

Cùm sit desertum horridũ.

S Augustt. Tract. 28. in Ioan.

S. Augustt. in Ps. 62.

In planitie, aut valle profunda constitutus, regionis, & orbis situm æquo animo contemplari non potest, nec discurrentium in ijs hominum aut animalium actiones discernere, ob stante corporum opacorum crassitudine. Sed siquis in altissimum elevatus montem, vel usque ad concavum lunæ translatus, uno quasi ictu oculi totum

In profunda valle, nõ videntur ea, quæ aguntur in mundo.

mun-

mundi hujus amplum conspicere theatrum posset, tunc non solùm montium, vallium que situs, campum & nemorum varietatem, marium & aquarum amplitudinem, sed ipsorum etiam hominum, piscium, & animalium inter se concertantium pugnas, & rapinas clarè intueri posset. Sic etiam nos miseri mortales in profunda ignorantiæ, & cæcitatis valle constituti, mundi hujus, in maligno positi, statum non agnoscimus: quare hortatur nos S. Cyprianus: *Paulisper te crede subduci in montis ardui verticem celsiorem; speculare inde rerum infra te iacentium facies, & oculis in diversa porrectis, ipse à terrenis contactibus liber, fluctuantis mundi turbines intuere. Iam sæculi & ipse misereberis, tuique admonitus, & plus in Deum gratus, maiori lætitia, quòd evaseris, gratulaberis. Cerne tu itinera latronibus clausa, maria obsessa prædonibus, cruento horrore castrorum bella ubique divisa; madet orbis mutuo sanguine.* Tanquam feræ silvestres inter se mutuò homines decertant. Quidni ergo agnoscamus nos agere in deserto?

Extollamus nos in mõtem. S. Cypr. l. 2. epist. 2.

III. In principio mundus totus Paradyso similis videbatur, in quo primi parentes tanquam Angeli, statu innocentiæ dotati, versabantur, accurata animalium, imò creaturarum omnium obedientia honorati, ac terra ex se producente fructus suos. Sed post commissam à primis parentibus, contra Deum, inobedientiam, maledicta terra germinare spinas & tribulos, feræ non tam in se invicem, quàm hominem insurgere, & homines ipsi, quasi bestiæ, se invicem persequi mordere, & jugulare cœperunt.

Mundus spinis horridus. *Sine ordine habitatur.*

Hisce malis obviasse videtur Nemrad, qui *erat robustus venator coram Domino.* Hic homines tanquam feras, vagabundos subegit, ac collectos politico subjecit regimini, in quem finem civitatem Babylonem extruxit, in quadro ædificatam, ita ut quivis angulus 8. leucas, sive horas haberet in longitudine, adeóque tota urbs in circuitu 32. leucas. Undè eam Aristoteles magis regionem muratam, quàm civitatem nominandam dicit, ob ejus amplitudinem; hanc homines concives habitabant primam civitatem, à civium unitate sic dictam: turris autē ipsa Babylonica 4000. passus in altitudine habuisse scribitur. Posthæc multiplicato hominum numero Assur civitatem Ninive (tempore Jonæ ad trium dierum iter extensam) fundavit. Susa, regia erat civitas Persarum, ineffabili & plùs quàm regio ornatu, ac luxu per Regem Assuerum exculta. Caput totius Asiæ fuit Troia, decennali obsidione, sed propijs flammis illustrior. Iudæorum

Gen. 10. v. 9.

rum, imò civitas magni Regis, erat Jerosolyma, Templi à Salomone extructi majestate famosissima. Destructæ Troiæ successit Roma, orbis caput, ac domina, quam lateritiam inventam, moriturus Augustus, marmoream relinquere sejectavit, ita floridam ac pomposam, ut sepositis omnibus orbis miraculis, Romam in flore maximè se videndam optâsse, Augustinus testetur. Ex quibus omnibus colligi videtur, præeunte Nemrou, ac subsequentibus reliquis monarchis, politica hierarchiâ, atque insignibus civitatibus, pompositque structuris mundum, ex deserto, in novum transplantatum fuisse hortum & paradysum.

Mundus urbibus exornatus.

IV. Sed paulatim, ô Christiane, attollas te in ardui montis verticem, & à terrenis sublevatus, mentis oculis, mundi intra te jacentis faciem speculare, & magnas hasce gentium dominatrices urbes, latronum, & ferarum spelunças deprehendes, spinarum & urticarum horrore formidabiles. *Orientur in domib. eius spinæ, & urticæ, & paliurus in munitionibus eius. Et erit cubile draconum, & pascua struthionum... Onocrotalus, & ericius, & ibis, & corvus habitabunt in ea.*

Hæ urbes spelunca latronum.

Isa. 34. v. 11. & 14

Bone Deus! quales illi tyranni, urbium dominatores erant bubones, & formidandæ noctuæ? quàm pungentes ericij, qui acutâ sua pelle & armis pauperculas ex suis expulêre tugurijs? Quàm fœtidi corvi, non nisi hominum cadaveribus saturati? Quàm venenati, & ira, ac furore accensi dracones? Quàm tremendi struthiones, etiam durum ferrum in stomacho conscientiæ suæ facilè concoquentes? Hæ feræ & cruentæ bestiæ è terra quasi horridū fecerunt desertū, uti de superbo, & crudeli Babyloniorum Rege Balthasaro Isaias loquitur: *Nunquid iste est vir, qui conturbavit terram, qui concussit regna, qui posuit orbem desertum, & urbes eius destruxit.* Nec mirandum de bestiali regis hujus crudelitate, nam sicut fortes creantur fortibus & bonis, uti canit Horatius, sic à cruenta bestia Nabuchodonosore non nisi horrenda, & fera bestia potuit generari. Et quidem de hoc Jeremias: *Percussit eos leo de silva*, nempe Rex Nabuchodonosor, ubi expositores explicant: *Lupus ad vesperam vastavit eos; Pardus vigilans super civitates eorum.* Quamvis aliqui has bestiales qualitates omnes tribuant Nabuchodonosori, Jerosolymam devastanti, & orbem in desertum convertenti, ita ut dicatur leo per ferociam, lupus ob avaritiam, & voracitatem, pardus ob capiendi dexteritatem, & celeritatem; tamen non desunt alii, qui per lupum Persas & Medos, per Pardum autem Alexandrum,

Tyranni & reges bestiæ.

Fecerunt orbem desertum.

Jerem. 5. 6

Nabuchodonosor qualis bestia?

drum Magnum intelligant, licet Doctor Angelicus, & Lyranus per Pardum accipiant Antiochum Epiphanem, bestiali furore in Judæos sævientem.

V. Vidit etiam Daniel Propheta, Dan. 7. 2. quatuor ventos cæli in mari magno invicem pugnantes, *& quatuor bestiæ grandes ascendebant de mari, diversæ inter se.* Prima quasi leæna, alis munita aquilæ, sed tamen evulsis alis hæc bestia quasi de terra sublata est, sed demum iterum super pedes, quasi homo stetit. Leæna hæc sævissima fuit Nabuchodonosor, sub quo prima Monarchia Chaldaica, fuit potentissima; supra homines hic evolare, & divinum sibi arrogare nomen præsumens, evulsis quasi alis humiliatus, ex hominibus, & inter bestias abjectus est: *Et fœnum ut bos comedit, & rore cœli corpus eius infectum est, donec capilli eius in similitudinem aquilarum crescerent, & ungues eius, quasi avium.* Ut totus scil. mundus agnosceret ex hac externa tyranni specie, quàm cruēta fuerit bestia, faciens orbem desertum, urbes destruens, Jerosolymam in cineres redigens, ac totam Palæstinam cum adjacentibus Regnis & Provinciis devastans. Licet finaliter iterum quasi homo steterit, & cor hominis datum sit ei, postquā oculis in cælum levatis, superbiam ac ferocitatem deponere, atque altissimum agnoscere, benedicere, & pœnitere cœpit.

Quatuor Monarchia.

Nabuch: Leo.

Dan. 4. 30.

Ad bestiam ejectus.

Et ecce bestia alia similis ursо, hæc bestia fuit Monarchia Persarum & Medorum. *Et tres ordines erant in ore eius, & in dentibus eius,* nempe tres ordines, seu species carnium & escarum, tria scilicet imperia, Babylonicum, Medicum, & Persicum, quæ sub Cyro in unam coaluerunt Monarchiam. Et huic urso acclamatum fuit: *Surge, comede carnes plurimas.* Quia fera hæc sævissima laceravit Leonem, regem scilicet, & magnates Chaldæorum, & gladius eius devoravit carnes humanas plurimas.

Ursus Cyrus.

Huic bestiæ successit tertia, *quasi Pardus, & alas habebat quasi avis*; sunt, qui Pardum idem cum Panthera animal esse censeant, ferocissimum simul, ac velocissimum, hæc Monarchiam Græcorum sub Alexandro Magno designat, qui instar Pantheræ victoriis velocissimus totum, paucorum annorum spatio, orbem suis subegit armis, & Ursum (Medos scilicet, Persas, ac Babylonios,) detractâ pelle excoriatum discerpsit.

Pardus. Alexander Magnus.

VI. Quartam bestiam quasi nobis terribilitate sua incognitam, certo nomine Propheta non compellat, *Et ecce bestia quarta terribilis, atq; mirabilis, & fortis nimis, dentes ferreos habebat magnos, comedens, atque comminuens, & reliqua pedibus suis conculcans.* Quarta hæc fuit Romanorum Monarchia, quæ sub regibus fundata, sub consulibus

Quarta bestia, Romani.

bus propagata, sub Decemviris ampliata, demum sub Julio Cæsare, & succedentibus sibi Imperatoribus, ac Cæsaribus ex Republica in summam exurrexit Monarchiam. Ferocissima & terribilis fuit hæc bestia, ferreis quasi dentibus, magnis scilicet, ac fortibus exercitibus munita, quibus Reges terræ comminuit, ac carnes humanas insatiabili furore devoravit. Ita, ut de Julio Cæsare solo testetur Busæus, ab eo, in omnibus præliis à se commissis, ad decies centena millia (hoc est, integram millionem hominum,) fuisse occisa, qui eò se majorem inter homines æstimabat, quò majorem hominum numerum instar bestiæ comminuisset, reliqua pedibus suis conculcans. Consumpsit hæc bestia Pardum, Monarchiam Græcorum, & quas de Urso, & Leone invenit reliquias, consumpsit. Quis ergo mundum negaverit malum esse desertum, horribile, & timendum.

Jul: Cæs: occidit. 900000. homines

Busæus medit. 7. de miseria humana.

Et quid posthæc crudelitatis non in orbe terrarum exercuerunt sævissimæ bestiæ, & tyranni? quot cruenta hinc inde prælia? quæ immanitates commissæ? An non Valerianum Imperatorem captum Sapor Persarum rex sibi equum concensuro scabellum, & demum (vivum excoriatum, & in frusta dissectum,) sale fecit condiri? Idem inter Tamberlanem regem Tartarorum, ac Bajazetem Turcarum Imperatorem actum, dū ille non solùm hoc pro scabello pedum usus est, sed etiam tanquam bestiam ferreę caveæ concluſit. Ut alias multas sileam immanitates bestiali furore ab hominibus in homines exercitas, dum tanquam in formidabili, & horribili deserto, homines, Dei cognitione privati, tanquam feræ bestiæ discurrerent.

Valerian. excoriatus.

Bajazetes cavæ inclusus.

VII. *Dei Filius mundum excolit.*

Respexit oculis misericordiæ hunc miserabilem, & horribilem mundi, quasi deserti, statum benignissimus Deus, atque ad excolendum desertum, & à feris bestiis liberandum, proprium Filium suum misit. Hic aratro sacratissimæ Crucis terram prosciſſam, proprio sanguine rigavit, & Evangelicæ doctrinæ semen sparsit, à discipulis suis porrò in toto terrarum orbe disseminandum, eradicatis idololatriæ, & infidelitatis zizaniis. Ad bestias quoque cruentas cicurandas, Apostolos suos misit, *sicut oves in medio luporum.* Luc. 10. 3. *Sic Apostoli agninâ mansuetudine domuerunt lupinam ferocitatem*, ait S. Bonaventura; juxta Isaiæ prophetiam: *Lupus & agnus pascentur simul, leo & bos comedent paleas,.. non nocebunt, neque occident in omni monte sancto meo, dicit Dominus.* Hoc est, (exponit Hugo) *Lupus*, id est ille, *qui prius raptor fuerat & persecutor, ut Paulus; & agnus, qui semper fuit mitis & innocens, ut Animas; pascentur simul, in Ecclesia, cœlesti pabulo. Et leo & bos comedent paleas*, id est, *Princeps sæcularis &*

S. Bonavi. in Lucam hic.

Isa 65. 25

Bestiæ cicuratæ & mansuefactæ. Hug. Card.

tyrannus, & popularis homo pascentur eisdem eloquiis divinis. Vel, secundùm Glossam Interlinearem, *leo & lupus conversi ad fidem*, principes & tyranni non nocebunt agnis & bobus, in omni monte sancto meo, *id est, in tota Ecclesia*, (prosequitur Hugo,) *quod impletum est, quando Reges & Principes, qui prius erant tyranni, & occisores Sanctorum, defensores eorum facti sunt.* Concludit ad hoc propositum Cornelius: *Quia regnabit charitas in Ecclesia, & regno Christi.* prout in actibus Apostolorum legimus: *Credentium erat cor unum, & anima una.*

Cornelius hic.

Act 4.32.

Mundus ex deserto

Sic domitis feris, & gentilitatis spinis eradicatis, pace, sub Constantino Imperatore, Ecclesiæ redditâ, mundus ex horribili deserto, in floridissimum ac fructiferum campum, ac paradysum terrestrem converti visus est, ampliatis semper Ecclesiæ terminis, & ad terræ usque fines productis, dum ambulabant gentes in lumine ejus, & reges in splendore ortûs ejus, *Sic ergo lætabitur deserta, & invia, & exultabit solitudo, & florebit quasi lilium. In cubilibus, ubi priùs dracones habitabant, orietur viror calami, & junci. Non erit ibi leo, & mala bestia non ascendet per eam.* Ut verbo absolvam: *Non occident in omni monte sancto meo.*

Frugifer campus.

Isa. 35 1.

v. 7.

VIII. Sed prô dolor! non diu felix iste Ecclesiæ status duravit, nam dormientibus hominibus, SS. Apostolis in morte, inimicus homo statim disseminare cœpit zizania malarum doctrinarum, & hæresum, inter quas primaria, Ariana, totum pene corrupit orbem. Maximè autem in disseminandis discordiis, dissensionibus & bellis laboravit inimicus homo, quæ vix Constantino Magno è vita sublato inter filios excrevêre, apertis simultatibus, & pugnis se invicem provocantes, stimulante maximè, & imperium conturbante hæresi. Prodiit tunc nova bestia Magnentius, qui occiso Constante imperium sibi usurpans, magno cum exercitu adversus Constantium movit, sed cruento prælio victus ipse, & occisus est.

Zizania hæresum seminata.

Bellorum.

Magnentius primus Christianus, contra Christianos pugnat.

Primus hic aper de silva, & singularis ferus fuit, qui Christianianus cum Christianis signa conferre ausus, fundendi Christiani sanguinis auctor, occidere incepit in monte sancto Ecclesiæ. Sed postea hujus ferocitatem Christiani quique principes imitari nõ veriti, nihil habuêre usitatius, quàm ut leonum, luporum, ursorum, & pardorum instar, in invicem desævientes, non humanum solùm, sed, quòd maximè deplorandum, Christianum sanguinem, tanquam sanguinem ferarum, aut aquam funderent, urbes vastarent, ædes sacras in cineres redigerent, monasteria Deo consecrata, solo æquarent, raperent, & prædarentur substantiam

Iam usitata res est.

tiam pauperum, viduas & pupillos opprimerent; nonne hi immanes magis bestiæ, quàm homines vocandi, qui terram faciunt desertam, comedentes carnes plurimas Christianorum?

Audite principes Jacob, & duces domûs Israël, Ecclesiæ. *Qui violenter tollitis pelles eorum desuper eis, & carnem eorum desuper ossibus eorum. Qui comederunt carnem populi mei, & pellem eorum desuper excoriaverunt, & ossa eorum confregerunt*, &c. Nec minùs illud Davidicum moderno tempore verificatum: *Insidiatur in abscondito, quasi leo in spelunca sua: insidiatur, ut rapiat pauperem, rapere pauperem dum attrahit eum.* Et hoc non tantùm magnates erga pauperes & subditos, sed ipsi etiam plebei contra se invicem exercent, ut deprædentur, & proximum persequantur ut leo, *per violentiam*, & insidientur *per fallaciam*. Nec hospes ab hospite tutus.

Mich. 3. 1

Magnates tam quam fœ. pauperes d. gentium.

Psal. 9. 9. Hug. Cardin. hic.

IX. Dum ergo infelici nostro sæculo orbis Christianus bellis exteris & intestinis, deprædationibus & insidiis plenus est, & homines à summo ad infimum, à juvene usque ad senem, tanquam leones rugientes, & lupi rapaces ad devorandum discurrunt, se invicem lacerant, excoriant, & devorant, quid aliud agnoscere possum cum S. Augustino, quàm iter nos agere in deserto, & esse mundum (etiam Christianum) malum desertum, horribile, & tremendum. Accedit, quòd falsorum dogmatum spinis & dumetis, Machiavellicarum politicarum deceptionibus, & fallaciis, discordiarum, competentiarum, & diffidentiarum vepribus, ita status politicus Romani Imperii, totiúsque orbis Christiani sit confusus, ut instar deserti horridi, invii, & timendi, nulla humanæ manûs, aut ingenii industriâ excoli, à rapacibus feris purgari, à confusionis horrore liberari, & in pristinam Romanæ Monarchiæ felicitatem, ordinem, ac quietem reduci possit. Quò magis consilia agimus, ac diatas indicimus, ut viam securitatis, & tranquillitatis pro Romano Imperio inveniamus, eò plùs, tanquam in labyrintho, intricamur, & involvimur, ubi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat.

Quid ergo mundus, nisi desertum?

Nullus ordo speorandus.

X. Et tamen ex hoc deserto invio, & inquoso, ex horrore vastæ solitudinis egredi non curamus, sed inter bestias & scorpiones diu habitare, nobis exoptatissimum est; amamus desertum, ubi nulla securitas, & negligimus paradysum, ubi verà tranquillitas; Inhæremus deserto, ubi nullum, solatium, parvipendimus cœlum in quo plenum est gaudium. Diligimus mundum, ubi sempiternus est horror; nec aspiramus ad patriam, ubi perfectus est ordo. Conglutinati sumus huic deserto cruentis horrido bestiis, nec cogitamus ad cælum invitantibus

Et tamen in deserto libenter commoramur.

tibus angelis. Quid nobis, Carissimi, cum hoc deserto horribili, & tremendo? Ubi parvo hoc annorum, quibus viximus, spatio tanta vidimus, & experti sumus pericula, & mala animæ æquè ac corporis, spiritualium æquè, ac temporalium bonorum passi jacturam; quin demum lassati tot malis & periculis, huic deserto terga vertimus, & ad promissionis terram, Deo duce, nos convertimus? Quamdiu inter cruentas bestias, quamdiu in horrida confusione detinebimur? *Heu mihi Domine, quia incolatus meus prolongatus est, habitavi cũ habitantibus Cedar!* Prolongatus est incolatus, id est, *hujus sæculi peregrinatio*, ait Hugo, quæ justis propter defectum bonorum, abundantiam malorum, defectum justitiæ, inordinationem & confusionem, periculorum multiplicationem, corporis gravitatem, omnium rerum mutabilitatem, miseriæ multiplicitatem, tentationum assiduitatem, bonæ societatis paucitatem, & malorum multiplicationem, molestissima & gravissima accidere debet.

Egrediamur de deserto.

Ps. 119. 5

Hug. Cardin. hic.

Quare mœndus nobis esse molestus debeat?

Quare emittamus è deserto vocem nostram in cælum, & clamemus ad benignissimum Deum ac Creatorem nostrum, ut nos ex horrore vastæ solitudinis educere & in terram promissionis, ac paradisi cælestis, mediante divina gratia, & misericordia sua, introducere benignissimè dignetur. Amen.

DISC:

DISCURSUS XLIIII.

Res.

Subversum est cor meum in memetipsa. *Thr. Cap. 1. v. 20.*

DE ANIMA.

Desertum horridum, est cor hominis peccatoris, in quo avidè venatur Deus.

FUsis per varia prælia feliciter hostibus, fratres suos hortatus est Judas Machabæus: *Ascendamus nunc mundare sancta, & renovare;* Ut ergo totus exercitus ascendit in montem Sion, *viderunt sanctificationem desertam, & altare prophanatum, & portas exustas, & in atriis virgulta nata sicut in saltu.* Quæ miseranda templi facies horrorem incussit Israëlitis, & tristitiam summam, ita ut in terram prostrati, scissis vestibus, & capitibus cinere conspersis, plangentes, & ejulantes clamarent in cœlum, constitutis postea sacerdotibus, qui sancta mundarent. Sed longè adhuc horribilior Civitatis sanctæ, maximè autem domûs Dei facies erat, in ejus devastatione, & exustione tempore Jeremiæ prophetæ: *Vide Domine, quoniam tribulor, conturbatus est venter meus, subversum est cor meum in memetipsa.* Quæ verba in sensu morali, Glossa intelligit de anima peccatrice, doloribus variis vexatâ, cujus sanctificatio deserta est, id est: *Cor vacuum ab omni bono*, uti Hug. exponit: subversum est cor meum, & in horridum desertum, (exustis portis, & virgultis sicut in saltu natis,) conversum. Plangentes igitur, & pulvere pœnitentiæ conspersi ingrediamur subversum hoc, à peccatis, cor desertum, in illo venemur, ut illud mundemus, & renovemus.

1. 1. Mach. 4. v. 36.

Sanctificatio deserta.

Glossa ord. hic.

Est cor peccatoris.

Hugo in Machab. hic.

Promittitur per Isaiam à Domino, *Vox clamantis in deserto, parate viam Domini.* Hæc vox in deserto, ad literam, fuit Præcur-

Isa. 40. 3.

cursor Domini, qui baptismum pœnitentiæ prædicans in eremo, declaravit se, quòd esset vox clamantis in deserto. Sed ne diutiùs inhæreamus literæ (ait S. Thomas de Villanova) ad ipsum sensum spiritualem, ac moralem progrediamur. Itaque *Desertum hoc, est peccator. Habet deserti conditiones, quia horridus est, & incultus, nullâ fruge commodâ seminatus, generat spinas, & tribulos, sentibus & vepribus densis pravarum cogitationum & desideriorum est obsitus undique, & fit habitatio bestiarum, & silvestrium, & ferarum, serpentium, & scorpionum; sicut ait Isaias: Erit cubile draconum, & pascua struthionum, &c.*

Math 3

S Thom. de Villanov. Dominic. 4. Adv.

Isa. 34. 13

Hoc etiam desertum in illis verbis tangit Propheta regius: *Vox Domini concutientis desertum, & commovebit Dominus desertum Cades.* Id est, vox Domini concutientis *per timorem*, desertum, id est, *hominem infructuosum*, juxta moralem expositionem Hugonis: & commovebit, *ad bonum agendum*, desertum Cades, *cor peccatoris. Et nota, quòd cor peccatoris dicitur desertum propter quatuor scilicet, quia sterile est per otiositatem, incultum per negligentiam, à sera inhabitatum, per monstruosorum peccatorum adinventionem.* Et denique, *quia infructuosis arboribus est consitum, per pravorum morum consuetudinem.*

Psal. 28. 8

Hug. hic.

Cor peccatoris desertum.

Ob 4. causas.

III. Examinemus singula. Primò igitur desertum, est cor peccatoris, quia sterile est per otiositatem: Præsumit subinde nimium de seipsa, anima humana, & jactabunda illis Isaiæ verbis gloriatur: *Non sedebo vidua, & ignorabo sterilitatem.* Sed comminatur illi Deus: *venient tibi hæc duo, subitò in die una: sterilitas, & viduitas; ut non possis de cætero generare filios, id est facere opera, quæ te ducant ad cœlum.* Et viduitas: *ut amittas Christum sponsum.* Sic ergo anima fit vidua, quæ Christo sponso per charitatem conjuncta, erat domina gentium, & Regina; ob sterilitatem, & viduitatem conversa in desertum; Desertum quippe à deserendo dicitur. *Quanta solitudo* (exclamat Thomas de Villanova,) *ubi Deus non est? Quanta sterilitas, ubi pluvia cœlestis non cadit?* Quæ illam montium Gelboë maledictionem à Davide datam contraxit: *Nec ros, nec pluvia veniant super vos.* *Quanta sterilitas, ubi deest calor solis, & cultus spiritus?* Duo hæc sterilitatem faciunt, defectus caloris, qui per solarium radiorum influentiam generatur, & carentia humiditatis ex defectu aquarum, maximè autem pluviarum & roris. Unde per Psaltem Regium suspirans, exclamat anima, *in terra deserta, invia, & inaquosa, sic in sancto apparui tibi.* Licet ipsamet peccatrix anima horum omnium malorum causa sit, & origo, dum ad divinæ gratiæ radios, influxum, & rorem, nobis communicandum, paratissimus semper est Deus, quem tamen nos

1. *Propter sterilitatem,* Isa 47.3

2. Reg. 1. 21.

Hug. Cardin hic.

S. Thom. Villan. cit.

Ob defectum solis,

Et pluviæ.

Psal. 62. 3

obsti-

obstinata malitia repellimus, miseriis nostris, siccitati & sterilitati condolente Deo, nam teste eodem sacro Antistite: *Huic deserto, non cessat Dominus loqui, ut commoveatur, & redeat*; scilicet ad bene agendum, & fructificandum. *Donec sterilis peperit plurimos.* Nam (uti bene observat Cornelius) anima peccatrix, ideoque bonorum operum sterilis, parit plurimos, cum solari divinæ gratiæ calore ac lumine irradiata, ac lachrymis pœnitentiæ rigata, multos fidei, spei, charitatis eleëmosynæ, abstinentiæ, aliarumque virtutum actus producit, ut ipsa de sterilitatis suæ sublevatione admiretur: *Et dices in corde tuo; quis genuit mihi istos? Ego sterilis, & nō pariens transmigrata, & captiva? Et istos, quis enutrivit? Ego destituta & sola: Et isti ubi erant?* At è converso anima justa, quæ bonis operibus abundabat, in peccatum mortale prolapsa, adeò efficitur sterilis, & vidua, ut non modò opera bona, & meritoria non pariat, sed etiam jam parta amittat, superveniente ei una die, sterilitate, & viduitate, ut sit deserta simul, & sterilis. Hanc etiam sterilitatem passus David in anima sua, ingemiscit: *Retribuebant mihi mala pro bonis, sterilitatem animæ meæ.*

1. Reg. 2. v. 5. *Anima justa parit bona opera.*

Isa. 49. v. 21. *Peccatrix est sterilis,*

Et parta amittit,

Psal. 34. v. 12.

IV. Secundò, desertum est cor peccatoris, quia incultum est per negligentiam, de qua rectè Rex sapientissimus: *Per agrum hominis pigri transivi, & per vineam stulti viri: Et ecce totum repleverant urticæ, operuerant superficiem ejus spinæ, & maceria lapidum destructa erat.* Ager aut vinea, quæ à colono negligitur, nec excolitur, non tantùm nullos profert fructus, sed in summam tendit sterilitatem, & solitudinem; totaque silvescit, ut in præteritis vidimus bellis per regiones nostras, ubi ob cultorum, & agricolarum defectum integri agri, & campi ita inhorruerunt, ut excrescentibus non tantùm juniperis, & dumetis, sed etiam justæ magnitudinis abietibus, betulis, imò & quercubus, densissimæ apparuerint silvæ, à feris inhabitatæ, nullis agri, aut campi relictis vestigijs. Quod ergo per agricolarum defectum, aut colonorum negligentiam accidit in agris & campis, idem evenire solet in corde, & conscientia hominis, quam per agrum, & vineam intelligit Lyranns, cui etiam assentitur Glossa Ord. ex S. Gregorio his verbis: *Quam urticæ & spinæ replent, quia in corde negligentiū prurientia terrena desideria, & punctiones pullulant vitiorum*; & quemadmodum ex negligentia coloni facilè maceria vetustate, & tempestatum injuria corruit, ea autem corruente, vinea, & ager ferarum devastationi patet, ac patens destruitur, sic etiam in homine murus & maceria destruitur, & ferarum, (vitiosorum affectuum) motibus & incursibus

Prov. 24. v. 30.

Secundò est desertum, incultum per negligentiam.

Silvescit.

Glossa Otd.

Et corruit.

bus infestatur, *cùm incepta virtutum munimina, vel improbitate hominum deceptus, vel diaboli persuasione, quisque negligens perdit*, ait Glossa. Nec minùs accōmodè ad propositum nostrum septuaginta hunc passum vertunt. *Tanquam ager vir imprudens, & tamquam vinea, homo egens sensu; si dimiseris eum, desertus fiet, & silvescet totus.*

Ager visitandus. Quandoquidem ergo ipsi homines negligentes & insipientes, sibiipsis dimissi ita in corde suo silvescunt, necesse est, ut ipsi Patresfamilias, ac Prælati agrum visitent ac pertranseant, nam (ut loco præfato advertit Glossa) *Per agrum, vineámque pigri transire, est cuiuslibet vitam inspicere negligentis*, dum ergo transeundo, & inspiciendo, spinas, urticas, & zizania exorta, maceriam autem virtutum collapsam deprehendunt, hanc salubribus consilijs, ac doctrinis restaurare, illa verò per correctionem fraternam eradicare debent, ne vinea, & ager totaliter in silvam excrescens, receptaculum fiat bestiarum.

Glossa Ord. *A Prælatis.*

V. Unde etiam Hugo notat, quòd cor peccatoris, est desertum, *quia à feris habitatum, per monstruosorum peccatorum adinventionem.* Viderat Apostolorum Princeps in mentis excessu *vas quoddam, velut linteum magnum, quatuor initijs submitti de cœlo in terram, in quo erant omnia quadrupedia, & serpentia terræ, & volatilia cœli; & facta est vox ad eum: surge Petre, occide, & manduca.* Varij variè hunc scripturæ passum, & figurationem explicant, aliqui per linteum totum terrarum orbem intelligunt, ex quatuor elementis, tanquam initijs compactum, in quo varia animalia, varij sunt hominum status. Vel ipsum etiam hominis peccatoris cor, & conscientiam denotare potest, ita ut per volatilia, peccata superbiæ, per serpentia invidia, & iracundia, per quadrupedia avaritia, gula, & luxuriosa intelligantur.

Act. 10. v. 11. *Tertio. Cor desertum.*

Ob inhabitantes bestias.

Ubi ergo tot bestiæ morantur, quid aliud, quàm desertum esse potest? *Et benedicitur cor desertum* (ait Hugo) *in quo quidem sunt leones superbiæ, gryphes iracundiæ, mures, qui omnia corrodunt, detractionis sive invidiæ, boves sive muli pigritiæ, & porci luxuriæ, ursi gulositatis, vulpes dolositatis, milvi rapacitatis, milvi, qui incarnantur in præda, scilicet tenacitatis.* Uti etiam Isaias commemorat: *Requiescent ibi bestiæ, replebuntur domus eorum draconibus, & habitabunt ibi struthiones, & pilosi saltabunt ibi, & respondebunt ibi ululæ in ædibus suis, & sirenes in delubris voluptatis.* Ad has ergo bestias, ô anima, surge, & occide.

Hugo Card. in Isa. c. 40. v. 2. *Vetat quales bestias.*

Isa. 13. v. 21

Denique desertum est cor peccatoris, *quia infructuosis arboribus est consitum, per pravorum morum consuetudinem*; arbor mala, non potest fructus facere, vel saltem non nisi malos. Quos ergo fru-

Quarto. Cor desertum.

Ob infructuosas arbores pravorum mores S. Thom. Villan. ait.

fructus horridum hoc desertum, cor peccatoris facit? *Denique* (respondet ad propositum nostrum S. Thomas de Villan.) *nullus fructus in eo, nisi glandes porcorum, sed solitudo, siccitas, sterilitas, horror, & pavor*, & fames inter glandes porcorum.

VI. Luc. 15. v. 16.

Deserti hujus infructiferi horrorem expertus fuerat filius ille prodigus, qui è paterna domo recedens, dissipata substantia sua adhæsit uni civium regionis illius, & inter summas famis angustias, pascendis porcis addictus, *cupiebat saltem implere ventrem de siliquis* & glandibus, *quas porci manducabant, & nemo illi dabat*. Pascuntur animæ justæ rore, & manna cœlestis dulcedinis, & consolationis, sed anima peccatrix siliquis, & glandibus porcorum in hoc deserto nutritur, nec tamen impletur.

Exod. 15. 23.

Nec minor sitis quàm famis in hoc deserto supplicium. Egressi è mari rubro Israelitæ, *ambulaverunt tribus diebus per solitudinem, & non inveniebant aquam. Et venerunt in Mara, nec poterant bibere aquas de Mara, eò quòd essent amaræ.* Desertum est cor peccatoris, vel desertum Sur, quod est inaquosum, vel desertum Mara, quod non habet nisi aquas amaras, unde ad hoc desertum optimè quadrat

Ier. 2. v. 6

illud Jeremiæ: *Traduxit nos per desertum, per terram inhabitabilem, & invium, per terram sitis, & imaginem mortis.*

Agar ancillam, una cum puero Ismaele, domo expulerat Abrahamus, modico pane, & utre aquæ scapulæ ejus, viatici loco, impositio. Oberrans ergo Agar in solitudine, *cùm consumpta esset aqua in utre, abiecit puerum subter unam arborem, quæ ibi erat, & abiit. Abraham* (observat hîc Cardinalis à S. Caro) *id est, Deus Pater, filios suos tradidit Christo docendos; sed filios Agar, id est, mundi amatores, tradidit mundo: Mundus autem malè custodit filios suos, quia errat, & ipsi cum eo. Erraverunt in solitudine in inaquoso, viam civitatis habitaculi non invenerunt.* Et dicit *B. Bernardus hoc exponens: Hæc solitudo superborum est, qui se solos reputant, & se solos elevant* &c. Sed & idem de reliquis vitijs intelligendum.

Genes. 21. v. 15.

Hugo Card. hîc. *Agar mundus.*

Psal. 106. v. 4.

Errat cîe suos filios

In hoc ergo deserto, deficiente aqua, fame & siti fatiscentem filium projicit mundus subter unam arborem, *Arbor ista crux est* (ait Hugo) *subter quam cùm miser homo videt, quòd pater suus, mundus, & mater sua, concupiscentiæ, dereliquerunt eum, fugit ad imitationem illius, qui in ea dormivit, & dominus assumit eum, sicut & latronem dextetum assumpsit. Pater meus, & mater mea dereliquerunt me, Dominus autem assumpsit me.* Derelicto puero Ismaeli, & ejulanti, terga verterat Agar, *Exaudivit autem Deus vocem pueri, quia sub arbore crucis clamantes exaudit Dominus. & super aquæ penuria exauditur puer,*

Peccator à mundo sub cruce abiectus.

Psal. 26. v. 11.

Hugo ibidem.

A Deo suscipitur & reficitur.

Iudic 1. Axa insidens asino impetravit à patre irriguum superius. Hoc est (pergit idem expositor) *quòd anima carnis mortificationi insidens, impetrat à Deo aquas devotionis, compunctionis, & etiam aquas spiritualis intelligentiæ.*

VII. Imò antequam ejulans, & flens ad Deum vocem emittat è deserto suo anima peccatrix, jam intonat vox clamantis Dei in deserto, *non cessat Dominus loqui* (ut superiùs Antistes Valentinas insinuavit) *ut commoveatur desertum Cades. Surge, ô peccator* (glossatur Hugo) *tolle puerum, & tene manum illius.*

Vocat Deus è deserto.

Nihil ita periculosum homini, præsertim adhuc puero, quàm in deserto invio, & inaquoso oberrare solum, & obdormire inter feras bestias. Hujusmodi curam non habet mundus, sed errantes in periculis, & obdormientes deserit: Christus autem voce sua excitat, & extra jactum arcus, seu sagittæ non recedit. *Arcus, est divina comminatio*, ait Hugo, qui etiam supra cap. 40. Iſa. addit: *In hoc desertо* (id est, in corde deserto peccatoris) *Dominus tendit arcum, quando futuri judicij pœnam comminatur. Unde Psal. 59. Dedisti metuentibus te significationem, ut fugiant à facie arcus. Ab hoc arcu exit sagitta timoris, faciens in corde vulnus contritionis*, quando scilicet cor peccatoris (desertum Cades) non commovetur, & concutitur à voce Domini suaviter revocantis, timere docetur, & commoveri ab arcu sagittæ vulnerantis. Et siquidem feræ è deserto cordis migrare nolint, ijsque expellendis insufficiens sit peccator, venari eos ipse Dei filius infatigato labore contendit.

Hugo Card. *Tendit arcum comminationis.*

Psallite Domino (jubet Prophe- VIII. Ps 9. v. 12.
ta regius) *Annuntiate inter gentes studia ejus.* Et quænam hæc studia? *Multa* (inquit Hugo Carensis) *fuerunt studia Domini. Primum fuit studium pictoris, formavit enim nos ad imaginem, & similitudinem suam. Magno enim studio, & diligentia formavit nos Deus; unde quasi studens, & deliberans ait: Faciamus hominem.* Hugo Card. *Deus pictor.*

Studuit etiam piscationi, atque hoc studium continuandum exoptans, reliquit post se studentes huic arti, discipulos suos. Insuper præter studium aucupis, pugilis, sophistæ, custodis, maximè etiam studuit Dei filius venationi. Quare Hugo affirmat: *Secundùm studium ejus, fuit Venator.* Venatus est enim nos per se, & per alios. *Venator.*

Avidus erat carnis ferinæ adhuc in summa sua senectute Isaac, quare jam caligantibus oculis, & morti vicinus, vocato ad se filio ait: *Tolle arma tua, & pharetram, & arcum, cumque venatu aliquid apprehenderis, fac mihi inde pulmentum, sicut velle me nosti.* Genes. 27. v. 3.

nosti. Isaac, id est, Deus Pater, dicit hoc Filio: ait Hugo: *Per arcum significatur prædicatio, per pharetram scientia Sacræ Scripturæ, per feras, peccatores. Posthæc mittam eis multos venatores, & venabuntur eos de omni monte, & de omni colle, & de cavernis petrarum. In montibus enim, & collibus & cavernis solent feræ habitare. In monte notatur superbia, in colle lubricum carnis, in caverna petrarum avaritia, propter dolositatem, quæ est in acquirendo, & duritiam in retinendo. Et de his tribus peccatis debent venatores, id est, Prædicatores, extrahere peccatores.*

Hugo ubi suprà. Ierem 16. v. 3. Prædicatores Venatores. Fera peccatores.

Debent enim Prædicatores imitari studium sui Magistri, qui avidissimus fuit, & studiosissimus venationis, adeò ut ad venandum de cœlo in terram descenderit, contestatus in hoc studio animum suum refocillari: ut *ludens in orbe terrarum* venatione homines insequatur, *& deliciæ meæ esse cum filys hominum.* Sed numquid majores cum aulicis suis (ministrantibus, & assistentibus Angelis) habere poterat Dei Filius delicias? Imò verò respondet Cardinalis à S. Caro, *Potiùs sunt ei delitiæ cum filys hominum, quàm cum Angelis, quia de his, quæ aucupio vel venatione, capiuntur, fiunt delicia ciborum, non de domesticis.* Quare avidus hujus ferinæ carnis Dei Filius, surrexit de sinu Patris, & in desertum hujus mundi descendens, assumpsit arcum prædicationis, *& ipse quidem venatione prædicationis, & aucupio crucis cœpit homines*, die ac nocte ex nimio venandi desiderio desertum incolens, & solitudines, ductus etiam à spiritu in desertum.

Christus plus delectatur cū hominibus, Prov. 8. v. 31. Hugo hic Quàm Angelis.

Serius subinde lusus, & periculosum studium est venatio, magnatum sæpe ac heroum sanguine cruentata. Sic Astulphus Longobardorum Rex ab apro miserè prostratus, & occisus est, quod idem nostris temporibus contigit Nicolao Comiti Zerinio. Falco Gallus, Jerosolymorum Rex, lepusculum eques insecutus, ex equo delapsus interijt. Basilius Macedo, Orientis Imperator, à cervo inter venationem confossus perijt. Ludovicus Bavarus Imperator Romanus ursum citato equo insecutus, subita apoplexia tactus, moribundus ex equo decidit. Grimoaldus Longobardorum Rex, dum ad jaculandam columbam arcum tetendit, venam paulò ante incisam, & tenera adhuc cuticula obductam rupit, tantumque effudit sanguinis, ut simul cum isto vitam emitteret.

IX. Majulus dierum Canic. colloq. 21 *Exempla tragica Venationum.*

Actæon (si Poëtis haberi fides potest) nimio venandi studio, ac aviditate in cervum est commutatus, dum se lavantem Dianam, curiosiùs aspexit, & sic

à proprijs suis canibus uti non agnitus, ita discerptus, lugubri voce eos compellavit.

Actæon à propriis canibus discerptus.

Actæon ego sum, Dominum cognoscite vestrum.

Non meliorem in venando sortem, habuerunt venatores Evangelici, Joannes Baptista enim, Venator eximius, & continuus incola deserti, à porco, seu potiùs porca Herodiade occisus est. Apostoli venatores hinc inde à feris, & barbaris tyrannis jugulati lacerati, excoriati. Ipse quoque Dei Filius, arcum suum venaticum fortiter nimis in cruce tendens, ruptis venis, & toto effuso sanguine, cum illo & vitam fudit.

Christus quasi Actæon.

Nec multum me aberraturum credo, si illum non fictum, sed verum Actæonem dixerim, qui ex venandi aviditate in mundi hujus desertum descendens, ex pulcherrimæ Dianæ, animæ humanæ ad imaginem Dei factæ, aspectu, & amore in hinnulum cervorum mutatus fuit: *Similis est dilectus meus, capreæ, hinnulóque cervorum.* Dum scilicet pelle caprina humanæ naturæ, formam Deitatis contexit, & sic à Judæis non agnitus, tamquam à sævissimis canibus laceratus fuit.

Cant. 2. v. 9.

Vestitus pelle humana.

X. Nec tamen, tam sæva per venationem expertus, adhuc à venandi desiderio desistit Dei Filius, sed à mortuis resurgens, adhuc venatur cum suis venatoribus in deserto mundi, & cordis humani; *Vox dilecti mei, ecce iste venit saliens in montibus, transiliens colles,* & quidemad venandum *capite mihi vulpes parvulas, quæ demoliuntur vineam.* Cave ô anima peccatrix fera pessima, ne hanc devites venantium vocem, & arcum, sed ipsa laqueis, telis, & vulneribus occurre, & capientem amplectere, si salutem tuam amas, nam

Cant. 2. v. 8.

Qui capitur vivit, qui fugit ille perit.

Qui capitur vivit

Utique à Christo capi, quàm in horrido mundi deserto instar onagrum vagari diutiùs, nobis consultius est.

Quodsi verò per desertum, ipsum cor peccatoris (uti ab initio dictum) intelligamus, adhuc venatorem agere Christus non gravatur; *in deserto, id est in corde* (ait Hugo) *Dominus enim quasi venator spiritualis clamat in corde per inspirationem, & canes eius venatici, id est, prædicatores per admonitionem.* Hunc venatorem, & canes venaticos ne repellas à deserto cordis tui, ô anima peccatrix, sed eos intromitte in terram desertam, locum horroris, & vastæ solitudinis, unà cum illis scrutare leones superbos, gryphes iracundas, mures mordaces & detractorios, mulos pigros, apros lascivos, ursos gulusos, vulpes dolosas, milvos rapaces &c. Scrutare insequere, surge,

Hugo in Ha. c. 40. cit.

Venatio ferarum in deserto cordis.

surge, & occide, & purga à sordibus bestiarum, desertum cordis tui, ut ejectis hisce feris sancta renoventur, mundentur, & ex cubili draconum & struthionum, domus, & templum Dei mundum efficiatur, quod divina majestas inhabitare desiderat, hîc misericorditer per gratiam, & ibi magnificé per gloriam in omnem æternitatem.

Amen.

DISCURSUS XLV.

Res.

Vide Domine, quoniam tribulor; conturbatus est venter meus, subversum est cor meũ in memetipsa, foris interfecit gladius, & domi mors similis est. *Thren.1.v.20.*

DE ECCLESIA.

Ecclesia olim per vnitatem fidelium ædificata, plangit, se modò per discordiam destrui.

I.

Gen.2.22. *Eva ædificata non formata.*

FOrmaturus Deus Adæ adjutorium simile sibi, tulit unam de costis ejus dormientis, *& ædificavit Dominus Deus costam, quam tulerat de Adam, in mulierem:* Per Evam ex latere dormientis viri formatam, seu ædificatam, in sensu allegorico figurari Ecclesiam, concorditer affirmant Doctores, quæ quasi ex latere obdormientis per mortem, Christi Crucifixi, formata, vel potiùs ædificata fuit. Nam imprimis notatu dignum venit, quòd Deus nõ formâsse, sed ædificâsse ex costa Evam dicitur, sicut enim domus suis constat partibus, & compagibus, tricliniis, & officinis, ita & corpus suis constat membris, & officinis, ad exequendum vel chylum, vel chymum, vel sanguinem, vel spiritus vitales, & animales, &c. Quæ officinæ, nisi sibi invicem correspõdeant consensu sympathetico, tota hominis artificiosa structura corruit. *Figurat Ecclesiam*

Cùm

Cùm ædificata maximè Eva, id est, Ecclesia dicatur, eam in domum Dei construendam docere voluit Deus, ad quam fideles tanquam membra, & tanquã lapides vivi invicem uniendi concurrerent, in suas distribuendi officinas. Sed hæc membra, & officinas non debito sibi invicem ordine, & amore cohærere plangit Ecclesia, *conturbatus est venter meus, subversum est cor meum in memetipsa.* Hugo per ventrem intelligit simplices; Glossa moralis, Prælatos, & divites, per cor, Religiosos. Nec incongruè etiam ventrem, seu ventriculum, qui chylum coquit, intelligi possunt, subditi simplices, qui chylum & nutrimentum labore suo coquunt toti corpori, chymum coquunt ministri, & officiales, sanguinem, in omnes diffundendum venas; Principes ac Magnates, spiritus animales & vitales, Clerici, & Religiosi &c. Sed hæc membra, & officinarum structuram malè sibi cohærere plangit Ecclesia, *conturbatus est venter meus, subversum est cor meum* per discordias, & bella non tam externa, quàm interna, *foris interficit gladius*, scilicet *infidelium ab extra Christianos persequentium, & domi mors, id est, intra Ecclesiam, per guerras Christianorum.* Hæc quidem fidelium conturbatio, est infidelium exultatio, sed summa Matris Ecclesiæ afflictio, quæ sicut ex unitate fidelium citò, & feliciter constructa est, ita ex eorum discordia se dissipandam, gemendo præsumit.

Cuius membra domum Dei constituunt.

Varia in ea officina

Gloss. Moralis. *Foris & intus turbata.*

II. Ad fabricam feliciter prosequendam, & citò absolvendam, summopere conducit, imò necessarium est, ut junctis animis, viribus, ac manibus ad opus concurrant omnes, quorum interest, illique strenuè, indefessè, maximè autem concorditer, insistant. Sic fecerant olim Israelitæ in reparandis urbis & templi sacri ruinis, adhortante, & confortante eos generosè Nehemia: *Vos nostis afflictionem, in qua sumus, quia Ierusalē deserta est & portæ eius consumptæ sunt igni; venite, & ædificemus muros Ierusalem.* Et rursus: *Surgamus, & ædificemus:* Notat Glossa Moralis, quòd hoc *Verbum est Christi ad discipulos, ad ædificationem Ecclesiæ, per prædicationem, & vitam bonam induxerunt eos.* Nam quia vetus Jerusalem, scilicet Judaica Synagoga cum suo Testamento Veteri, adveniente veritate, unà cum umbra, & figuris suis corruisset, nova ædificanda erat Ecclesia, & Jerusalem, quàm se in extasi vidisse testatur Apocalyptica aquila: *Et ego Ioannes, vidi civitatem sanctam Ierusalem, novam descendentem de cœlo* &c.

2. Esd. 2. v. 17.

Glossa Moralis. *Novam Ierusalē ædificat Christus.*

Apoc. 21. v. 2. *Scilicet Ecclesiã.*

Magnam in ædificatione illa contradictionem, & persecutionem passi fuerant Iudæi à gentibus vicinis, qui partim indignando, partim ridendo dixerant: *Quid Iudæi faciunt imbecilles? Nun-*

2. Esd. 4. v. 2.

quid

quid ædificare poterunt lapides de acervis pulveris?.. Ædificent. Si ascenderit vulpes, transiliet murum eorum lapideum. Per gentiles illos Samaritanos, Amonitas, Azotios, Arabes, &c. populo Judaico, novam civitatis fabricam molienti, illudentes, *Designantur Sacerdotes, & Scribæ Christum deridentes in Cruce,* ait Glossa Moralis, *quæ quidem derisio in suos discipulos redundabat; deridebant autem de imbecillitate, dicentes: Vah. qui destruis templum Dei, & in tribus diebus reædificas, &c.* Sed sicut Christo impossibile non fuit reædificare destructum templum corporis sui, sic etiam facilè illi fuit ædificare novam civitatem Jerusalem, Ecclesiam suam, licet contra eam omnes insurgerent Judæi, & gentiles, sicuti de illa ædificatione sua Nehemias commemorat: *Et congregati sunt omnes pariter, ut venirent, & pugnarent contra Jerusalem, & molirentur insidias.* *Nempe contra Ecclesiam primitivam,* uti moralis exponit.

Gloss. moral. — Judæi rident hanc structurã. — v. 8.

III. Attamen sicut generoso operi insistebat populus Israëliticus, qui *unâ manu suâ faciebat opus, & alterâ tenebat gladium. Et ædificabant, & clangebant buccinâ.* Sic etiam in primitiva Ecclesia nihil gentium persecutione territi Apostoli, & fideles, una manu faciebant opus, Ecclesiam ædificando, & alterâ tenebant gladium mortificationis, ædificabant, & clangebant buccinâ, Verbum Dei populis annuntiando. Hoc modo celeritate incredibili erigebatur *Jerusalem, quæ ædificatur ut civitas.* Cujus Jerusalem? (quærit magnum Africæ lumen S. Augustin:) *Non quæ Prophetas occidit, sed quæ constat ex Sanctis, tanquam lapidibus viris.* Quod idem confirmat Glossa Interlinearis: *Non saxorum molibus, sed quæ virtutum soliditate consurgit; & Sanctorum societate, nusquam dissolvenda construitur.*

v. 18. — Ecclesia ædificatur — Pſ. 121. 3. — S. Auguſt. — ut civitas — Gl. Interl.

Hac societate, & unitate ædificabatur Ecclesia; *Multitudinis autem credentium erat cor unum, & anima una.* Quid ergo mirum? *Si magis augebatur credentium in Domino multitudo:* Vnitate enim, concordiâ & pace res parvæ crescunt, & firmantur. Unde maximè de roganda pace mandat Propheta regius: *Rogate, quæ ad pacem sunt Jerusalem: Hîc agitur de statu militantis Ecclesiæ,* ait Glossa moralis, *pro qua rogari jubetur Jerusalem superna; fiat pax in virtute tua,* id est, *Pax in Ecclesia militante.* S. Augustinus exponit: Fiat pax in virtute tua, id est, *Fiat pax in dilectione tua: quia virtus tua, dilectio tua. Audi Cantica canticorum; valida est, sicut mors dilectio. Magnificentiùs exprimi non potuit fortitudo charitatis, quàm ut diceret; valida est sicut mors dilectio. Quis enim resistit morti? Resistitur ignibus, undis, ferro, resistitur regibus; venit una mors, quis ei resistit? Propterea viribus ejus charitas comparata est.* Optatur ergo, & oratur, ut in Jerusalem, militante Ecclesia, fiat

Act. 4. 32. — c. 5. v. 14. — Vnitate & pace crescit. — Gl. mor. — S. Auguſt. hîc in Pſ. Cant. 8. 6. — Charitas fortis ut mors.

pax in virtute tua, *fiat pax in dilectione tua*: Et *per istam virtutem, per istam dilectionem* (ait S. Augustinus) *per istam pacem, fiat abundantia in turribus tuis*, augeatur, crescat, extruatur, erigatur, ædificetur & firmetur Ierusalem, Ecclesia Dei, ut civitas, in pace, in unitate, in dilectione.

IV. *Hæc eludit omnes insultus.*

In ista virtute, quæ fortis est, ut mors, ignem tribulationis, undas persecutionis, ferrum tormentorum, minas potestatum, crudelitates Regum, & omnes gentilium, Iudæorum ac hæreticorum arietes superavit Ecclesia Dei, & per pacem, & virtutem dilectionis fortis, ut mors, effecta, prostravit Reges, ac Principes, *ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis, ad alligandos Reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis.* Nam fortis ut mors dilectio, pax, & unitas, insuperabilem fecit Ecclesiam. Ut murus, & structura fortis sit, etiam cæmento, ex tenaci materia præparato, lapides jungantur, & cohæreant, necesse est; nam lapides quantumvis grandes, quadrati & politi, sine cæmento, siccum tantùm, & instabilem constituunt murum, facili labore dejiciendum. Cæmentum spirituali Ecclesiæ structuræ, & jungendis vivis lapidibus Christus pacem, & unitatem, seu dilectionem mutuam constituit, *hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem.* Et iterum: *pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis.* Hoc dilectionis, & pacis cæmentum Dei Filius proprio temperavit sanguine, quò tenaciùs vivi lapides hoc invicem conglutinarentur, ita ut nec portæ inferi adversus hanc structuram, novæ Ierusalem, ædificatæ, civitatis instar, prævalere possent.

Ps. 149. 8.

Cæmentum forte, est charitas & pax.

Ioan. 15. 11.

Ioan. 14. 27.

V. *Hoc dissidente.*

Sed, quia paulatim cæmentum hoc dilectionis & pacis decidere, & charitas multorum refrigescere cœpit, foris bella, intus exortæ seditiones, magnam murorum ac turrium partem, amplas provincias, & regna destruxerunt, & dum foris gladius, intus mors similis illi, grassabatur, privatio scilicet charitatis, & unionis, ac separatio animorum, hinc *Dispersi sunt lapides sanctuarii in capite omnium platearum.* Ita ut per ruinas murorum ascendere vulpes, & irrumpere feræ facilè potuerint. Lapides vivi, quadri, & fortes, fuerant Christiani in Imperio Orientali, turris munita Ecclesiæ fuerat Patriarchalis Sedes Constantinopolitana, turris eminentissima Palæstina, à tot viris sanctis inhabitata, murus insuperabilis Ægyptus, tot Ascetarum famosa sanctitate celebris, munimentum forte Ecclesiæ erat Græcia, tot sanctorum Patrum, & Doctorum propugnaculis insignitum, sed dispersi sunt lapides sanctuarij, in capite omnium platearum, & vix rudera harum turrium, murorum, ac munimentorum

Thr. 4. 1.

Dispersi sunt lapides Sanctuarii.

rum

tum Ecclesiæ licèt cernere. Et quisnam hæc omnia devastavit, non aries, non gladius, non robur exercitus, non barbarorum ferocia, non hostium immensus numerus, structuræ hujus fortitudinem dejicere potuisset, si firmiter sibi invicem charitatis, & unitatis cemento lapides cohæsissent, sed per simultates, animorum alienationes, & discordias ab invicem dissoluti, disperiisunt in capite omnium platearum. Discordia fecit, charissimi fratres, fecit discordia, ut tot Christiani orbis provinciæ & regna ab invicem dividerentur, divisa perirent. *Hæc enim humanarum rerum necessitas* (ait præclarè Emmanuel) *sociata augeri, aucta dividi, divisa perire.* In primitiva Ecclesia, quia animi erant uniti, & sociati, quia multitudinis credentium erat cor unum, & anima una, augebatur credentium in Domino multitudo, quia sociata augentur. Sed meritò altis suspirijs ingemiscens exclamat Doctor meus Seraphicus: *O quàm dissimilis est nunc multitudo credentium, quorum non est cor unum,* sed planè diversum per discordiam, nam, teste Antonio nostro Paduano, *Discordia dicta, id est, diversa corda, discordare est habere cor diversum,* & subinfert rursus Doctor Seraphicus: *Tales enim Christiani nominantur, bene ergo sunt nomine, non corde.* Quia scilicet non corde, sed nomine tantùm sunt conjuncti, *sicut vulpes Samsonis, conjunctæ caudis, sunt bis divisæ erant,* ut idem Seraphicus scribit. At licet subinde faucibus sint conjuncti Christiani, maximè proceres, & magnates, corde tamen divisi sunt. Et quid inde? *Divisum est cor eorum* (infert Osee) *nunc interibunt. Hæc enim est humanarum rerum necessitas, sociata augeri, aucta dividi, divisa perire.*

Osee 10. v. 2.

Dicat subinde Ratio politica, & interesse proprium, ut pro temporum conjunctura ad conservationem individui, interesse specificum seponatur, & non attenta totius corporis, aliorumque membrorum conservatione, unum membrum ab aliorum consilijs, & communitate divisum privatæ consulat utilitati; sed mentitur iniquitas sibi, dum enim destruitur totum, etiam partes interire necesse est, & languente toto corpore, aut principaliorib. saltem membris consumptis, etiam de privata cujuslibet membri salute conclamatum est, necesse est enim divisa perire.

VI.

Quærens per scissionem interesse proprium,

Cum reliquis perit.

Refert Titus Livius, tumultuosam plebem Romanam (eò quòd minùs utilitatis suæ curæ esse senatui suspicaretur) ex urbe in sacrum montem excessisse, sæva omnia Patribus conscriptis minitantem, ad quam delegatus Menenius Agrippa, periculosam illorum, sub utilitatis privatæ spe & prætextu factam, scissionem, atque separationem, hoc,

Livius dec. 1. l. 2. *Apologus d. stomacho.*

Dissensio dividit.

Emmanuel Thesaurus in elogiis de Abraham *Et destruit.*

S. Bonav. serm. 1. Dom. 4. pentec.

S. Anton. Domin. Passionis. *Christiani nomine, non corde conjuncti.*

licet simplici, apologo luculenter expositit. *Ferunt indignatæ reliquas partes, suâ curâ, suo labore, ac ministerio ventri omnia quæri, ventrem in medio quietum, nihil aliud quàm datis voluptatibus frui; conspirâsse inde, ne manus ad os cibum ferrent, nec os acciperet datum, nec dentes conficerent. Hac irâ dum ventrem fame domare vellent, ipsa unà membra, totúmque corpus ad extremam tabem venisse; inde apparuisse, ventris quoq; haud segne ministerium esse, nec magis ali, quàm alere eum, reddentem in omnes corporis partes, hunc, quo vivimus, vigemúsque, divisum pariter in venas maturum confecto cibo sanguinem. Comparando hinc, quàm intestina corporis seditio simili esset iræ plebis in Patres, flexisse mentes hominum*, asserit Titus Livius. *Agi deinde Concordia cœptum.* Dum scilicet agnovit ex brevi, & solida Menenij oratione plebs Romana, nullam sive in publicum, sive in privatum odium scissionem fieri posse, quin ea in propriam etiam redundet ruinam: impossibile quippe est, divisa non perire.

Et alijs membris.

VII. *Navis divisa,*

Navis quamdiu partibus sibi bene connexis, ac bitumine solidè linitis constat, nullis exurgentium undarum procellis mergitur, at navis quantumvis magna, si scissuras patiatur, & divisiones, extremo patet interitus periculo. Hinc scissionum, ac discordiarum periculum, optimè expressit ille, qui navi per scissuras læsæ, hæc apposuit verba: *divisa mergitur*, quæ bene compaginata nullum, quod timeat, habet periculum. *Mergitur*

Terram diluvio deleturus iratus Deus, ad salvandas singulas animalium species, unicámque justi Noe familiam, mandavit isti, ut Arcam sibi fabricaret de lignis levigatis, id est, dolatis, & perpolitis, tum ad arctiorem, & aptiorem compagem, tum ad elegantiam, tum ut commodiùs illinirentur bitumine, uti observat Cornelius, quod expressè præcepit Deus, *Et bitumine linies intrinsecus, & extrinsecus.* Mystice exponit hunc locum de Ecclesia Hugo Cardinalis: *Fac tibi Arcam, verba sunt Patris ad Filium, præcipientis, ut ædificet sibi Arcam, id est, Ecclesiam.* Et hanc quidem bitumine linies intrinsecus, & extrinsecus, *Bitumen, quod est gluten indissolubile, significat charitatem Ecclesiæ.* Quamdiu Arca Ecclesiæ hoc charitatis & unitatis bitumine fuit linita, inter omnes adversitatum procellas, gentium, Judæorum, & hæreticorum insultus stetit imperterrita, & infracta, sicut enim navis bene compacta, & bitumine illita nullo aquarum impetu mergitur, sic *Aquæ multæ* (tribulationum & persecutionum) *non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam*, nempe charitatem, & quamdiu hæc stabit immobilis, etiam insuperabilis permanebit Ec-

Genes. 6. v. 14.

Arca Noe

Linitabi tumine.

Hugo hic.

Est Ecclesia.

Linita charitate, & unitate.

Cant. 8. 7.

Ecclesia, aquæ multæ, imò nec portæ inferni prævalebūt adversus eam, sed compage, & bitumine charitatis soluto, *divisa mergitur.* Non quòd Ecclesia universalis vel mergi, vel perire omnino possit, sed bene partes divisæ, & Ecclesiæ particulares, per discordiam & scissionem ab Ecclesia universali justo Dei judicio, separandæ, & mergendæ. Unde Orientale totum Imperium ab Ecclesia Catholica penitus abscissum in Saracenorum manus devenit? Divisum mergitur, ob internas scissiones, & ipsas Christianorum discordias, qui urbem Constantinopolitanam è faucibus immanis Turcici Cerberi eripere neglexerunt, ipsi inter se divisi. Quis Cyprum, quis majorem partem Hungariæ, quis novissimè Candiam, quis magnam partem Podaliæ, & Poloniæ, Turcarum potentiæ subjecit? Discordia tam intestina ipsorum regnorum, quàm aliorum principum Christianorum, ob simultates succursum denegantium: Quæ causa, quòd hodiéque Romanum Imperium, & Germaniæ nostræ insuperabilis potentia ita profundè mergitur, & pene submergitur? Discordia. *Divisa mergitur.* Hæc enim humanarum rerum necessitas: *Divisa perire.* Infallibilis enim est consequentia: *Divisum est cor eorum, Ergo, nunc interibunt.* Iam actum est: facta divisione, & scissione, perire necesse est.

Divisa mergitur.

Discordia regnorum ruina.

Unde cùm Discordia ad interitum, & damnum, non tam privatum, quàm publicum Ecclesiæ vergat, non mirum, quòd summè Deus eam abominetur. Obtulit corpus suū sponte tortoribus flagellandum, & vulnerandum, Vnigenitus Dei Filius, neque ullum à verberibus, & dolorosis plagis membrum totius corporis esse immune voluit, & flagellis, & spinis, & clavis, & lanceæ totum se exponens, ita ut neq; sanguinis gutta in corpore remanserit, quàm pro salute nostra non effuderit, etiam reliquum illud sanguinis, quod in cordis ærario reconditum habebat, lanceâ hauriendum volens. Interim tamen non exiguâ admiratione dignum est, quòd Dei Filius ullum à se invicem separàndum membrum, imò nec os comminuendum caverit: *Os non comminuetis ex eo.* Ioan. 6. v. 36. VIII.

Tunicam Christus noluit scindi.

Imò neque admittere sustinuit, ut tunica sua inconsutilis, desuper contexta per totum, inter milites scissa divideretur, sed quid tanta Dei Filio de tunica sua cura? Nempe ob singulare mysterium, & doctrinam, indivisum esse voluit Christus tunicam suam inconsutilem, *Hoc unitatis Sacramentum, hoc vinculum concordiæ*, asserit S. Cyprianus; Tunica enim incon-

Quia denotabat concordiam.

S. Cyprianus.

sutilis, & vestis Christi est Unitas, Concordia, & Charitas, uti bene etiam advertit meus Seraphicus, qui etiam bene considerandum monet, quòd *Aliæ vestes sunt vel de velleribus animalium, vel vestis lanea; vel de corticibus herbarum, ut vestis linea; vel de visceribus vermium, vel vestis serica: Vestis autem charitatis fit ex gratia Spiritûs sancti, & de visceribus Christi: Unde significanter dicit Apostolus: Induimini Dominum nostrum IESUM Christum.* Quæ quidem à quò de Charitate Dei, ac proximi intelligi possunt, quam lacerari & scindi severissimè prohibet Deus. Aliter, & congruè ad intentionem nostram Magnus Athanasius: *Fideles Christi sunt vestes, propter hoc noluit vestem dividi, quia super omnia voluit pacem & unitatem conservari.* Idem docet S. Augustinus sermone in festo Ascensionis.

Factum ex visceribus Christi.

S. Bona. dict. tit. 5. c. 2.

Rom. 1.

S. Athanasius. *Fideles sunt vestes Christi.*

IX. *Discordia dividit vestes*

Eâdem ratione, quia per corpus Christi Ecclesia, per membra autem fideles (quorum Caput Christus est) significantur, ideò os in corpore suo confringi, aut membra à membro divelli non est passus. Hinc pessimum illorum, & Deo maximè exosum crimen infert Doctor Seraphicus, scissionem fraternæ charitatis, & rupturam concordiæ: *Ecclesia* (inquit ille) *scinditur, quæ est Tunica Domini inconsutilis; unde rancorosi peiores videntur Crucifixoribus, qui dixerunt: Non scindamus eam.* Sed pergit ulteriùs argumentari Seraphicus: *Imò non solùm tunicam, sed & membra Corporis Christi scindunt, quod Crucifixores non fecerunt; vides ergo, quam periculosum sit odium fraternum*, scissio charitatis, & concordiæ, per quàm non solùm Tunica, sed ipsum Corpus Christi, Ecclesia scilicet scinditur, & destruitur.

S. Bonav. serm 2. Dom. 23. Trinit.

Et membra Christi.

Quare seriò pro conservanda Ecclesiæ integritate, ac quiete monet Apostolus: *Obsecro itaque vos ego vinctus in Domino, ut dignè ambuletis vocatione, qua vocati estis, solliciti servare unitatem spiritûs in vinculo pacis.* Addit que efficax motivum. *Unum corpus, & unus spiritus, sicut vocati estis in una spe vocationis vestræ*, ac si diceret, cùm in unum corpus, & quasi ad unum spiritum vocati sitis, etiam spiritum unitatis habere necesse est. Concludit etiam pacis & unitatis adhortationem alio motivo Doctor gentium: *Unus Dominus, una fides, unum baptisma. Cùm ergo* (glossatur Cornelius) *unum omnes habeamus Dominum, unam fidem, unum baptisma, quid restat, nisi ut tot vinculis colligati, imò uniti, amemus, colamus, & servemus hanc spiritûs unitatem?* Per quam & Ecclesiam, & nosmetipsos conservabimus.

Vnitas nobis servanda. Ephes. 4. v. 1. *Quia sumus unū corpus.* *Sub uno Domino.* Cornelius hic. *Sub una fide.*

Carbones igniti invicem juncti seipsos in calore vivos conservant, disjuncti emoriuntur: Unde bene de his: *Extinguimur, si di-*

Carbones distincti, extinguuntur.

si distinguimur. Sic & fideles quamdiu sollicitè conservant unitatem pacis, etiam ferventem, & ignitum Dei spiritum in se conservant, sed divisi extinguuntur, & emoriuntur. Extinguimur, si distinguimur; Ne ergo extinguamur, non distinguamur, sed in unum spiritum, & in unum corpus vocati, etiam in unitate, & pace colligati maneamus, ut tanquam commembra Christi, & concives terrestris Jerusalem, quæ ædificatur ut civitas, etiam ad illam, quæ superiùs est Jerusalem pervenire, ibíque Deum de facie ad faciem aspiciendo, securâ pacis æternæ visione gaudere mereamur. Amen.

DISCUR-

DISCURSUS XLVI.

Res.

Quoniam amaritudine plena sum; foris interfecit gladius, & domi mors similis est. *Thr. c. 1. v. 20.*

DE ANIMA.

Amaritudo, & angustia mortis, quæ peccatricem animam è corpore egressuram premunt, per amaram, & dolorosam Christi mortem mitigantur. Annectuntur quædam pia exercitia pro felici morte.

AMaritudine utiq; plena fuit Ieroſolyma, ſive intra, ſive extra muros, vel domos ſuas, oculos conjiceret: nam foris in plateis, vel extra Ieruſalem interfecit gladius omnes, qui extra mœnia inveniebantur, & domi, intra civitatem, mors ſimilis eſt, quia aliqui moriebantur fame, aliqui gladio, & aliqui lapidibus per machinas injectis, aut etiam terrore, quo mortem, & gladium Chaldæorum irrumpentium in horas expectabant. Uti paſſim ſcripturales exponunt.

I. *Angustia peccatoris morientis.*

Ad moralē, & tropologicum ſenſum ſe demum convertit Cornelius: *Sic tropologicè peccator, foris flagellis divinis, intus pavore damnationis concutitur, & magis concutietur in morte, iturus ad iudicium.* Tantæ ſunt hæ animæ peccatricis à corpore per mortem ſeparandæ, amaritudines, ut cum afflicto Ezechia Rege ex intimis gemebunda viſceribus exclamare videatur: *Ecce amaritudo mea amariſſima*, nempe (uti Lyranus exponit) *Amaritudo mortis mihi imminentis*, amariſſima, maximè cùm foris, gladius judicii ſeveriſſimi excipiat. Ad conſolandas tamen animas peccatrices amaritudine mortis plenas in præſenti exponam, qualiter mortem per ſe amariſſimā, Chriſtus morte ſua pretioſiſſima mitigatam, etiam dulcem, & conſolatoriam nobis efficiat.

Corn. hîc.

Iſa 38.17.

Mortis amaritudo amariſſima.

Gene-

II. *Christus provocavit mortem,*

Generoso animo ad duellum mortem provocaturus Dei Filius, & campum certaminis, & arma, ab æterno sibi delegit, palam attestatus, desiderio se desiderare destinatum indicto certamini diem. Cùm tamen post cœnam extra urbem cum selectis suis discipulis egressus in montem Oliveti, hunc primo congressui, ac certamini destinatum locum, hostisque tremendi adventum contemplaretur, impressa animo suo profundissimè cruenti certaminis imagine, *Cœpit pavere, & tædere, & mœstus esse*, tanto intrinsecus tremendo mortis concussus horrore, qui sanguineum etiam ipsi expressit sudorem; *& factus est sudor eius, sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram.*

Imminentem exhorruit.

Luc. 22. 44.

Sed ne hisce angustijs, tædio, pavore, mœstitia, ac sudore sanguineo fractam Christi generositatem opinemur, quod enim cum morte confligendi desiderium, & animum ab incunabulis suis concepit, ad extremum usque halitum constanter, & fortiter tenuit. Quòd autem pavere, tædere, mœstus esse, & sanguineum effundere sudorem cœpit, in nostram actum fuit utilitatem, & gratiam, *Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit.* Septuaginta vertunt: *Ipse peccata nostra portat, & pro nobis dolet.* Sicut enim sanguisuga ægro corpori admota, sanguinem malignum in se atrahit, ad evacuandum malignitate corpus infirmi, sic quasi Christus malignitatem reatus à nobis extrahens, eam in se susceptit, peccata, infirmitates, languores, ipsamque mortis amaritissimam amaritudinem ipse portavit, ad sublevandum nos. Optimè insinuat hoc S. Bernardus: *Quid magnum fuerat Domine Jesu, si accedente hora, propter quam venieras, intrepidus stares? tanquam qui potestatem haberes ponendi animam tuam, & nemo eam tollebat à te. An non longè glorioſius fuit, quandoquidem totum propter nos agebatur, ut non modo passio corporis, sed & cordis affectio pro nobis faceret? Et quos vivificabat mors tua, tua nihilominus & trepidatio robustos, & mœstitia lætos, & tædium alacres, & turbatio quietos faceret, & desolatio consolatos.* Dum enim mœstus & pavidus ad Patrem clamat Dei Filius, ex nostra hoc magis persona, & ad nostram hæc gesta fuisse confortationem paulò superiùs idem mellifluus advertit. *Agnosco planè in duce belli, pusillanimorum trepidationem, agnosco ægroti vocem in medico, agnosco infirmantem gallinam cum pullis*, qui sua trepidatione nobis cõferre robur, desolatione impertiri consolationem, & sua amaritudine nobis mortis amaritudinem dulcem facere festinat.

amaritudinẽ mortis,

Isa. 53. 4.

sicut sanguisuga à nobis extraxit.

S. Bernar. serm. 1. de S. Andrea.

III. *Cortices amari pomorum aureorũ dulcorantur saccaro.*

Experientia monstrat cortices aureorum (ut vocant) pomorum ita esse amaros, ut non solum linguam & palatum sua amaritudine molestent, sed etiam manus &

gitos eadem amaritudine inficiant. Sic etiam rosæ innata sua aliquantula amaritudine & arida siccitate, sicut odori gratæ, ita sapori sunt ingratæ & insipidæ. Has tamen gustui inamœnas rosas, & amara poma aurea, speciales sive pigmentarij tam artificiosa dexteritate norunt saccaro condire, ut & cortex totus pomi aurei, & folia rosarum ita saccarum liquefactum, & calefactum imbibant, & penetrentur dulci illo liquore, ut tota quasi in illum transformata, æque salubria stomacho, ac amœna, & delicata gustui reddantur.

sic mors nostra, morte Christi.

Haud secus mortis angustia, pavores, & amaritudines humano generi erant tædiosissimæ, & tremendissimæ, amaritudo mea (mortis mihi imminentis) amarissima: sed postquam Dei Filius, tædio, mæstitia, pavore, & desolatione sua hanc mortis amaritudinem extraxit, & in se attraxit, pretiosissimi interim sanguinis, passionis ac mortis suæ commixtione eam contemperavit, ita mortem amœnam, dulcem, & gustosam effecit, ut certatim ad eam sancti Martyres tanquam delicatissimas epulas concurrerent, nunquam se ita splendidè epulatos fuisse contestati. Hanc morti dulcedinem morte sua pretiosissima, & dulcissima dedit Filius Dei, alias de se utique amarissimæ, & horrendæ.

Martyres ad mortē, tanquam ad epulas cucurrerunt.

Mortem, tremendum hominibus tormentum esse, & crucem, negare non potest Doctor mellifluus: *Vide, quomodo mors te crucifigit? Crura distenduntur, manus & brachia decidunt, pectus anhelat, cervix langueſcit, labia spumant, oculi stupescunt, vultus horrescit, facies exsudat, & morte tacta palleſcit; Et hæc utique, quæ videmus deforis, & quæ sentimus, levia sunt ad ea, quæ intus anima miserabilis iam deguſtat.* Nam domi, intus mors similis, imò multò amarior animæ est. Sed quomodo horrendæ hujus crucis amaritudo, animæ eam deguſtanti tremenda, aut moderari, aut dulcorari potest?

S. Bern. serm. de villico iniquit.

Mors hominē crucifigit.

Narrant sacræ paginæ, populum Israëliticum ex deserto Sur devenisse in Mara: *Nec poterant bibere aquas de mara, eò quòd essent amaræ, unde congruum loco nomen impoſuit, vocans illud Mara, id est, amaritudinem.* murmurante ergo populo contra Moysen, iste solitum suum refugium sumpsit ad Dominum, clamando ad eum, *qui ostendit ei lignum, quod cùm misisset in aquas, in dulcedinem versæ sunt.* Adduxit nos Pater noster protoplastes in terram Mara, in amaritudinem mortis, quæ merito Mara, id est amara, & amaritudo amarissima dicitur.

IV. Exod. 15. 23.

Aquæ mara.

per lignū dulces fiunt.

Legimus in Regum historia, mandasse Elisæum Prophetam filijs Prophetarum, magna famis instante necessitate, colligendas in agro herbas, in pulmentum coquendas, unus autem illorum

4. Reg. 4. 38.

vene-

Pulmentum olla, venenosas, & amaras, inter alias herbas, collectas colocynthidas ollæ injecit, quibus amarum redditum fuit pulmentum, ut desolati filij lachrymosa voce ad Prophetam exclamare inciperent: *Mors in olla, Vir Dei.* Sed modica farina pulmento injecta, *non fuit amplius quicquam amaritudinis in olla.*

v. 40. per farinam.

Sunt quidem, qui existiment tam farinam in olla, quàm lignum in aqua, naturalem dulcorandi habuisse facultatem, atque virtutem, quod indigitare videtur Ecclesiasticus: *Altissimus creavit de terra medicinam: nonne à ligno indulcata est aqua amara?* Licet aliqui apud Lyranum judicaverint quòd lignum istud de natura sua erat amarum, & sic fuit ibi majus miraculum, in quantùm per ejus (licet amari) immissionem, dulcoratæ sunt aquæ; & factæ potabiles.

Eccl. 38. v. 4.

An naturaliter?

Sed quicquid de hoc sit, sive naturali, sive supernaturali virtute lignum istud dulcorandi vim habuerit, mihi sufficiat, quòd Glossa Moralis asserit: *Per lignum autem intelligitur crux, id est Passio Christi, quæ si mittatur per fidem charitate formatam in cor hominis repletum aquis tribulationis, vertit illas in dulcedinem, per virtutem patientiæ, & spem retributionis æternæ.* At quænam aquæ tribulationis magis amaræ, & sua amaritudine intima cordis, & animæ replentes, quàm ipsa amaritudo mortis, de qua conquerens Dei Filius apud regium Prophetam exclamat: *Salvum me fac Deus, quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam.* Hoc dicendo (ait Ordinaria) *in se transformat membra, quibus amarus est transitus mortis.* Hanc autem in se deglutivit Christus, & amaras mortis aquas, sua cruce, passione, & sanguine dulces fecit.

Glossa Moralis. Lignum est Crux, seu Passio Christi.

Psal. 68. v. 1.

Qua dulcia, cena facit mortem.

Eadem ratione ollam mortis venenati & vetiti fructus collectione amaricatam, granum frumenti purissimum, Christus Iesus, in passione sua contritum, dulcoravit, horruerant prius hanc ollam etiam viri alias generosi, & insignes, ut Moyses, David, & Helias, qui mortem in olla persecutionis sibi paratam animadvertentes, fuga vitæ suæ cõsuluerunt, *Mors in olla.* Quam tamen Christi passione dulcoratam avidissimè esurierunt Martyres Christiani, etiam tenerrimæ, & nobilissimæ virgines, ut illi tanquam obsoniis avidissimè inhiarent, & aquam mortis, Christi cruce sanatam, tanquam nectar dulcissimum plenis buccis hauriret, ipsis obstupescentibus tyrannis.

V. Olla mors

Dulcorata per Christũ, granum frumenti.

Unicornium, puritatem & virginitatem maximè amans, quod etiam in sinu virginis omnem deponit iracundiam, cùm torrentem, vel lacunam bibiturum ingreditur, cornu priùs in aquas immergendo, eas ab omni malignitate,

Vnicornũ aquas purificat cornu.

tate, & veneno purificat, hinc de illo: *noxia pellit.* Unicornij titulo gloriari videtur Dei Filius: *Dilectus, quemadmodum filius unicornium.* Hic operatione sancti Spiritus in utero virginis conceptus, in eo omnem iræ, ac vindictæ ardorem deposuit, & aquas mortis, venenatas omninò, & amaras à se contactas, & per cornu sanctæ Crucis sanatas, potabiles eas, salubres, ac dulces effecit: *Noxia pellit*, ut nemo jam sapiens, ac sacratissimæ Passionis Dominicæ memor, mortem aut nocivam, aut tremendam esse, asserere præsumat.

Pſal. 28. v. 6.

Sic Christus cornu crucis.

Apis fert in ore mel

Nemo est, qui mirabilem Creatoris sapientiam in apibus non admiretur; quid enim eorum regimine, ordine, & opificio mirabilius unquam natura, vel potiùs ipse auctor naturæ, produxit? Mel, quod ex floribus artificioso labore colligunt Apes, quivis colligendo certaret, nisi illæ, quæ ore portant dulcedinem, simul etiam sævo minarentur aculeo. Apis, est Mors, ex cuius solius ore nobis æternæ beatitudinis dulcedo præparatur, nec sine morte prævia aquiri potest: hujus mellis dulcedinem, nemo est, qui non appetat: sed quoniam Mors pungentem, & venenatum gerebat aculeum, omnes eam horrebant mortales.

In cauda aculeum.

VI. *Mors apis*

Sed quemadmodum apis, cùm semel alicubi aculeum suum fortiter infixit, infixum, & vulnerato inhærentem corpori amittit, eoque amisso, ut aiunt, emoritur. Sic mors aculeum suum Dei Filio infigens, fatalem sibi ipsi victoriam tulit, nam Dei Filiũ venenato, mors petens aculeo, ita fortiter fixit, ut pavere, tædere, & mœstus esse cæperit, ac proinde aculeus fortiter infixus Christi Corpori sacratissimo inhæsit, sic amisso, mors aculeo devicta: *O mors, ero mors tua, morsus tuus ero inferne.*

Amisit aculeum.

Oseæ 13. v. 14.

Sed si tot millionibus hominum impunè aculeum mors infixit, cur eum in solo Filij Dei Corpore infixum amisit? Notum est, aculeum ab Ape in corpus mortuum, infixum, non inhærere, hoc enim calore, & mollitie privatum, aculeum non tam tenaciter capit, sicut corpus vivum. Mors suo aculeo omnes filios Adæ configens, non nisi mortua offendit corpora, nam *corpus quidem mortuum est, propter peccatum*, testatur Apostolus, omnia ergo emortua (per peccatum originale, aut etiam actuale) corpora hominum impunè mors venenato suo confixit aculeo, sed cùm virgineum etiam, vivum non solùm, sed etiam vivificans Dei Filij Corpus contigisset, ita quidem fortiter infixit, ut in ipsum omnem suum effundens horrorem, & venenum, pavere, & timere fecerit, sed pro nostra utilitate, & consolatione, ibi hærentem mors aculeum amisit, cui insultans

In vino à peccatis, corpore Christi.

Rom. 8. v. 10.

Morti tam sola remanet dulcedo.

1. Corint. 15. v. 55. tans exclamat Apostolus: *Ubi est mors victoria tua? ubi est mors stimulus tuus?* Nonne hunc vivo Dei Filij Corpori infixum amisisti? Ut morti, tanquam Api, sublato aculeo, nihil jam venenatum, & horribile, sed sola remaneat mellis dulcedo.

VII. *Nunquid adhuc mors amara?*

Non deerit fortè, qui objiciat, esse has subtiles quidem, & pias ac devotas speculationes, aliter autem longè nos à praxi, & ipsa experientia discere, dum mortis amaritudinem amarissimam cum maximis suis angustijs, horrido sudore & tremore hodieque experiantur moribundi. Respondeo ad hanc objectionem, non esse ipsam, solamque præcisè mortem, quæ talem amaritudinem, & angustiam causet, si enim hæc amaritudo esset morti essentialis, vel saltem proprium quarto modo, omni, soli, & semper morti conveniret, cùm tamen pretiosa sanctorum, præsertim Martyrum, mors nil tale experiatur, sed summas secum ferat delicias, & consolationem. Unde amaritudinem hanc accidentariam morti esse, & aliunde per accidens supervenire necesse est, videlicet vel ex nimia ad mundum, mundana conglutinatione, sic divites, & delitiosi cum Agag pinguissimo exclamant: 1. Reg. 15. 32. *Siccine separat amara mors?* Vel ex angustiante rea conscientia, de peccatis commissis, bonis omissis, & de jactura temporis, ac offenso Deo male sibi conscia. Est ergo *stimulus mortis peccatum*, uti bene hunc passum ad hunc sensum explicat Cornelius: *Mors per peccatum, & per peccati conscientiam, quasi stimulum, nos stimulat, & pungit, dicens animæ: morere: meritò, pateris, quia peccasti.* Licet autem & peccatum & stimulum amarum in se susceperit, & confregerit Christus, nos autem iteratis peccatis nostris morti novos subministramus stimulos, & aculeos, hinc est, quòd arrepta ex peccatis nostris occasione maligni spiritus, tantas nobis injicere angustias, pusillanimitates, & perplexiones præsumant, etiam ad desperationem, nisi divina nobis assisteret gratia, præcipitandis.

Peccata dant stimulum, & amaritudinem morti.

1. Cor. 15. 56.

Hæc angustiant morientem.

VIII.

Tales ergo ob cõmissa præterita angustiatas animas consolatur illuminatus Joannes Thaulerus, animo revolvendam suadens, maximam Dei bonitatem, & clementiam, qui non vult mortem peccatoris, sed ut convertatur & vivat, & non solùm culpas omnes quantumvis gravissimas condonare paratus est, sed ad ultimũ usque halitum summa sollicitudine ad conversionem peccatores invitat, & vocat: *Idq; multò fidelius, ac libentius, quàm tu vel queas æstimare, vel ille amicus suis velit revelare. Ea propter non est, ô homo Christiane, cur peccatorum magnitudine desperes. Pius Deus, cor contritum, & humiliatum non despiciet.*

Ioann. Thaul. serm. ad felicem mortem.

Deus avidus nostra salutis.

Huc etiam faciunt consolatoria, Beati Henrici Susonis, verba, in epistola quadam ad moribundum amicum conscripta: *Vnum est, quod multos inexpertos in morte perterrere solet, eisque affert mortem acerbam, & anxiam: id videlicet, quòd dum præteritos annos, dissolutéque, & malè transactam vitam suam reducunt ob oculos, grandi se debito, Deo obligatos sentiunt, neque in illa hora satis perspiciunt, quid ad id facere debeant.* Perplexis ergo istis, & angustiatis moribundis, nimium timorem suadet deponendum. *Vt hinc possis omnino securus evadere, siquidem in diebus tuis perperam te vixisse nósti, sicut pauci à vitiis immunes vivunt, inde non nimium in extrema horâ terrearis.* Inde vlteriùs sanctis Ecclesiæ Sacramentis moribundum ritè munitum hortatur. *Crucifixi imaginem tibi ob oculos statuas, eámq; intueatis, & tuo apponas pectori, atq; in sanguinolenta immensæ misericordiæ eius vulnera te reclina; obsecrans eum, ut in cruentis vulneribus suis, divinâ virtute suâ, cuncta peccata tua abluat, pro sua laude, & tuâ indigentia, vel necessitate; Ac deinde, fide meâ, securus esto juxta Ecclesiæ Catholicæ fidem, quæ nulla ratione fallere potest, si id firmiter possis agere, à cunctis te mediis penitus absolutum esse, & hilariter posse mortem oppetere.*

Apud eundem paulò inferiùs. *Moribundus deponat timorem.*

Recurrat ad plagas crucifixi.

IX. Testatur etiam præmemoratus Joan: Thaulerus, esse probatam, ac sanctorum virorum auctoritate roboratam devotionē, maximéq; moribundis utilem & consolatoriam, si sequentia illis verba prælegantur, ab iis etiam, si non ore, saltem corde proferenda: *Domine Deus, ego sum miser homo ille, quem tu pro paterna bonitate, & potentia tua creasti, propter teipsum, & ad teipsum.*

Oratio moribundi prælegenda.

Domine Iesu Christe, ego sum ille miser, quem tu per ignominiosissimam, & innocentissimam mortem tuam redemisti, ab omni potestate inimici. Tu ergo solus imperium habes, & potestatem super me.

Thaul. citat. mihi fol. 838.

Domine Deus, ego sum homo miser, quem tu salvare potes, secundùm abyssum misericordiæ tuæ.

Per istas ac similes devotas aspirationes maximè ad Jesum, & hunc quidem crucifixū, ac sacratissimam ejus passionē, stimulus & aculeus mortis confringetur, ejúsque amaritudo dulcorabitur. Neq; ejusmodi devota exercitia ad mortis articulum differenda, sed robusto adhuc corpore, & animo exercenda, ac sacratissima ejus passio, & vulnera veneranda, & recolenda, & maximè etiā ad diem Jovis, ac Veneris, quando agoniæ, & exhalationis spiritûs ejus in cruce, solemne signū campana datur, amarum ipsius agonem, & mortem recolamus, illis orationem nostram verbis concludentes: *O Domine Iesu Christe, per ultimum tuum agonem, & amaram derelictionem, ne derelinquas me, nunc & in hora mortis. Amen.*

Passio Christi recolenda in vitis.

Asse-

Thaul. in 4. præparationibus ad mortem ad finem. mihi fol. 842. *Christus talibus in morte assistet.*

Asserit insuper sæpe dictus Thaulerus, audisse devotum Dei servum, conquerentem sibi Dominum, quòd homines tam parum ipsius SS. Passionem mente recolant; Cùm autem devota illa persona à Domino quæreret, quamnam ab illo gratiam accepturi essent seduli passionis ipsius contemplatores, ac veneratores, inter octo utilitates, ac promissiones, etiam hanc, ultimo loco, tanquam omnium coronidem adjecit: *Quòd in morte illi, adversus hostes ejus assistam, & de vita æterna ipsum factam certum, atque securum.*

X. *Christus moriens,*

Denique sicut Dei Filius exemplum se nobis præbuit in vita, maximè autem in morte sua in monte Calvariæ, sic illum & vivendo, & moriendo imitaturi, de salute nos æterna maximè reddemus securos. Moriturus ergo Dei Filius in amaro pro nobis conflictu, assistricem sibi voluit habere sanctissimam Matrem suam, non quidem ad suam necessitatem, sed suam consolationem, & nostram informationem. De quo quidam modernus ut pulchrè, ita & devotè scribit: *Quem Patri commendaverat spiritum, subiectam effusurus in matrem, supremos halitus in illam dixerit, ut vel sic mundus agnosceret, nec se quidem sanctè mortuum sine Maria.* Quæ ergo dulciter & consolatoriè ex hac vita migrare desiderat anima, ante omnia Matrem dolorosam Christo morienti assistentem, veneretur, & ad idem maternum sibi officium præstandum in vita sua invocet.

Assistricē matrem habere voluit.

Aloys. Iuglaris in elogijs Deihominis.

Docuit glorioſissima Deipara S. Mechtildem, singulis diebus ter salutationem Angelicam pro felici morte recitandam, in hora mortis se illi astituram pollicita.

S. Mechtildis à Beatiss. V. Maria edocta orare pro felici morte.

Post primum Ave Maria.

O Domina mea sancta Maria sicut Deus Pater per omnipotentiam suam, te potentissimam effecit, ita mihi, quæso, adsis in hora mortis meæ expellendo à me omnem contrariam potestatem.

Post primum Ave Maria.

Post secundam salutationem Angelicam.

O Domina mea sancta Maria, sicut te Filius Dei tanta sui cognitione, & claritate donavit, ita in hora mortis meæ, animam cognitione fidei sic illustrari & corroborari, intercede, ut nullo errore aut ignorantia perverta-tur.

Post secundum.

Post tertiam.

O Domina mea sancta Maria, sicut Spiritus S. suum amorem tibi plenè infudit, ita in hora mortis meæ dulcedinem amoris divini mihi infundi precare, ut omnis amaritudo mihi reddatur suavissima.

Post tertium.

Stamen Buch B. Virg. 26. Febr.

Cùm eadem S. Mechtildis semel in Evangelio legeret: *Stabat iuxta Crucem Maria mater IESV*, &c. & illa verba Redemptoris, quib' discipulo Matrem, & vicissim Matri discipulum commendabat, expenderet, Christum rogavit, ut se quoque Matri commendaret, Mox Christus eam Matri adducens,

Mechildis à Christo Jesu Matri commendandam rogat.

cens, ac ad manus tradens, dixit: En Mater mea, tibi hanc commendo animam, tanquam meipsum, si coram te totus vulneratus jacerem, sicut tunc mei curam ageres, & vulnera mea curares, tanta sollicitudine hanc animam curandam & consolandã susci pe, ubi & quando indigebit. Rursus tibi eam commendo, tanquam pretiosissimum thesaurum meũ; recordare, quanto amore pro ea captus, passus, & in Cruce mortuus fuerim. Denique illam, ut cordis mei delicias commendo, non enim ignoras, delicias meas esse cum filiis hominum.

Christus eam Matri commendat.

Post hæc ad Christum Mechtildis: O benignissime mi IESV, num idem cuivis hominum, istud petituro, præstare paratus es? Imò verò, respondit Christus: Non enim apud me est acceptio personarum.

Ido vis meti. si præturus.

Quisquis ergo felicem, ac consolatoriam habere mortem desiderat, eadem cum S. Mechtilde precetur, à Matre, ut sibi morienti assistat; à Filio, ut Matri ad assistendum se commendet, oret, ac amaram Christi passionem sæpe contemplando veneretur, & dulcem sibi experietur mortem,

Amen.

DISCUR-

DISCURSUS XLVII.

Schin.

Omnes inimici mei, audierunt malum meum, lætati sunt, quoniam tu fecisti. Adduxisti diem consolationis, &c. *Thren. 1. v. 21.*

DE ECCLESIA.

Nunquam de Dei auxilio diffidendum, qui succurrit in casibus desperatis, & se ad extrema reservat, quando de omni humano auxilio desperatum est.

1. FEris maris tempestatibus jactati, inter extremas periculorum & mortis angustias, jam aliquam iterum spem concipiunt, & quasi respirant, dum de longè terram & littus conspiciunt. Inter medias tribulationum undas, mœstitiæ, & afflictionum procellas unà cum populo suo penè in profundum desolationis, ac desperationis abyssum demersus Jeremias, hoc versu iterum quasi resumere animum cœpit, dum terram & littus à longè prospicit: *Adduxisti diem consolationis.* In præterito loquitur propheta, non quod liberatio populi, & consolatio, jam facta fuerit, vel jam præsens sit; sed sensus est, ut testatur Cornelius, *adduces*: Tamen in præterito loquitur, *adduxisti*, sicut & alii Prophetæ sæpiùs, prophetizando, præterito utuntur pro futuro; eò quòd tam parum de eventu futuro dubitandum sit, ac si jam de facto fuisset impletus. Exultat ergo animo Propheta, dum mentis oculis, Chaldaicâ Monarchiâ per Persas & Medos subversâ, liberationem populi sui de longè (à septuaginta scilicet, & novem annis) prævidit: *Adduces post 79. annos desolationis, diem consolationis.* Quæ hic populi Judaici liberatio, quantò diutiùs dilata, & quasi humanitus, desperata, tantò fuit plausibilior, ad exaltandam divinæ providentiæ magnificentiam, quæ subinde in afflictionibus tardat succurrere, ut cessate humano auxilio, extremæ necessitati se reservans, majorem in se confidendi stimulum mortalibus addat, & nunquam de

Navigãs gaudet, de longè littus videns.

Sit Jeremias liberationem.

Prophetæ præterito utuntur pro futuro

Cornelius

ejus auxilio, etiam in casibus desperatissimis, diffidendum doceat.

II. Egressis ex Ægypto filiis Israël, jam versùs mare rubrum tendentibus, pœnitentiâ ductus Pharao, quòd eos dimisisset, indurato rursus contra Deum animo eos insequi statuit, assumptis sexcentis currib⁹, omníque populo, & ducibus exercitûs sui. Castra tunc metati erant Israëlitæ super mare, & concluſi utrinque duorum montium angustiis, à tergo insequentem cernebant hostem, adeo ut nullus effugii locus pateret. Viso ergo hostili Pharaonis apparatu, & curruum jam imminentium accelerata rotatione, timore pene conciderunt Israelitæ, & non tam clamantes ad dominum, quàm murmurantes contra Moysen dixerunt: *Forsitan non erant sepulchra in Ægypto, ideò tulisti nos, ut moreremur in solitudine? Recede à nobis, ut serviamus Ægyptys.* Jam penitus de salute sua desperati, subjicere rursus colla jugo Ægyptiaco decreverant. Sed animavit eos Moyses, spe in Deum fretus: *Nolite timere: state, & videte magnalia domini, quæ facturus est hodie.*

Territi Israëlitæ insequente hoste.

Animantur à Moyse.

Exod. 14. v. 13.

Josephus, à Moyse populum tumultuantem hac placatum, & animatum fuisse oratione scribit: *Deus vos in arctum hunc locum concludi voluit, ut hîc suam in vos curam, & potentiam ostenderet; Hic ergo locus magis vos ad spem excitare debet; Deus enim maximè adest in arduis, quando spei supereſt minimum.*

Apud Cornelium hic.

Quia Deus adest in arduis.

Pulcherrimũ planè animandi populi motivum adduxit Moyses, dum divini auxilii indubitatam spem fecit, evanescente humano auxilio; hoc enim cùm deficit, divinum certò succedit. Nam sicut migrante è loco aëre, Deus & natura non patiuntur vacuum, sed citiùs contra naturam corpora gravia ascendere, & levia descendere ad supplendum vacuum coguntur, sic etiam omni inani auxilii humani spe, quasi aëre evanescente, non tamen vacuum & desolatum Deus relinquit confidentem in se, sed potiùs, contra naturæ ordinem, gravia sursum, deorsum levia miraculosè movet, faciens Israelitis in mari vias suas & semitas suas in aquis multis. Adeóque hinc maximè concludit Cornelius, *in arduis & arctis*, constanter in Deum confidendum, hæc enim in se concepta confidentia summè Deo placet: *Deus enim* (ait præfatus expositor) *Quia magnificus est, non vult spe nostrâ vinci, sed eam superare; Hinc, merita supplicum excedit & vota.* Excedit planè Deus & vota, & opiniones, & spem, & naturalis cursûs potentiam in casibus desperatis, & arduis, ibi supplens suâ bonita-

Quando spes omnis humana evanuit.

Vacuum supplet Deus.

Cornelius hîc.

Non sepatitur Deus vinci à nostra spe.

te

te, & potentia, ubi spei humanæ supereſt minimum. Nolite ergo timere: ſtate & videte magnalia Dei, omni deficiente humano auxilio.

III. Sedebat afflictus in ſterquilinio patientiſſimus virorum, qui olim jucundus deambulabat in domo ſua, ſolus & derelictus, qui olim venuſtiſſimis, & amantiſſimis ſtipatus erat filiis, eversâ per turbinem domo jam oppreſſis. Qui copioſam nutriebat familiam, & tot millenas numerabat oves, & boves, & camelos, & ſervos, jam omnia ab hoſtibus direpta, & partim in cineres redacta plangit, nec ſemine quidem reliquiarū relicto, ex quibus in futurum ſibi ſpes recuperandæ priſtinæ opulentiæ pullulare poſſet. Quin imò toto corpore in ulcus tabeſcente, nullum à dolore intactum remanebat membrū, niſi linguam, qua doloris ſui, & afflictionis anguſtias deplorare poſſet, pleno malorum impetu ſe obrutum conteſtans, *quaſi rupto muro, & apertâ januâ irruerunt ſuper me, & ad meas miſerias devoluti ſunt.*

Job omnibus bonis ſpoliatus.

Job 30. v. 14.

Quis de ordinario rerum curſu ullam de recuperanda valetudine, & copioſæ prolis ſucceſſione, de divitiarum affluentia, ſpem facere patienti Prophetæ poterat? Fatetur ipſe: *Deſtruxit me undique, & pereo, & quaſi evulſæ arbori abſtulit ſpem meam.* Sicut enim arbor evulſa, nec folia, nec fructus edere poteſt, ſic & Job, tanquam truncus è terra eradicatus, & ab hominibus abjectus, nec divitiarum folia, nec poſteritatis amplius fructus ſperabat, abſtulit ſpem meam; ſed quando ſpei ſupereſt, minimum, Deus maximè adeſt. Nam contra omnem ſpem, & expectationem hominum *Dominus benedixit noviſſimis Job magis, quàm principio ejus, & facta ſunt ei quatuordecim millia ovium, & ſex millia camelorum, & mille juga bovum, & mille aſinæ.* Et *fuerunt ei ſeptem filii, & tres filiæ.* In arduis ergo & arctis, in tribulationibus & miſeriis inſuperabilibus, humano loquendi modo, nolite timere, ſtate, & videte magnalia Dei, uti in ipſo patiente Propheta nobis demonſtrata fuerunt.

Contra ſpem

Job. 19 v. 10.

Reſtituitur copioſus.

Job 42. v. 12.

IV. Hæc autem intelligenda docet Hugo *Myſticè de Eccleſia*, quæ cum Job deplorat: *Deſtruxit me undique*, dum undique per bella vel extera, vel inteſtina deſtruuntur, & devaſtantur Eccleſiæ, imò integræ ab Eccleſia evelluntur Provinciæ, *& quaſi evulſæ arboris abſtulit ſpem meam, de prole iterum ſuſcitandâ, & proſperitate recuperandâ*, ut Hugo gloſſatur. Et moderno præſertim tempore, tanto impetu in Eccleſiam irruunt afflictiones, *quaſi muro rupto & aperta ianuâ* Murus Eccleſiæ, (ut idem commentator

Myſticè de Eccleſia.

Hugo in Iob. c. 19.

Evellitur, & deſtruitur.

Murus Ecclesiæ.

tor explanat) *dicitur munitio disciplinæ, quæ dissipata hostis ingreditur; Item murus Ecclesiæ, sunt Doctores sacræ Scripturæ; Item murus Ecclesiæ, virtutes animæ, quibus dissipatis patet ingressus hostibus.* Muri hi, & antemuralia utcunq; destructa sunt. *Cogitavit Dominus dissipare murum filiæ Sion, tetendit funiculum suum, & non avertit manũ suam à perditione; Luxitque antemurale, & murus pariter dissipatus est.* Et quid mali ulterius hoc rupto muro expectare potest Ecclesia, nisi quòd cum Job porrò deploret: *Et ad meas miserias devoluti sunt.* Nempe *reprobi*, (exponit Hugo) qui devolvuntur ad Ecclesiæ miserias *multiplicandas vel faciendas*; Unde ad nihilum se redactam exclamat cum Job, & quasi urbi devastatæ, aut arbori eradicatæ ablatam spem esse conqueritur.

Thren. 2. v. 8.

Tamen adhuc sperandum

Sed nolite contemnere, cùm senuerit mater nostra Ecclesia, nolite spem prolis, & multiplicationis, ac reparationis abjicere. Afflictus enim Ecclesiæ status magis nos ad spem excitare debet, (ut verbis Moysis Prophetæ utar) Deus enim maximè adest in arduis, quando spei supereſt minimum. Et siquidem novissimis Jobmagis benedixit, quàm prioribus, multiplicando filios, & jumenta, ita etiam, Deus Ecclesiæ oves multiplicare, dilatare pascua, & excitare filios potest etiam de lapidibus, quando spei supereſt minimum. Desperatis enim rebus succurrit Deus, & ad extrema auxiliatricem manum suam reservat pericula.

Cùm Deus desperatis rebus succurrat.

In extremas angustias conjecerant castam Susannam duo illi adulteri senes, dum contra eam de commisso adulterio accusatam, concitaverunt plebem, ut lapidaretur, *quæ flens suspexit ad cœlum, erat enim cor eius fiduciam habens in domino.* Not a hîc, quòd *Deus sinat suos in arcta redigi*, (ait Cornelius) *ut discant in eum sperare, eúmque invocare; In arctis enim suis maximè adest Deus, eisque vicinissimus est, ut succurrat.* Quod imprimis in Susanna demonstrare voluit Deus, nam castissimâ hac, & innocentissimâ matronâ jam ad mortem raptâ, suscitavit Dominus Spiritum sanctum pueri junioris, cujus nomen Daniel, qui revocato ab executione populo redintegravit judicium, falsorum testium detexit fallaciam, & innocentem à morte liberavit.

Dan. 13. v. 35.

Cornelius hic.

Susanna in extrema necessitate succurrit.

Ecclesia instar Susannæ ab hæreticis tractatur

Quod cum casta Susanna senes illi judices, hoc cum Ecclesia Catholica egerunt hæretici, adulteram eam, & corruptam erroribus proclamantes, jam in tantas eam redegerunt angustias, ut contra eam multæ civitates, & populi, & Provinciæ, & regna insurrexerint, ad eam non tam denudandam, quàm penitus delendam, lapidibus obru-

obruendam, & in propria ruina sepeliendam. In arctis utique, si unquam aliàs, modò consistit Ecclesia, sed cum Susanna castissima, in sua, erga sponsum suum, fidelitate, & in Deo suo habeat fiduciam, jam enim, cùm maximè in arctis est, aderit illi Deus vicinissimus, ut succurrat.

In arctis aderit illi Deus.

Nunquid ad extrema quoque adducti erant filii Israël, quando cum forti exercitu contra eos egressus Holofernes arcta obsidione cinxit Bethuliam. Jam enim deficiente aqua de se actum esse conclamabant cives, exprobrantes summo Sacerdoti, quòd se in tantum conjecisset periculum: *Factus est fletus & ululatus magnus in Ecclesia ab omnibus, &c.* Jámque desperata quasi res erat, si humano rem metiri ordine quis vellet. Sed ecce, dum jam in extremis jacebat Bethulia, jam quasi agonizans, suscitat Deus generosam Judith, quæ non armis, sed venustate sua devictum capit Holofernem, eúmque vino æquè ac somno oppressum obtruncat, exercitum Assyriorum occiso Duce dissipat, & patriam liberat. Ut nempe totus hinc discat orbis, non Deum fortibus, & proportionatis ad finem suum præfixum alligari mediis & instrumentis, sed amicis & servis succurrere se posse etiam in sexu fragili. *Non enim cecidit potens eorum à juvenibus, nec filii Titan percusserunt eum, nec excelsi gigantes opposuerunt se illi, sed Judith filia Merari in specie faciei suæ dissolvit eum.* Tradidit enim Dominus hostem *in manus feminæ*, dum desperata erat armatorum virorum virtus, & expiraverat omne humanum auxilium, *in arctis enim suis adest Deus.*

Bethulia in arctis posita. Judith 7. v. 28.

In manu feminæ liberatur. Judith. 16 v. 8.

VI.

Desperata, & lugubris rerum facies erat sub Regina Esther, quando impius Aman à Rege Assuero impetravit subsignationem facti à se decreti, *ut occiderent, atque delerent omnes Judæos, à puero usque ad Senem, parvulos, & mulieres uno die ... & bona eorum diriperent.* Dum ergo in summo rerum periculo res Judæorum versaretur, orationibus ac jejuniis eorum placatus Deus, malum omne in auctoris vertit caput, ac suspenso Amano in patibulo, quod Mardochæo paraverat, non solùm liberati à nece fuerunt Judæi, sed etiam Mardochæus in locum Amani succedens, annulum regium recepit, & occisis hostibus, & decem Amani filiis suspensis, respirare de miseriis suis cœperunt Judæi. Et nunquid hæc mutatio dexteræ excelsi, quæ ad extrema se reservans pericula, desperatis succurrit rebus?

Esth. 8. v. 13.

Ascendentem in naviculam Christum secuti sunt quoque discipuli ejus: *Et ecce motus mag-*

Matth. 8. v. 24.

nus factus est in mari, ita ut navicula operiretur fluctibus, ipse verò dormiebat. Quid periculosius plebi, dormitante rectore? Quid magis nocuum gregi, somnolento pastore? Quid tam fatale navigantibus, dormiente Navarcho? Ipse verò dormiebat, qui primus invigilare debebat periclitantibus discipulis. In extremo jam versabantur submersionis periculo, cùm, adhuc dormientem, excitant magistrum discipuli, de vita sua conclamantes: *Domine salva nos, perimus.* Dormientem se exhibuit Dei filius, qui tamen intensissimè discipulorum saluti invigilabat; dormitabat tamen, *ut discipuli in periculo positi ad ipsum recurrerent*, ait Lyranus. *Et accesserunt ad eum discipuli eius, & suscitaverunt eum.* Adeò territi (uti Interlinearis testatur) *ut non modestè irruerent, & suscitarent.* Quamdiu enim humani auxilij spes supererat, ad Christum non recurrebant, sed hac deficiente, cùm desperata salus esset, etiam importunè ad Christum suscitandum concurrerunt, & irruerunt; hic enim arctis & reservatur rebus, & ultimum, quasi dormiens, expectat discrimen: Tum verò surgens, imperat ventis & mari, & fit tranquillitas: Deus enim maximè adest in arduis, quando spei supereſt minimum.

Dormit Christus in navi.

Lyranus

Glossa Interlin.

Usq; ad extremū periculū.

Navis Ecclesia.

Navicula fluctibus operta, est Ecclesia militans, in persecutionibus posita, Christi verò dormitio, est divina permissio, ait glossa moralis: Exoriente igitur motu maris, erigunt se homines, & ventis, qua possunt sollicitudine, obviant, procellas temone, ac remis frangunt, sed quando motu nimis ingravescente naviculam operiunt fluctus, ad Deum recurrunt, & orando quasi dormientem excitant Dominum, ut ipse desperatis rebus, quæ vires humanas excedunt, omnipotentem suam applicet manum; *Domine salva nos, perimus.*

Glossa mor.

Magna tempestas

VII.

Si planè unquam sævæ in Ecclesia tempestates exortæ, & jactata fuit magnis motibus navicula Christi, id revera nostris miserrimis contigit temporibus, jámque sedandis tantis motibus, ac confusionum turbulentiis impares sunt omnes humanæ vires & industriæ, naviculâ fluctibus pene opertâ; Quare ad potentem divinam manum recurrere nos urgere meritò debet magnum rei discrimen, *Domine salva nos perimus.*

Excitatus à discipulis dominus, non eos redarguit de factâ sibi in suscitando molestiâ, & importunitate, sed tantum de diffidentia; *Quid timidi estis, modicæ fidei? Quasi diceret* (exponit Lyranus) *non debetis timere cùm sim præsens vobiscum, quem vidistis tot miracula facere.* Nec arbitramini, tam alto me oppres-

Non tam timuissetis.

pressum somno, ut cor meum non pro vobis vigilet. Quare & nos omnem deponamus diffidentiam, & eò majorem erga ipsum concipiamus fiduciam, quò majores in nos irruunt tempestates, & procellæ, vigilat enim, & invigilat nobis, licet dormire videatur, tantùm pulsari, & excitari orationibus nostris expectans, paratus de cætero surgere, & imperare ventis, & mari.

Excitemus Christum. Excitemus igitur illum, obruti tribulationum procellis, suscitemus eum in tantis Christianæ reipublicæ periculis: *Domine salva nos perimus.* Adhuc nervosiùs discipulorũ suorum excitantium fervorem exprimit S. Marcus, qui illi, excitando, objecerunt: *Magister non ad te pertinet, quia perimus?* Nunquid nos populus tuus, & oves pascuæ tuæ? Non ad te ergo pertinet, si pereamus? Nonne hæc navicula, & Ecclesia tua est, quæ repletur fluctibus? Exurge igitur, impera ventis & mari, ut fiat tranquillitas, ne pereundo fiamus ludibrium, & scandalum nationibus, & infidelibus. *Ne quando dicant gentes, ubi est Deus eorum?* Ne gentes objiciant nobis dormientem, & nostra non curantem, nos habere Deum. *Et quid facies magno nomini tuo?* Itaque: *exurge, quare obdormis Domine? Et ne repellas in finem.* Impera ventis & mari, impera tribulationibus & angustiis in casibus pene desperatis, *Et scient, quia manus tua hæc, & tu Domine fecisti ea.* Si quis Rex de hoste obtineat victoriam, mox hæc ascribitur vel potenti Regis exercitui, aut ducis industriæ, generositati, ac fortitudini, mox gloriari tales incipiunt, & suæ virtuti ascribere victoriam. *Manus nostra excelsa, & non Dominus fecit hæc omnia.* Unde Deus tamdiu tardare sæpenumero solet, & quasi dormire, donec ad talem statum, & discrimen res deveniat, cui manus humana succurrere ampliùs non valeat: Ne homines sibi ascribere gloriam possint, sed soli Deo; *Et scient, quia manus tua hæc, & tu Domine fecisti ea.*

Marci. 4. v. 28. *Domine non ad te pertinet?* Pfal. 113. v. 10. Ioſue. 7. v. 9. Pfal. 43. v. 23. Pfal. 108. v. 27. Deutr. 32. v. 27.

VIII. Ad tantas etiam angustias Orientale Imperium reduci permiserat Deus, extremis Phocę Imperatoris temporibus, Dum Chosroas Persarum Rex, Ægypto & Africâ occupatâ, ac Jerosolymâ, captâ, multísque ibi cæsis Christianorum millibus, Christi Domini Crucem, quam Helena in monte Calvariæ collocârat, in Persidem abstulit. Itaque Heraclius, Phocæ successor, cùm multis belli calamitatibus affectus, pacem à Chosroa victoriis insolente, nè iniquis quidem conditionibus impetrare, bellum autem contra hostem tam potentem prosequi

Breviariũ Rom. 14 Sept. *Heraclius sperans in Deo.*

sequi diffideret, in summo hoc discrimine pius Imperator, desperato humano auxilio, à Deo opem, jejuniis & orationibus supplex postulavit, ac impetravit. Deus enim maximè adest in arduis, quando spei supereſt minimum, cujus monitu & auxilio, comparavit Heraclius exercitum, signa cum hoste contulit, ac tres duces Chosroæ cum tribus exercitibus superavit. Noluit prius labentibus reb' Heraclij succurrere Deus, donec ad ultimum adducerentur discrimen, ne gloriari cum suis ducibus Imperator posset: *Manus nostra excelsa, & non dominus fecit hæc omnia.* Sed tamdiu exurgere, & succurrere Deus distulit, donec ex desperato rerum statu palpabiliter agnoscerent, & scirent, *quia manus tua hæc, & tu Domine feciſti eam.*

Tulit vi. Horiam.

Ad extrema expectat Deus.

Et planè eadem pene methodo cũ Augustissima nostra Domo Austriaca processit hactenus divina providentia, quam ad tantas jam sæpe redigi angustias, & discrimina passa est, ut de ipsius ruina nemo hostium dubitaret, & vix fidelis quisq; amicus procellarum motibus opertam, ex iis emersuarum speraret, sed damno suo duxerunt hostes, & commodo suo experti sunt amici, in tam aperto discrimine, semper reservatum à Dei providentia fuisse Augustissimæ huic Domui miraculum, ut totus agnoscat orbis, non manus nostras excelsas, sed dominum feciſſe hæc omnia.

Vt ſciat mundus, quòd non noſtra manus fecit hæc omnia.

Domui Austriacæ mira-

culum reſervat Deus.

Cùm igitur hodiéque tot, tantísque tempestatibus concutiatur hæc Augustissima Domus, totúmque Romanum Imperium, & ipsa cum illo Ecclesia Romana, non in humani brachii aut manûs fortitudine, sed in miraculosa Dei omnipotentis manu confidere debemus, quæ necdum abbreviata est, & sæpe infirmissima eligit media, ut fortia quæque confundat. Quid infirmius, quid fragilius araneæ telis? Et tamen Deus eas pro muro dedit S. Fælici Nolano presbytero: hic enim fracto in ipsum gentilium lictorum impetu, fugiens, in duorum parietum angusto intervallo se occultavit; qui aditus cùm repentè aranearum telis pertextus visus esset, nemini recentis latebræ supicionem reliquit.

Breviario 14. Ian.

Fælici presbytero.

Et aerto ceſſit vis ferrea filo,

ait S. Paulinus, Natali 5. S. Fælicis, qui & appositè concludit:

Sic ubi Chriſtus adeſt nobis, & aranea muro eſt;

Aſt ubi Chriſtus abeſt, & murus aranea fit.

Aranea tela prò muro.

Ubi divinum deest præsidiũ, munitissima urbium mœnia, & aggeres non plusquàm aranearum telæ hostibus intercludent aditum,

aditum, & omne robur exerciûs, velut aranea meditabitur. Aſt ubi Deus adeſt, etiam aranearum telæ, pro muro ſufficient; ſecurior enim eſt, munitus araneæ telis præſente Deo, quàm hoc abſente, fortiſſimis circumvallatus muris, infirma quippe eligit Deus, ad oſtendendum præſentiæ ſuæ potentiam, qua fideles ſuos in deſperatis etiam caſibus defendit.

IX. Magna ſubditis tribulatione oppreſſis eſt conſolatio, ſi noverint, ſe bonum, & potentem habere dominum ac protectorem; ſed magna viciſſim deſolatio, ſi quis noverit ſe malevolum, & ſibi defendendo imparem habere Dominum. Si in manu hominum refugium, & protectionem noſtram ponere-

Potentia Domini

mus, exigua nobis ſupereſſet ſpes in tanto rerum diſcrimine: Sed quoniam *Dominus firmamentum meum & refugium meum & liberator meus, & ſperabo in eũ*, meritò de hoc protectore & liberatore noſtro conſolationem concipere poſſumus. Uti enim de ejus ſuccurrendi voluntate, ſic nec de poteſtate dubitare convenit: Ipſe enim eſt *refugium noſtrum & virtus, adjutor in tribulationibus, quæ invenerunt nos nimis.* Licet nimis nos obruant tempeſtatum procellæ, quia tamen *Dominus virtutum nobiſcum, propterea non timebimus*, turbetur terrra, transferantur montes in cor maris, ſonent & turbentur aquæ, conturbentur montes, potentes omnes hujus ſæculi, & poteſtates tenebrarum, tamen ſi Dominus virtutum nobiſcum, non timebimus. *Quia Deus in medio eius* (ſcilicet Eccleſiæ) *non commovebitur.* Si Deus pro nobis, quis contra nos?

M. 17. v. 1

Pſ. 45. v. 1.

Facit animum ſervu.

Hug. Card hic.

Neque enim eſt alius extra te, & non eſt fortis, ſicut Deus noſter. Licet enim ad tempus nos deſerere, & dormire, videatur Deus, licet nos ſinat mergi, non tamen patietur ſubmergi, ſed deſperatis & arduis aderit rebus. *Dominus mortificat, & vivificat, deducit ad inferos & reducit. Dominus pauperem facit, & ditat, humiliat & ſublevat; ſuſcitat de pulvere egenum, & de ſtercore elevat pauperem. Domini enim ſunt cardines terræ.*

1. Reg. 2. v. 2.

Non eſt fortis ſicut Deus noſter.

Cùm ergo nec de bonitate, nec de potentia Dei noſtri dubitandum nobis ſit, non deſpondeamus animum, quantumvis grandes, & potentes in nos irruant tribulationum procellæ, imò quò majores ſunt, quæ omnem humanarum viriũ excedunt potentiam, eò fortiùs ſperemus, non vult ſpe noſtrâ vinci, ſed ſuperare: adeſt enim in arduis Deus, & ubi humanæ deficiunt vires, divina ſuccedit virtus, ut mundo innoteſcat, quia non manus noſtra excelſa, ſed Deus fecit hæc omnia

Nec de bonitate, nec de potentia dubitandum.

omnia. In arctis itaque & arduis positi sive tribulationum, sive tentationum, cum Moyse confidite, & clamate ad Dominum. Nolite timere, state & videbitis magnalia Dei. Cùm patientissimo Job, omnibus orbati bonis, & amicis, nolite perdere animum, potens est Deus benedicere novissimis nostris, magis, quàm principio. In angustiis extremis, cum casta Susana, generosa Judith, humili Esther, fiduciam habeamus in Domino. Si undique & tribulationum, & bellorum procellæ spumantes operiant nos, naviculámque Petri, Ecclesiam, non desperemus de Dei auxilio, tanquam à nobis recesserit Deus, dormit enim in puppi, dissimulat, expectat suscitantes, ut expergiscens desperatis rebus succurrat, & imperet ventis & mari.

Ergo state

Et videbitis magnalia Dei.

Tu igitur, ô Jesu potentissime, qui imperâsti ventis & mari, exurge, exurge in adjutorium nostrum, impera ventis, & turbulentis animorum commotionibus, seda cruentos bellorum fluctus, redde tranquillitatem ac pacem Ecclesiæ; oremus cũ sancta matre Ecclesia: *Deus qui nos in tantis periculis constitutos, pro humana scis fragilitate non posse subsistere; da nobis salutem mentis, & corporis, ut ea, quæ pro peccatis nostris patimur, te adiuvante vincamus. Qui vivis & regnas in sæcula sæculorum,*

Amen.

DISCUR-

DISCVRSVS XLVIII.

Schin.

Adduxisti diem consolationis, & fient similes mei. *Thren. 1. v. 21.*

DE ANIMA.

Pœnitentia, & Confessio Sacramentalis, præsertim si frequens sit, roborat animam, & debilitat inimicos, passiones, & malas consuetudines eius, quibus capta fuerat.

1. Isa. 14. v. 2.

MAgnam quondam Isaias Propheta Israelitis annuntiaverat consolationem, de futurâ eorum post excidium Babylonis, liberatione: *Et erunt capientes, qui se ceperant, & subjicient exactores suos.* Quibus verbis Isaias, idem insinuare voluit, quod hîc Ieremias: *Adduxisti diem consolationis, & fient similes mei.* Diem scilicet, quo per Persas & Medos Chaldaica Monarchia destruetur, ad liberandum à captivitate populum, & tunc hostes, Chaldei, & Babylonii *fient similes mei*, in captivitate, vastitate, & miseriis: Tunc enim Judæi, dominante maximè Daniele sub Dario, & Esther Reginâ cum Mardochæo, sub Rege Assuero erant capientes, qui se ceperant, & subjecerant exactores suos, tam Babylonios, quàm Persas.

Chaldaica Monarchia subvertitur

Vt liberentur Iudæi.

Moraliter, in captivitatem trahitur anima peccatrix ab Assyriis, Ægyptiis & Chaldæis: *Ægypto manum dedimus & Assyriis,* per quos, ipsi Expositores, malignos spiritus intelligunt, quibus se captivam offert, & victas manus sponte subjicit peccatrix anima, cui diem consolationis, post perpessas diabolici jugi & captivitatis angustias, adducit divina gratia, dum per pœnitentiam, & sacramentalem maximè confessionem à servitute diabolica liberatur anima, & tunc exultans

Thren. 5. v. 5.

Anima pœnitens

Liberatur à suis hostibus,

adveniſſe gaudet *diem conſolationis*, quo inimici infernales, & malignæ paſſiones (quorum captivitate detinebatur) *fient ſimiles illi*, debilitatæ ſcilicet, victæ & captivæ, dum anima pœnitens erit capiens, qui ſe ceperant, & ſubjiciet exactores ſuos, jam non Puſillanimis, & infirma, ſed generoſa, & fortis; pœnitentia enim, & Confeſſio ſacramentalis præſertim frequens roborat hominem contra inimicos & debilitat paſſiones, & malas conſuetudines ſuas, à quibus priùs fuerat captus.

Quibus ſuperior efficitur.

II.

Inter alios ſalubres Sacramenti Pœnitentiæ effectus, etiam hunc ponit Doctor Seraphicus, quòd *in bono adjuvamur*: Primò *in oratione ad impetrandū*, 2. *In operatione ad fructificandum*, 3. *In tentatione ad triumphum*, ut ſcilicet per pœnitentiam non tantùm hoſtibus ſimiles, ſed etiam ſuperiores viribus effecti, ſubjiciamus exactores noſtros. Civitatem Hai expugnaturus Joſue, tria millia virorum cum hoſte dimicaturos emiſit, ſed incolæ urbis Hai eruptione factâ in fugam verterunt Hebræos, multiſque ex ſuis deſideratis hi in caſtra reverſi ſunt. Magnum infelix hoc certamen populo timorem injecit, & ipſe Joſue cum ſenioribus Iſraël coram Arca Dei in terram proſtratus, & acceptam cladem deplorans, divinum implora-

S. Bonav. ſerm. 5. Rogat.

Pœnitentia adjuvat, & confortat.

vit ſubſidium. Cui Dominus: *Surge, cur jaces pronus in terra?* Hoc eſt (uti eruditiſsimus Toſtatus exponit) *ſurge, non jaceas in pulvere, quia hoc non prodeſt; ſed magis ſurge ad ulciſcendam injuriam factam Deo.* Joſue 7. v. 9. Alph. Toſtatus hic c. 7. q. 19.

Hai (teſte Hugone) *interpretatur Chaos, & ſignificat luxuriam, quæ eſt caput omnis confuſionis, ubi, quot ſunt habitatores, tot ſunt intentores libidinis, primi motus, cogitationes & hujuſmodi.* Difficilis & periculoſa cum hoc hoſte pugna eſt, etiam generoſiſſimos heroes, & ſervos Dei, Davidem, & alios per inſidias ſuperavit, & proſtravit. Unde talis victus, de viribus ſuis meritò diffidens, cum Joſue in terram proſternitur, ac divinam gemens implorat opem. Accepta quidem Deo eſt hæc ſupplex peccatorum proſtratio, interim tamen non eos vult ita imbelles, & timidos jacere, ſed hortatur ad ſurgendum, & addit vires & animum. *Surge: non jaceas in pulvere, quia hoc non prodeſt; ſed magis ſurge ad ulciſcendam injuriam factā Deo*; Dei munitus præſidio hoſtes aggredere animosè, atque detecto & ejecto per ſacramentalem confeſsionem Achan, ac per contritionem lapidato, igneque amoris, pallio, reliquiſque Jerichuntinis ſpoliis ac peccatorum reliquiis conſumptis, novum

Hugo in Joſue c. 8. v. 4.

Hai Chaos interpretatur.

Significat mundum & vitia.

vum resume animum, ad capiendos, & vincendos eos, qui te ceperant, & vicerant. *Ne timeas, neque formides; tolle tecum omnem multitudinem pugnatorum,* omnes animi vires collige, & divinæ gratiæ auxiliaribus copiis conjunge, & consurgens ascende in oppidum Hai, contra vitia, vel mundum, ut Hugo glossatur.

Ios. 8. v. 1.

Contra ea pugnandū

III. Notandum verò maximè est, quod cives Hai victoriâ elatos singulari stratagemate devicit Josue: Nam collocatis copiis in insidiis, ipse simulatâ rursus fugâ, terga vertit, quare hostibus fugientium terga velocissimè insequentibus levavit clypeum Josue, tum verò surgentes ex insidiis Israelitæ, non tantùm insequentium tergis inhæserunt, sed etiam *pergentes ad civitatem cœperunt, & succenderunt eam*; hostibus etiam undique circumvallatis, & ad internecionem deletis, ut ne nuncius quidem cladis supereresset. Advertit hîc Cardinalis à S. Caro, *Hai capitur ab illis, qui post tergum sunt; Quia peccati recordatio cum exprobratione, maximè diabolum expugnat.* Dum enim Josue, id est, ratio, acceptæ priùs cladis memor, fugam capit, & occasiones priores, societates, ac consuetudines declinat, tum voluntas ardenti dolore, & proposito, tergis hostium insistit, & dolorosâ peccatorum recordatione & confessione diabolum, de victoria jam tripudiantem expugnat. Sic ergo anima pœnitens capit eos, qui se ceperant, & subjicit exactores suos, eò firmiùs posthac perstitura, quò incautiùs antea fuerat prostrata. Hinc divus Gregorius: *Justorum certè casus, quodammodo status eorum est, quia aliquando permittuntur cadere, ut semper valeant fortiùs stare; Permittuntur, ut in malis corruant, ne summa virtutum dona per elationem perdant.* Nullus igitur per casum desperet, sed generosiùs ad pugnandum surgat.

In fugam versi non desperent.

Hug. Card hic.

Justorum casus eorum status est.

S. Greg l. 6. c. 2. in lib 1 Reg. 15.

Ligatus à Judæis Samson duobus novis funibus, captivus, licet non invitus, ductus est, Philistæorum manibus tradendus. Occurrentibus ergo Philistæis, & jam de præda exultantibus, *irruit spiritus Domini in eum, & sicut solent ad odorem ignis lina consumi, ita vincula, quibus ligatus erat, dissipata sunt, & soluta.* Rursus ab hostibus in urbe Gaza obsessus Samson, positis in porta civitatis custodibus, non tamen animum despondit, sed *ad medium noctis consurgens, apprehendit ambas portæ fores, cum postibus suis, & serâ, portavit ad verticem montis.* Exponunt hæc quidem Doctores in sensu mystico de Christo, qui portas, & vincula mortis, & inferni disrupit, sed non minùs hæc moraliter de anima pœnitente

Samson rumpit funes.

Iud. 15. v. 14.

Iud. 16. v. 3.

Et portas.

nitente exponi possunt, quæ peccatorum vinculis ligata, animum desponderе non debet, sed irruente in eam spiritu Domini cum regio Propheta exclamare: *Dirumpamus vincula eorum, & projiciamus à nobis iugum ipsorum.* Eadem etiam, jam quasi ab hostibus concluſa, nondum se captivam dedat, sed conterat *portas æreas, & vectes ferreos* confringat, id est, *diabolicas suggestiones*, aut *naturalem cupidinem*, exponit Interlinearis. Vel, uti Ordinaria explicat, *Portæ æreæ, hominum consuetudines vitiosæ, quæ clausos non sinunt exire. Vectes, spiritus immundi qui portas obserant; vectes ferreos, pro fortitudine ponit, sed virtus Dei frangit.* & diem consolationis, ac liberationis adducit.

Sic & pœnitens. Pſ. 2. v. 3. Psal. 106 v. 6. Glossa Interl. Ordin.

IV.

Integros adhuc tenebat capillos suos Samson, dum vincula hostium disrupit, & portas ferreas; posthæc autem Dalilæ suæ blanditiis superatus, dum in ejus sinu dormiens recumbit, vocatis tonsoribus *rasit septem crines eius*, quo facto ab eo fortitudo recessit. Ignarus igitur Samson recessisse à se Dominum, & cum Domino fortitudinem suam, cùm de more hostium conatus, ac vincula deludere vellet, ab illis apprehensus est, cui *statim eruerunt oculos, & duxerunt in Gazam vinctum catenis, & clausum in carcere molere fecerunt.* *Moraliter* (ait Lyranus) *Samson Nazaræus, est homo per baptismum domino consecratus; Dalila, quæ situla interpretatur, est sensualitas, per quam voluptas carnis, quasi per situlam hauritur. Per hanc Samson decipitur, quia per sensualitatem homo aliquando à gratia in baptismo recepta, deiicitur; septem crinibus denudatur, quia septem donis Spiritûs sancti spoliatur. Oculis privatur per mentis excæcationem, carcere clauditur per obstinationem.*

Iudic 16. v. 19. *Amissis capillis Samson ligatur.* Lyranus hic. *Sic homo amissa gratia Dei.*

Sed neque sic cum Samsone desperet anima peccatrix, sed cum illo, (cùm capilli renasci cœperint) auxilium divinũ imploret, *Domine Deus memento mei, & redde mihi nunc fortitudinem pristinam Deus meus, ut ulciscar me de hostibus meis.* Quare apprehensis ambabas columnis, quibus innitebatur domus, & concussis, cecidit domus super omnes Principes, & cæteram multitudinem, quæ ibi erat, *multóq; plures interfecit moriens, quàm antè vivus occiderat.* Pari modo rasi animæ peccatricis *capilli incipiunt recrescere, quando divinæ facieirespectu incipit pœnitere*, atque divina assistente gratia de hostibus ulciscì: *Quæ moriens triumphat de hostibus, quando moriendo peccato, triumphat de dæmonibus.* Dum ergo animæ peccatrices malorum desideriorum structuram destruendo, ad Deum se fervidâ voluntate convertunt, illud Prophetæ regii in illis impletur:

Cum Samsone imploret opẽ Dei. *Et ulciscatur de hostibus.* Lyranus cit.

Psal. 15. v. 2. pletur: *Mirificavit omnes voluntates meas in eis; multiplicatæ sunt infirmitates eorum; id est,* (ait Moralis) *peccata, quæ sunt infirmitates animæ, postea accelleraverunt, ad currendũ per fidem,* ad Christũ, tantò tenacius Christo imposterũ adhæsuri, quantò longiùs ab eo fuerant aversi, & tanto ardentiùs contra malignos hostes dimicaturi, quantò turpiùs ab iis fuerant prostrati. *Persequar inimicos meos, & comprehendam illos, & non convertar, donec deficiant: confringam illos, nec poterunt stare, cadent subtus pedes meos.*

non desperet.

Psal 17. v. 36.

Varia est bellantium fortuna, nec ita prosperè res geri possunt, quin subinde adversa fors eveniat, & etiam victoris caput tela feriant, quæ animum tamen generosum frangere non debent: Uti etiam David ducem suum Joabum, accepto Uriæ occisi nuncio animaverat: *Non te frangat ista res: varius enim eventus est belli.* Non minùs in bello & conflictu spirituali, varius est eventus, nec semper secundâ pugnatur fortunâ, subinde etiam victricem manum contingit succumbere, hisce adversis eventibus non frangi debet generosus animus, sed ardentiùs in hostem insurgere, illius exemplo, quem abducit Virgilius,

Acrior ad pugnam redit, & vim sucitat iræ.

Sic fideles Athletæ acceptâ subinde ab hoste plagâ vulnerati, non despondeant, non frangantur animis, sed acriores ad pugnam redeuntes, vim suscitent iræ.

Varius belli eventus,

1. Reg. 11 v. 25.

Non frangat animum.

Sic & in pugna spirituali.

Sic David turpiter ab hoste prostratus, non tamen se illi tributarium fecit, sed pœnitentiæ armis debellare hostem aggressus, ulcisci injuriam non cessavit. *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei.* In quæ egregiè divus Basilius: *Per oculos contra iaculatus est, & lacrymis diabolum convulneravit. Vidisti virum optimum sauciatum, nec acceptâ plagâ quicquam de strenuitate remittentem? Vidisti derepentè succumbentem, & subitò emergentem?*

David prostratus generosè surrexit.

Psal. 118. v. 136. S. Basilius orat. 17.

Pari generositate in hostem victorem exarsit Apostolorum Princeps, trinâ negatione percussus, sed trinâ postea confessione se generosè ultus. Multiplicatæ sunt infirmitates ejus, sed postea acceleravit, dum foras egressus non tantùm flevit amarè, sed etiam apparenti sibi post gloriosam Resurrectionem Salvatori ter animosè contestatus: *Domine tu scis, quia amo te. Vide quantò melior factus est, & moderatior,* (ait S. Chrysostomus) *non amplius temerè perstat in sententiâ*; & cautior, & ardentior effectus. Nunquam Petrus tam cautè, & dextrè trina in hostem amoris tela vibrâsset, nisi priùs incautus trino negationis ictu fuisset vulneratus.

Sic & Petrus.

Ioan. 21. v. 16.

S. Chrys. hom 87. in Ioan.

Et alij peccatores pœnitentes.

Sic

Sic Petri exemplo Augustinus sic Magdalena, sic Pelagia, sic Maria Ægyptiaca, sic Wilhelmus Aquitaniæ Dux, aliiq; innumeri sancti casibus, & vulneribus ad illatam Deo injuriam vindicandam excitati, acriùs bellum redintegrârunt, & postea ita acceleraverunt, ut plurimos in Ecclesia Sanctos, virtute, ac vitæ rigore & sanctitate antecellerent, omnibus peccatoribus ad Deum convertendis exemplo, & terrori hostibus tartareis facti.

VI. Ad debellandum hostem non tam viribus, & generositate, quàm sedulâ vigilantiâ, & circumspectione opus est: Hinc hoste mœnia urbis, aut aggerem violentâ manu conscensuro, mox vigiles ad arma conclamando præsidiarios excitant, concurritur ad arma, telis, gladiis, ac hastis murum scandentes djiciuntur inimici, ac etiam subinde aqua fervens & calida pro lixivio hostium capitibus affunditur. Haud secus si hostes maligni cor hominis occupare attentant, aut jam ipsos muros occuparunt, & antemuralia, externos scilicet sensus, & motus sensuales, tunc ad arma conclamandum. Et quidem (uti Seraphicus meus asserit) *Est pœnitentia sicut clamor contra fures, sicut arma contra hostes.* Et quidem clamor est contra fures, & furtivo pede irrumpentes hostes malignos, *quantum ad Confessionem: Nam sicut ad clamorem fugiunt fures, sic pœnitentia clamosa confessio, vel oratio fugat dæmones*, qui intempestâ quasi nocte, & furtivis armis castrum animæ aggredi conantur, & occupare. Nihil hoc clamore, & confessione peccatorum, hosti formidolosius, qua omnes ejus detegunturmaligna consilia, & insidiæ.

Confessio est, sicut clamor.

S. Bonav. Dict. cit. Cap. 2.

Quo proditur inimicus.

Tetenderat Rex Syriæ in certo loco insidias Israelitis, sed à Propheta Elisæo Rex Israel admonitus præoccupavit locum, & sic elusis, ac detectis insidiis conturbatus Rex Syriæ, proditorem se inter duces suos habere suspicabatur. Sed ab uno sibi astantium procerum didicit, quòd *Elisæus Propheta, qui est in Israel, indicat Regi Israel omnia verba, quæ locutus fueris in conclavi tuo*, sicut igitur per Elisæum omnes hostium conatus irriti facti sunt, ex consiliorum, & insidiarum detectione, sic per Confessionem, in quâ maligni hostis consilia, ac tentationes deteguntur, omnes illorum conatus irritantur, & sicut per clamorem fures, sic per Confessionem maligni hostes fugantur. *Unde* (ait ulteriùs S. Bonaventura) *in figura huius dicitur. 1. Mach. 4. Quòd timore Judæ, qui interpretatur Confessio, repulsi sunt inimici.*

Detegunt. tur insidiæ.

4. Reg. 6. v. 12.

Confessione tumit dæmones.

Est insuper (pergit Seraphicus)

Satisfactio & arma. cus) *Pœnitentia sicut arma, contra hostes, maximè quantum ad satisfactionem, nam satisfactio pœnitentis, sicut jejunium, & eleemosyna sunt quædam pœnitentis arma.* 1. Corint. 10. v. 14. *Nam dicit Apostolus: Arma militiæ nostræ non sunt carnalia, sed (supple) carnem macerantia.* Hæc 1. Corint. 9. v. 26. arma generosè vibravit in hostile tergum Apostolus; *Sic pugno, non quasi aërem verberans, sed castigo corpus meum, & in servitutem redigo.*

S. Bonav. cit. Denique *est pœnitentia sicut aqua calida contra canes, & maximè quantum ad contritionem. Sicut enim cum aqua calida canis eiicitur de coquina, sic cum aqua lacrymarum fervent ium eiicitur diabolus, & peccatum de anima.* Tenacem gerunt canes de culina impressionem, in qua semel ferventi aquâ balneati vix exustâ & calvâ pilis pelle, redierunt, nec minùs dæmones, canes & Cerberi illi infernales calidâ semel contritionis aquâ exusti verentur ad talem ulterius accedere culinam.

Constitutio aqua calida.

VII. Unde ad terrorem dæmonum, hac aquâ calidâ semper a-

Confessio sit frequès nima debet esse instructa, armis satisfactionis semper accincta, & ad clamorem confessionis semper parata: *Clama ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam* Isa. 58. v. 1. *in confessione contra inimicum.* Nec frusta nos hortatur Psal 66. v. 4. Psaltes regius: *Confiteantur tibi populi Deus, confiteantur tibi populi omnes; In quo commendatur frequentia confessionis*, glossatur Hugo Carensis: Maximè enim ex hac vires contra infernales hostes accipit. *Ex voluntate mea confitebor illi*, ait Psalmista, & statim subjungit: *Dominus fortitudo plebis suæ. Acsi apertè diceret, ex voluntaria confessione recipitur* (scilicet fortitudo) ait Seraphicus, qui insuper addit: *Per confessionem adiuvamur utique in tentatione ad triumphum.*

Hugo hic

S. Bonav. serm. 5. Rogat.

Cùm ergo Pœnitentiæ lacrymæ, satisfactionis arma, ac Confessionis clamor maximè ad debellandum malignum hostem nos adjuvent, mirum non est totis viribus ab hoste impugnari hoc satisfactionis armarium, confessionis tubam obtundi, & influxum, atque canalem lacrymosæ contritionis, ac gratiæ sacramentalis abscindi.

Hanc impedire dæmones quærunt.

Holofernes aquæ ductum intercidit Iudith. 7. v. 9.

Subigendæ Civitati Bethuliæ malignum Holoferni submistrarunt consilium Ammonitæ, & Moabitæ, ponendos scilicet custodes fontibus, & intercidendos aquæ ductus, sic sine gladio ad deditionem cogendos fore Hebræos. Eodem stratagemate fideles oppugnare, & expugnare nititur Holofernes tartareus cum suis Ammonitis & Moabitis, intercidendo scilicet aquæ ductum. Quod bene considerat Lyranus: *Per fontem* (inquiens) *qui influebat aquæ ductum in Bethulia, signi-*

Lyranus hic.

Fons est Christus,

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ficatur Christus, qui fons est gratiæ, à quo aquæ ductus gratiæ (maximè autem gratiæ sacramentalis) fluit in Ecclesia. Hunc autem fontem diabolus non potest tangere, sed gratiæ fluxum, prout recipitur in hominibus, frequenter intercidit per peccatum mortale; Et non tantùm per peccatum, sed maximè per negligentem incuriam, & omissionis intercisionem. Si enim frequentia Sacramentorum negligatur, etiam influxus gratiæ sacramentalis (qua maximè anima ad resistendum vitiis confortatur) abscinditur; & sic successivè deficientibus viribus, & influxu gratiæ, ad deditionem cogitur anima. Quare summopere ad conservandum hunc aquæ ductum invigilet Anima Christiana, non ad recreandam tantùm, sed etiam ad lavandam animam. Per hunc enim aquæ ductum nobis ex sanguine suo præparatum, non tantùm fontis, sed etiam balnei nobis utilitatem contulit.

Aquæ ductus gratia sacramentalis.

VIII. Piscinam probaticam commemorat fuisse Jerosolymis Evangelista, *quæ cognominatur hebraicè Bethsaida, quinque porticus habens*. In hanc post aquæ ab Angelo factam commotionem primus descendens, sanabatur à quacunque detinebatur infirmitate. *Piscina* (teste meo Doctore Seraphico) *est pœnitentia, qua lavamur à sordibus peccatorum. .. Quinque porticus, sunt quinque sensus, in quibus jacet, per carnalia desideria, multitudo languentium in mala consuetudine.* O quàm miseri hi infirmi homines morbis & infirmitatibus variis oppressi! O paralytici pigritiâ, cæci per sui ignorantiam, inflati per superbiam, hydropici per avaritiam, febricitantes per luxuriam, phrænetici per iram, apopleptici per gulam, hectici per invidiam, &c. Sed non desperent hi, à quacunque detineantur infirmitate, sola hæc pœnitentiæ piscina curandis omnibus hismalis, & infirmitatibus sufficit.

Piscina probatica

S. Bonav. serm 2. Dom. 4. Pent.

Est pœnitentia.

Sed non sufficit hanc piscinam solam attingere, sed in ea lavari, & non tantùm una vice: Nam sicut æger in medicinale balneum se conferens, vix prima & secunda vice sordes abluet, nec balnei adhuc efficacem sentiet virtutem, sic in pœnitentiæ piscinam se immitens, sordes quidem abluet peccatorum, ut tamen humorum refrigerationem, membrorum contracturam, tumorem, & alias indispositiones longa consuetudine contractas curare possit, frequentiori opus est piscinæ balneo. Hinc Naaman Leproso, non tantùm lotionem in Jordane præcepit Elisæus, sed iteratam lotionem: *Vade & lava te septies in Jordane.* Sic etiam peccatorum consuetudine

Non est tantùm ad lavandum, sed ad confortandum.

4. Reg. 5. v. 10.

tudine infirmatus, non una tantùm vice, sed septies in anno se lavet, necesse est; sic successi-vè noxiis humoribus consumptis nerui confortabuntur, paulatim pedibus insistere, per aliquos passus & dies, sine lapsu progredi, & demum, resumptis totaliter viribus, currendo poterit accelerare, & hostilibus viribus jam non impar & insufficiens, inimicorum non ampliùs pavebit incursus: *multiplicatæ sunt infirmitates eorum, postea accelerauerunt*, gratiâ sacramentali contra malas consuetudines confortati.

Naaman septies lauari debuit.

Sic igitur roborati, ad ulciscendam injuriam factam Deo se erigant, & vertentes terga, per peccati recordationem, civitatem Hai, mundana, & carnalia sua desideria expugnent; amissis licet capillis divinæ gratiæ non desperent, sed iis per Dei misericordiam succrescentibus, divinum implorent auxilium, ad vincula, & portas æreas peccatorum confringendas; Post lapsum acriores ad pugnam redeant, & vim suscitent iræ per arma pœnitentiæ, quæ ad subjiciendos exactores suos, & capiendos eos, qui se ceperant, adjuvant, *& fient similes mei.* His itaque armis instructos gratiâ sua adjuvabit Deus ad triumphum, & post lugubres clades & lapsus adducet diem consolationis, & liberationis, quo ex Babylonica dæmonum captivitate egressuri, in cœlestem revertentur Jerusalem, ibi perfecta libertate, ac quiete fruituri per sæcula, Amen.

DISCURSUS XLIX.

Schin.

Omnes inimici mei audierunt malum meum, lætati sunt, quoniam tu fecisti. *Thr. 1. v. 21.*

DE ECCLESIA.

Dolet Ecclesia, quòd fideles tam parum sibi invicem compatiantur, & supportent.

Vulturum olfactus.

1. ODoratum intensissimum habent vulturres, ita ut cadaverũ odorem etiam ex longinquis locis concipiant; Nam ut Bartholomæus Anglus testatur, existentes ultra mare sentiunt cadavera ex ista parte,

Facit ad volare ad cadavera.

& è converso : Unde exercitum vultur sequitur, ut hominum, & equorum cadaveribus satietur: Qui insuper addit esse (secundùm augures) futuri prælii præsagium, si multi vultures conveniant, & simul circumvolent.

Hug. Card hic.

Sicut ergo vultures ad cadavera eorum odore trahuntur, sic homines duri & invidi ad infortunatos aliorum casus; *Sicut vultures* (ait Hugo Cardinalis) *citò sentiunt cadavera, sic detractores citò cognoscunt aliena mala, & non sua.* Hinc ergo desolata conqueritur Filia Sion: *Omnes inimici mei audierunt malum meum, lætati sunt, quoniam tu fecisti.* Quasi diceret, advolâsse inimicos suos ad odorem cadaverum suorum, sicut vultures, iisque quasi fuisse delectatos, utpote qui non suæ compati noverint infirmitati, sed ultricem tantùm optare divinæ Justitiæ manum, ut indiscreto zelo, modò percutere in gladio, modò ignem de cœlo advocare statuant, & quasi filii tonitrui nullis compati infirmitatibus sciant, percutere tantùm, vindicare, & delinquentes extinguere parati. Quam indiscretam, & asperam vulturum speciem etiamnum inter suos fideles deplorat afflicta Ecclesia, tales exoptans habere filios, qui, non vultures, sed gallinæ, exemplo benegnissimi Salvatoris, aliorum portare, & supportare infirmitates, & fragilitatibus compati nossent, quod qualiter fieri debeat, in præsenti declarabo.

Invidiosi, & detractores vultures.

Hos abominatur Ecclesia

Benigno ac mansueto Pastori se Dei Filius comparat Luc. 15. qui centum habens oves, si perdiderit unam ex illis, vadit, percurrit desertum, anxiâ sollicitudine quærit, donec inveniat eam; Et cùm invenerit, nunquid ira in illam excandescens percutit, aut ad macellum pertractam jugulat? Imò verò, *imponit in humeros suos gaudens, & veniens domum convocat amicos, & vicinos dicens illis: Congratulamini mihi, quia inveni ovem meam, quæ perierat.* Magnum hîc exoritur dubium, & admiratio, cur Pastor liberè errantem, & à pastore petulanter aberrantem ovem majori prosequatur affectûs teneritudine, quàm nonaginta novem alias, quæ non errârunt? Sed magis adhuc admiratione dignum, quòd in ipsa parabolæ explanatione declarat divina Sapientia, *Quòd ita gaudium erit in cœlo super uno peccatore pœnitentiam agente, quàm super nonaginta novem justis, qui non indigent pœnitentiâ.* An ergo tam exiguo apud Deum loco justi? An ita de ipso bene meriti, aberrantes peccatores, & oves, ut mereantur portari humeris, & majori foveri amoris affectu?

Luc. 15. v. 4. *Pastor bonus.*

Errantem ovem imponit humeris.

Cur errantem fovet affectu Justus?

Pulchrè

Pulchrè huic dubio occurrit Hugo Cardinalis, hanc à Christo parabolam ad reprimendam Pharisæorum superbiam fuisse introductam docens, *qui videntes proximos errare, dedignabantur à via erroris eos revocare: Si enim pastor in tantùm se humiliat, ut ovem errabundam ad ovile dignetur reducere imò propriis humeris reportare ad gregem, longè magis ipsi debent proximos errantes revocare*, & non oves suas errantes optare mactandas, & cremandas. Hoc indiscretionis spiritu etiam olim ducebantur Apostoli, qui contra Samaritanos, Christum recipere recusantes, indignati, dixerunt: *Domine vis dicimus, ut ignis descendat de cœlo, & consumat illos.* Hos autem durè increpavit Magister mansuetudinis; *Nescitis, cujus spiritûs estis; Filius hominis non venit animas perdere, sed salvare.* Salvari autem commodiùs possunt, & emendari mansuetudinis spiritu, & compassione, quàm furioso zelo Heliæ, qui ignem de cœlo descendentem provocat in ultionem. Unde etiam Christus Discipulis percutiendi in gladio veniam rogantibus dixit: *Sinite usque huc.* Et apud S. Matthæum: *Converte gladium tuum, in locum suum, omnes enim, qui acceperint gladium, gladio peribunt.* Gladium Phinees, & ignem Heliæ in lege gratiæ proscribit Christus, non jugulando, & cremando perdere, sed mansuetè, & humiliter portando, & supportando, oves suas errantes salvare desiderans: Neque indignari debent justi, errantibus & infirmis ovibus, majora quàm sibi, exhiberi charitatis, & compassionis beneficia.

Hug. Card hic.

Quia optat eã non perire.

Spiritum mansuetudinis nos docuit Christus

Luc. 9. v. 54.

Non spiritum Heliæ.

Luc. 22. v. 49. Math. 26 v. 52.

III.

Quòd Hugo Cardinalis pulchrâ declarat similitudine: *Sicut mater decem habens filios, si decimus ægrotat, magis est sollicita de eo, quàm de aliis novem, non tamen plùs illum diligit. Ideò distingue inter affectum charitatis, & effectum: Non enim de affectu charitatis est, quòd de ægro magis est sollicita, quando majori affectu diligat aliquos aliorum; de effectu tamen charitatis est. Quia licet aliquos aliorum majori affectu charitatis diligat, charitas tamen efficit, ut, quia hunc videt ægrotantem, magis de eo sit sollicita.*

Mater ægrotitio

Maiorem exhibet effectum charitatis

Ex quo patet, etiam à Pastore non majori charitatis affectu ovem errantem & peccatricem diligi, quàm obedientem, & justam: esse verò de effectu charitatis, quòd amissam quærat, reducat, & in humeris portet, quia teste Doctore Mellifluo: *Meliori major affectus magis indigenti, major tribuendus effectus*, siquidem infirmi salus, & non interitus desideretur.

Non affectum.

S. Bernard apud Hug.

Qui aurea portat vasa, vel argentea, parum de illis integris conservandis sollicitus est, cùm enim ex solidâ sint confecta materiâ, tantam bajuli curam

Minor cura in portandis vasis aureis

ram non requirunt ; Qui autem vasa portat testea, vitrea, & fragilia, cum summo incedit timore, cura, ac sollicitudine: nam imprimis studiosè ea in cista componit, interjecto hinc inde fæno, aut stramine distincta, ne invicem se offendendo lædant; Si constitutus in via vel minimum audiat in cista strepitum, mox sistit gradum, modestè deponit in terra cistam, firmat reclinatã ad parietem, ne cadendo ruinam faciat fragili materiæ; dicooperit, inspicit, tinnitũ attendit, ubinã se invicem pulsantium vasorum periculum immineat, ad præcavendum damnum, novum rursus interponit fænum, & omnibus iterum ritè compositis, onus eâdem, qua deposuit modestiâ, in humeros suscipit, omnibus semper sensibus fragili merci & sibi invigilans, ne ipse fortè aut impingendo, aut vacillando, aut cadendo ruinæ causam præbeat, cùm tamen alter vasa argentea, aut aurea portans, animosa semper securitate, & quasi incurius incedat. Ex hoc tamen nulla ratione sequitur, majorem apud homines erga testam, aut vitrum, quàm aurum, & argentum, esse affectum, his utique, magis quàm illis inhiantes, & toto mentis affectu, & ardenti amore adhærentes, sed quoniam illa fragilia sunt, & infirma, magis indigenti major tribuendus est effectus, major sollicitudo.

Quàm vitrea.

Tamen aurum plus amatur quàm vitrum.

IV.

Sunt homines vasa sacra, in quibus magnus divinæ gratiæ, imò ipsius sanguinis Christi thesaurus reconditur. Hæc vasa erant in primitiva Ecclesia aurea, in amore solidata, nullis cedentia casibus, aut duris martyriorum, ac tormentorum ictibus; argentea erant vasa, non tam in puritate vitæ, quàm patientia, sancti Confessores, ad duras quasuis & asperas injurias immobiles, sed; prô dolor, sicut indies inter Christianos amor, ita & tolerandi decrescit firmitas, & crescit infirmitas, augetur fragilitas : *Filij Sion inclyti, & amicti auro primo, quomodo reputati sunt in vasa testea, opus manuum figuli.* Quod etiam Doctor meus Seraphicus deplorat: *Non vasa aurea, sed quasi lutea sumus, qui tam citò per impatientiam, vel per alterius tentationis impulsum frangimur.* O bone Deus, quàm lutei, quàm vitrei sumus ! Vix tangimur verbo minùs honorifico, & reverentiali, & jam movemur: Vix pulsat aures vel levis injuriæ aura, & jam strepitamus, in utramq; partem hinc inde strepitando in alios impingimus, patientiam & nostram, & sociorum frangimus; Ita vitrea est etiam inter amicos conjunctissimos, imò ipsos conjuges charitas, ut

Olim Christiani vasa aurea.

Thren. 4 v. 2.

Nunc lutea, & vitrea,

S. Bonav. serm. 3. de S. Anton. Pad.

levi

Quivis verbo frangitur.

levi verbo, etiam per jocum prolato lædatur, & rumpatur: Et ex uno verbo sæpe tantus excitatur strepitus, ut omnes per eam vicini excitati, vix componendæ, & redintegrandæ charitati, pacíque sufficiant. Tam delicati & vitrei sumus, ut Majores, Superiores, & Magistratus omni suo studio sufficientem cautelam vasorum integritati conservandæ vix adhibere valeant: Et siquidem (uti in germanico nostro jactatur proverbio) quis alterum Romam usque modestissima sollicitudine ferat, & minùs leniter deponat, jam totius impensi laboris, & diligentiæ memoria, & recognitio evanescit, & novus remurmurationis, ac indignationis strepitus exoritur, vasis per impatientiam fractis, quæ vel levem portantium, aut sibi cohabitantium motum ferre non possunt. Appositè ad propositum nostrum S. Augustinus: *Sumus homines fragiles, mortales, infirmi, lutea vasa portantes, quæ faciunt invicem angustias.* Sed quid faciendum vasis istis angustiatis? An adhuc magis angustianda, & premenda? Imò verò, respondet S. Doctor, *si angustiantur vasa carnis, dilatentur spatia charitatis*, per compassionem scilicet, & benignam defectuum tam naturalium, quàm moralium supportationem, ad præcavendam majorem animæ ruinam.

Quàm leniter portanda?

S. August serm. 10. de verb. Domini.

Dilatentur spatia charitatis

V.

Et hoc est, quod monet Apostolus: *Fratres si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui spirituales estis, hujusmodi instruite in spiritu lenitatis.* Non angustiate, non confringite illum in spiritu igneo Heliæ, sed compassivè illum supportate in spiritu mansuetudinis Christi, qui infirmitates nostras portavit, & supportavit, *considerans teipsum ne & tu tenteris;* Non enim nos tanquam ex ære fusos æstimare debemus, sed æquè fragiles & vitreos, unde ex nostræ fragilitatis consideratione proximorũ fragilitatibus compatiendi, eósque supportandi majorem habemus causam, adeóque concludit bene Apostolus: *Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi*, hoc est, (uti Cornelius ad mentem Teoph. Anselmi, & Chrysostomi exponit.) *Infirmitatum mutuarum pondera ferte, & vicissim tolerando, eis compatiendo;* Idem insinuare videtur Angelicus; *Defectum alterius corporalem, seu spiritualem tolerando.*

Gal. 6. v. 1.

Alter alterius onera portet.

Gal. 6. v. 3.

Cornelius hic.

S. Thom. in Epist. Pauli hic

Exemplo rem declaro: In communi conversatione sit unus, qui incultus moribus, inurbanus in verbis, & gestibus, alter modestus, morigerus, & compositus inveniatur, sed fortè loquacitate, aut affectatis verborum ornatibus, & jactantiis molestus: istius alteri gravis est curialitas, & loquacitas,

Quivis suos habet Defectus.

huic

huic molesta est alterius rustica inurbanitas: Quid his remedii? Alter alterius onera, defectus scilicet corporales, portet, hic inurbanitatem, alter excessivam civilitatem. Unus ad iracundiam promptus, subitis exardescit motibus, vivus, sensitivus; alter naturæ tetricæ, tardæ, & somnolentæ, hæc diversa genia sibi invicem sunt contraria, juxta illud Horatii:

Humores sibi contrarij.

Oderunt hilarem tristes, tristémque jocosi,
Sedatum celeres; gnavúmque remissi.

Ut ergo invicem pacem conservare possint, unusquisque consideret seipsum, & alter alterius onera portet. Sic etiam inter conjuges subinde reperias uxorem, bonam quidem œconomam, in rebus domesticis, & liberis curandis sedulam, sed quæ linguam habeat præcipitem, venenatam instar serpentis: Maritus laboriosus, sed asper, & bibulus, qui dum subinde ex taberna redit temulentus, mordacibus verbis excipitur ab uxore, mordacis uxoris verba ferre non sustinet maritus, nec uxor temulentiam mariti; Quid hinc exoritur, nisi fragilium vasorum strepitus, quæ colliduntur, & franguntur invicem per impatientiam, faciunt invicem angustias. Quid remedii? Nullum, nisi ut alter alterius onera portet. Alteruter fortè est infirmus, ac debilis viribus, qui multo indiget labore, & subsidio; alter sanus quidem, sed aut piger, aut luridus, & incurius, faciunt invicem angustias; Sed si angustiantur vasa carnis, dilatentur spatia charitatis; Alter alterius onera portet.

Inter conjuges.

Advertit tamen Angelicus VI. Doctor cit. *Sed contingit, aliquem onus alterius non portare.* Et hoc, prô dolor, frequenter nimis contingit: At unde hoc? *Quia se præfert aliis*, ait præfatus Doctor: *Unde dicebat ille Luc. 18. Non sum sicut cæteri hominum*, qui se meliorem cæteris hominibus judicat, & *existimat se aliquid esse, cùm nihil sit, ipse se seducit*, nec scit compati, (uti angelicus infert) *quòd alienos, & non suos defectus consideret*: Quare optimum hac in parte remedium præscribit idem Angelicus: *Remedium autem vitandi, est propriorum defectuum consideratio*, hæc enim maximè alienos defectus suadebit tolerandos.

Alterum non supportat.

Qui pro priis defectus non considerat.

Hoc etiam confirmat Magnus Gregorius: *Considerata infirmitas propria, mala nobis excusat aliena: Patienter namque illatam injuriam tolerat, qui piè meminit, quòd fortasse adhuc habeat, in quo debeat ipse tolerari.* Videas subinde aliquem ad aliorum defectus exardescere, tabescere, & ignem de cœlo in vindictam provocare, nescientem infirmitati

S. Greg. 5. Moral. c. 31.

Psal. 118. v. 139. mitati compati, quia *tabescere me fecit zelus meus*: Hic si etiam suarum meminisset infirmitatum, ardentem utique restringeret dolorem, mitiore uteretur phlegmate, dilataret spatia charitatis, & compassionis, si etiam in se digna compassione agnosceret; Alterius sustineret onera, si & sua ab aliis portanda considaret. Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi.

Feramus, ut etiam nos feramur.

Ly *adimplebitis*, idem secundùm Expositores dicit, ac readimplete, denuo implete, vel simul ac communiter omnes implete; (uti Cornelius asserit) ut scilicet, quod alterius cholerâ, vel delicto diminutum fuit, in legis observatione, id aliorum farciat charitas. Sic, ut quisque, quod proximo deest in implenda lege, suppleat suâ tolerantiâ, & charitate, legem implendo. v. g. Qui verbis asperis, & cholericis proximum offendit, violat legem, quæ dicit, diliges proximum tuum; si proximus hoc vitium patienter ferat, condonet, compatiatur, supplebit id, in quo alter defecit, & pro eo implebit legem, quæ dicit, diliges proximum tuum. Hoc insuper medio per amoris & compassionis exemplum, humiliter, & charitativè supportatus proximus, ad ovile portabitur, & à ruina conservatus, revertebitur benignum suum portatorem. Quare hortatur nos Apostolus: *Debemus ergo nos firmiores, imbecillitatem aliorum supportare.* Rom. 15. v. 1.

Cornelius hic.

Quomodo lex per hoc adimpleatur?

Monet Seneca, quòd *societas nostra, lapidum fornicationi est simillima, quæ casura, nisi invicem obstarent; hoc ipso sustinentur, quo scilicet sibi obstant, ac se invicem premunt.* Ubi tamen maximè notandum in fornice, firmiores lapides, infimo loco collocari, leviores, & infirmiores loco superiori, ut scilicet illi horum pondus valeant sustentare; Firmioris enim est, infirmiorem portare. Firmiores igitur ab Apostolo illi dicuntur, qui in spiritu magis fundati, radicati, & firmati sunt, tanquam lapides angulares ad portanda aliorum infirmitatum onera robustiores, quod enim fortius est, infirmius sustinere debet.

VII. Seneca Epist. 95.

Communitas sicut fornicis.

In humano corpore partes sunt Hetherogeneæ, & diversæ sortis; constat enim ossibus, nervis, carne, &c Caro, mollis & infirma totam corporis sustinere molem non valeret, corpus enim ex sola formatum carne, haud secus subsideret, & sibi ipsi incumberet, sicut massa mollis luti; Ossa autem, quæ duriora sunt, & firmiora, sustentare carnis ponduș nervis colligatum facilè possunt, firmámque ac stabilem faciunt structuram.

Debiliores sunt sicut Caro

Firmiores sunt ossa, Sic etiam in corpore mystico fidelium, membra & partes sunt valde diversæ; sunt enim aliqui molles & infirmi instar carnis, qui seipsis subsistere non possunt, aliorum subsidio indigentes: Alii firmiores sunt, sicut ossa, & hi firmiores imbecillitatem aliorum supportare debent; Quod probè insinuat S. Basilius: his verbis, *quemadmodum ossa ingenitâ sibi vi prætenerâm carnis mollitiem suffulciunt, & pressiùs contrahunt; itidem sunt in Ecclesia quidam, qui possunt suâ ipsorum constanti firmitudine, debilium fulcire, & ferre imbecillitatem.*

Basilius in ps. 33.

Qui alios fulciunt.

Ex hac supportandi firmitate, vel infirmitate, animæ virtus, & perfectio, aut imperfectio mensuratur. Optimè Cassianus: *Evidens indicium est animæ necdum vitiorum fæcibus elinguatæ, in criminibus alienis, non affectu misericordiæ condolere, sed rigidam judicantis tenere censuram ... Ideóque iisdem vitiis monachum subjacere certissimum est, quæ in alio, inclementi, atque inhumanâ severitate condemnat.* Docet enim experientia, nullos proximis minùs scire compati, quàm illos ipsos, qui eisdem infirmitatibus sunt subjecti, & necdum in perfecta justitia roborati; *Quia vera Justitia* (ait Magnus Gregorius) *compassionem habet, falsa Justitia dedignationem. Quamvis & rectè justi solent peccatoribus dedignari: Sed aliud est, quod agitur typho superbiæ, aliud quod zelo disciplinæ.* Et tamen etiã hunc disciplinæ zelũ quivis etiam moderari debet spiritu mansuetudinis, considerans seipsum, qui suos etiam patitur manes, & vermiculos.

Cassian. coll. 11. c. 11.

Qui alios nescit supportare

Infirmitatem suam prodit

Gregor. hom. 34. in Evang.

Hortatur Isaias, & animum addit: *Noli timere vermis Jacob.* Quis iste vermis Jacob? Historicè intelligunt Expositores de afflictis per Assyrios Judæis, allegoricè de Apostolis. At Rupertus Abbas secretiorem hinc eruit moralitatem, dum notat Jacobum magnum Patriarcham multos filios, vnicam autem filiam genuisse, & hæc unica & sola filia fuit quasi vermis Jacob, magnis afflictionibus, & tristitiis cor ejus replens, & corrodens. *Sic nimirum viri apud Deum magni, cùm multas habeant virtutes, multósque filios spirituales, aliquam quasi habent filiam, id est, infirmitatem occultam, pro qua quis humiliatur coram domino, & vermis est, & Jacob.*

VIII. Isa. 41. v. 14.

Vermis Jacob fuit eius filia.

Rupertus Abb. lib. 12. in Mat tom. 3.

Infirmitas spiritualis.

Qui ergo hunc vermiculum rodentem sentit, & agnoscit, considerans seipsum etiam aliorum vermiculos patientiùs & leniùs pro virtutis exercitio supportat, cùm hæc eadem sit ratio, cur Deus ejusmodi filiam infirmam, & vermem, etiam in magnis suis famulis, aut famulabus relinquat.

S. Gertrudi revelavit Dominus,

minus, ac dixit. *Permitto inhærere aliquos defectus etiã illis, qui præsunt, ut inde meritum congregationis augeatur, nam multò major virtus est subjicienti ei, cujus defectus cognoscitur, quàm alteri, cujus opera per omnia probata videntur. Ego sino Superiores habere aliquos defectus, & ex diversitate curarum quandoque maculari, ut magis humilientur. Subditarum meritum crescit tam ex defectibus, quàm ex profectibus earum, quæ præsunt, & similiter meritum earum, qui bene præsunt, crescit tam ex defectibus, quàm profectibus subditarum.* Dum enim utrinque suos quisque vermiculos considerat, non tam alios leniùs supportabit, quàm supportando meritum cumulabit.

Blosius in Monili spir. c. 4.

Deus defectus relinquit etiam in superioribus,

Et in subditis

Ad mutuum exercitium.

IX. Maximè hoc supportandi, & compatiendi exercitium fidelibus commendat devotus Thomas de Kempis: *Stude patiens esse, in tolerando aliorum defectus, & qualescunque infirmitates, quia & tu multa habes, quæ ab alio oportet tolerari; Si non potes te facere, qualem vis, quomodo poteris alium habere ad tuum beneplacitum? Libenter volumus alios perfectos, & tamen proprios non emendamus defectus; Volumus, quòd alii strictè corrigantur, & ipsi corrigi nolumus. Displiacet larga aliorum licentia, & tamen nobis nolumus negari, quod petimus. Si essemus omnes perfecti, quid tunc haberemus ab aliis pro Deo pati? Nunc autem Deus sic ordinavit, ut discamus alter alterius onera portare, quia nemo sine defectu, nemo sine onere, nemo sibi sufficiens, nemo sibi satis sapiens: Sed oportet nos invicem portare, invicem consolari, invicem adjuvare, instruere, & admonere.* Ita aliorum vermiculos leniter curemus, ut quantum possibile est, aburendo, & secando abstineamus, considerantes nosmetipsos, quòd fortè & nobis nostri non desint vermiculi Jacob.

Thom de Kempis. l. 1. c. 16.

Quod in nobis emendare non possumus.

Nolumus supportare in aliis.

Sic itaque *supportantes invicem cum charitate*, & mutuò compatientes adimplebimus legem Christi, & tanquàm cooperatores alienæ salutis, etiam meritorum, & gloriæ nos participes erimus, & sicut nos proximi, ita nostras supportare, ac condonare defectus, & debitas pœnas avertere etiam benignissimus Deus dignabitur,

Amen.

Ephes. 4. v. 2.

DISCVRSVS L.

Schin.

Audierunt, quia ingemiſco ego, & non eſt, qui conſoletur me... Adduxiſti Diem Conſolationis. *Thren. 1. v. 21.*

DE ANIMA.

Magna Animæ pœnitenti conſolatio eſt, quòd Deus miſericors, quantumvis enormibus peccatoribus veniam & miſericordiam exhibere paratiſſimus eſt.

I. AUdierunt, *quia ingemiſco ego*; Nempe inimici animæ peccatricis, audierunt gemitus, & afflictionem illius: *Audierunt malum meum, & lætati ſunt*, eò quòd afflictæ animæ nulla auxilii, aut conſolationis ſpes affulgeat. Prout hunc locum explicat de anima S. Hieronymus:

S. Hieron. hic. *Anxianti animæ, & laboribus afflictæ, hoc videtur eſſe augmentum doloris quòd ille, in quo ſpem habuit conſolationis, differt opem afferre ſolatii. Nec non & hoc maximè illi dolorem ingerit, quod eam inimici deridentes, quaſi ſpe fruſtrata, à Domino ſuo hanc haberet calumniam.*

Sed hanc inimicorum inſultantium fraudem attendere non debet anima pœnitens, quæ modò inordinatâ, & præſumptuoſâ nimis ſpe, modò deſperatione in peccata ab hoſtibus præcipitatur. Nam ut (bene monet S. Auguſtinus) ex dæmonum inſtigatione anima, *deſperat, ut peccet; ſperat ut peccet.* Sperat, ubi deſperandum foret, deſperat, de quo foret ſperandum. *Vtrumque* (ait præfatus Doctor) *metuendum eſt, utrumque periculoſum: Væ à deſperatione, væ à perverſa ſpe.* Perverſa ſpes illorum eſt, qui de die in diem pœnitentiam procraſtinantes, ſemper pœnitentiæ tempus & locum ſibi abundanter

Quæ mala ſp. 1.

S. Auguſt. pſal. 144 v. 8.

Quæ mala desperatio?

ter supereſſe ſperant. Perverſa deſperatio eorum eſt, qui tanta ſua credunt eſſe peccata, ut de Dei miſericordia (inſtigante fraudulenter inimico) diffidant, atque deſperent: *non eſt, qui conſoletur me, &c.* Sed noverint iſti, & conſolentur, quoniam *miſerator, & miſericors Dominus, patiens, & multùm miſericors: Suavis Dominus univerſis, & miſerationes eius ſuper omnia opera eius.*

Pſal. 144 v. 8.

II.

Negari quidem non poteſt, omnia Attributa æqualiter eſſe in Deo, quæ nullatenus realiter, imò neque actualiter formaliter ab invicem diſtinguntur: æquè enim in illo eſt Juſtitia, ac Miſericordia, & æquè juſtus eſt Deus ac miſericors, attamen ad extra vario modo hæc duo attributa in homines exercentur. Juſtitiam enim, puniturus, non niſi juſtè peccatis noſtris irritatus exercet, quod pulchrè Doctor melliſluus declarat: *Ex ſe enim ſumit materiam, & velut quoddam ſeminarium miſerendi, miſerendi cauſam, & originem ſumit ex proprio, judicandi, & ulciſcendi, magis ex noſtro.*

Iuſtitiam Deus irritatus exercet.

S. Bern. ſerm. 1. vigil. Nativ. Dñi.

Miſericordiam ex ſeipſo.

Unde etiam in ſacra Scriptura multoties juſtitia Deo per modum adjacentis tantùm tribuitur, & comparatur, quia materiam ulciſcendi ſumit ab extrinſeco; Sic Iſaias vocat juſtitiam, *Cingulum lumborum eius*; Et rurſus: *Indutus eſt iuſtitiâ, ut loricâ, indutus eſt veſtimentis ultionis, & opertus eſt quaſi pallio zeli.* Miſericordia verò, ipſis quaſi præcordiis, & viſceribus Dei inhærens deſcribitur: *Per viſcera miſericordiæ*: Et Iſaias exclamat: *Ubi eſt zelus tuus, & fortitudo tua? multitudo viſcerum tuorum*, hoc eſt (notat Cornelius) ut explicans ſubdit, *miſerationum tuarum.* Miſericordia enim ipſum cor divinum, tanquam miſerendi ſeminarium attingit.

Iſa. c. 11. v. 5.

Iſa 59. v. 17.

Luc. 1. v. 78.

Iſa. 63. v. 15.

Advertit S. noſter Antonius Paduanus, quòd *appellata miſericordia, eò quòd Cor miſerum faciat, dolendo alienam miſeriam. In Deo verò, ſine cordis miſeria* eſt miſericordia, ſine paſſione, & compaſſione. Ut autem in Deo plena inveniretur, & compaſſivè miſericordia, *debuit per omnia fratribus ſimilari, ut miſericors fieret*, aſſumendo ſcilicet humanæ naturæ infirmitates, & miſerias, ut ſic verè nobis compati, & corde miſero, ac compaſſione vulnerato, ſe miſericordem per omnia exhibere nobis poſſet.

S. Anton. 1. ad Dom 4. Trinit.

Hebr 2. v. 17.

Miſericordia à corde miſero ſic dicta.

Hinc ergo Dei Filius de cœlo ad terram deſcendit, ut corde miſero patiens, & compatiens perditæ centeſimæ oviculæ, humanæ naturæ, eam quæreret, quæſitam inveniret, inventam humeris imponeret. Hic ille, Pater miſericors, qui vagabundum & prodigum filium, redeuntem amplectens, viſcera miſeri-

Confidentia Dei erga peccatores.

sericordiæ illi exhibet, in collum procumbens, peccata tegit, novâ gratiæ stolâ vestit, & annulo fidei, & charitatis rursum sibi devincit, omni abolitâ prioris offensæ, & injuriæ memoriâ. Nam uti illuminatus Ioan. Thaulerus testatur; *Deinceps inter Deum, & hujusmodi pœnitentem peccatorem tam perfecta suboritur fidelitas, acsi peccata commissa non essent, támque bonus, & super omnem æstimationem pius est Dominus, ut, quæ semel condonavit, nunquam ei improperare, nec ullum propter ea dispendium, sive pœnam, eum sustinere velit.*

Ioann. Thaul. Instit. c. 1

III. Ubi etiam de benigno Patre, prodigum filium recipiente, accuratè observat Petrus Chrysologus. *Huc enim ille, non dixit, unde venis? Fuisti ubi? Vbi sunt, quæ tulisti? Quare tantam gloriam tantâ turpitudine commutâsti? Videris, quia delicta non videt vis amoris, tardam misericordiam Pater nescit; delicta qui discutit, prodit.* Ulteriùs si benignissimi Dei ac Patris nostri clementiam agnoscere velis, audi adhuc facundè eam deprædicans aureum eloquentię flumẽ. *Sic Pater iudicat sic emendat, sic peccanti filio dat oscula, non flagella. Delicta non videt vis amoris; & ideò Pater peccata filij redemit osculo, clausit amplexu, ne nudaret pater filij crimina.* Nec tibi molesta sint, benigne lector, longiora, & ponderosa, sed aurea verba Antistitis Ravenatis, quibus demum nos hortatur. *His auditis adhuc moramur? Adhuc non redimus ad Patrem? Quæ his excusationis occasio? Hîc simulatio quæ timoris? Nisi fortè timetur occursus? Terret osculum? deturbat amplexus? Claudit gremio. Ligat lacertis.* O verè diem consolationis, quam animæ afflictæ expulsis peccatorum tenebris induxit Deus misericors: *Hæc est dies, quàm fecit Dominus. Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia eius.*

Petr Chrysol. serm. 3.

Pater non exprobrat filio prodigo.

Psal. 117. v. 1.

IV. Crescit misericordia ex miseria patientis, & ex miseria cordis compatientis, quod compatiendo, non se vinci sustinet patiendo, concertans, & compatiens cum patiente, non tam compassionis affectu, quàm remediorum effectu. Perfectum hunc compassivæ, & curativæ misericordiæ affectum, & effectum exhibuerat Samaritanus ille benignissimus, qui Jerusalem inter & Jericho vulneratum hominem, à Levitis, & Sacerdotibus prætereuntibus neglectum videns, *misericordiâ motus est, & appropians alligavit vulnera eius, infundens oleum & vinum, & ponens illum in iumentum suum, duxit in stabulum, & curam eius egit.* Quis iste Samaritanus misericors, nisi Cœlestis Medicus Christus JESUS? qui vulneratum compatienter respicit, nec præterit peccatorem, ab omnibus, etiam ipso

Christus Samaritanus.

Luc. 10. v. 33.

mundo

Hug. Card. in c. mundo, cui servierat, neglectũ; alligat vulnera, *peccata dimittendo*, infundit oleum, *spem beatitudinis æternæ*, vel oleum infundit *gratiam conferendo*, & vinum, *spiritualem lætitiam conferendo*, exponit Hugo Cardinalis; Insuper vulneratum, super jumentum suum imponit, id est, *super Carnem suam propriam vulnera nostra pertulit, id est, pœnam pro peccatis*. Considerat Drogon Cardinalis, quibusnam fasciis, & linteaminibus cœlestis ille, & misericors Samaritanus vulnera nostra alliget, & alia non videt, quàm consciissæ, & laceratæ carnis suæ vulnera, *Hæc sunt linteamina* (ait ipse) *mundissimæ carnis tuæ, quibus vulnera mea alligasti, ô Samaritane misericors, quoniam verè languores nostros ipse tulisti, & labores nostros ipse portasti, cujus livore sanati sumus*. Livores hujus Samaritani, sunt emplastra vulneratæ, & pœnitentis animæ; Languores illius, sunt hujus confortativæ medicinæ, vulneratæ carnis vulnera, sunt hujus ligamina, oleum & vinum, & unguenta curativa, ebulliens ex aperto latere Crucifixi sanguis.

Vulneribus suis alligat nostras plagas

Drogon. Cardin.

Sanguinẽ nostru instillat piagu

Ut ergo anima peccatis lethalibus vulnerata curetur, & pristinum Sponsæ candorem & decorem recuperet, applicari sibi patiatur à cœlesti Samaritano Sanguinem sacratissimum, *nam* (teste meo Doctore Seraphico) *Sanguis Christi ornat genas ejus, ut Christi forma sit pura Christi sponsa*. Ut autem plenam recipiat sanitatem anima peccatrix, *applicat cor suum* (ait Seraphicus) *vulneribus sponsi, perligat, & signat indissolubili vinculo charitatis, & sic colligatur vulnerata sponsa, cum vulnerato sponso, & vulnus vulneri copulatur. Emanat sponsi sanguis in vulnera sponsæ, & ipsa deficit dolore, amore liquescit, ibique requiescit*. O Seraphica, & digna Seraphico Doctore verba! O magna humani generis vulnera, sed majora cœlestis Samaritani medicamenta!

S. Bonav. stim. amoris p. 1. c. 7.

Anima pœnitens applicet se ad vulnera Christi.

V.

Quæ vulnera, quæ infirmitates tam graves, quæ sanguinis divini applicatiõe nequeant sanari? Currite gentes undiq; festinate ægri, appropinquate infirmi, demittite de tectis languidos; nullum languoris diuturnitas, nullum infirmitatis gravitas, nullum plagæ horribilitas, nullum absterreat peccatorum enormitas desperata.

Saulus æger desperatus Act. 9. v. 1.

Periculosus æger, obstinata pressus infirmitate, erat *Saulus spirans minarum ac cædis*, ebulliebat ex ore, & naribus sanguis, fremebat quasi phræneticus; tam desperatus Ananiæ hic videbatur infirmus, ut de ipsius salute nec minimam spem conciperet, medicam ab illo manum aversurus. *Domine audivi à multis de viro hoc, quanta mala fecit sanctis tuis in Jerusalem.*

Despe-

Desperaverat penitus de salute Saulis Ananias: sed factu-
Sanatur à Christo. rus artis suæ periculum cœlestis Samaritanus, totíque mundo specimen daturus efficacissimæ suæ misericordiæ, tam perfectè, tam solidè, tam constanter desperatum hunc sanavit ægrum, Saulum, ut ne cicatricis quidem relictis vestigiis, nec in firmitatum reliquiis, tam perfecta posthac gauderet sanitate, ut totum posthac peragrando orbem, salutem ipse operaretur in universis gentibus, ex
Vt alij nõ desperent magno & desperato infirmo, magnus & famosissimus effectus medicus & *Doctor Gentium.* Contemplatur seriò hanc desperati infirmi felicem curam Augustinus, etiam de sua salute jam majorem, imò certam
S. August. serm 9. de Verb. Apost. spem concipiens. *Si Saulus sanatus, ego quare despero? Si à tanto medico tam desperatus æger sanatus est, ego vulneribus meis manus illas non aptabo? Ad illas manus non festinabo? Vt hoc dicerent homines, ideò factus est Saulus de persecutore Apostolus.* Nec mirum videatur, desperati hujus ægri curam Christum statim in primitiva suscepisse Ecclesia, ad faciendam sibi auctoritatem, &
Medicus cœlestis vult sibi comparare famam alliciendos ad curam ægros. Ita Augustinus: *Quia cùm venit Medicus volens sibi famam comparare, infirmum quærit aliquem desperatum, & ipsum sanat; & si pauperrimum invenerat, non sibi quærit mercedem, sed commendat artem; Ita etiam Christus, specialis medicinæ potentiam ostendit, in sanando Saulo, ut omnes deinceps nossent, se sanare posse cunctas infirmitates omnium confugientium ad se.*

Non mercedem artis suæ VI.
quærit hic Samaritanus, sed gratis omnia, & ex amore libe- Cant. 8.
raliter impertitur. *Si dederit ho- v. 7.
mo omnem substantiam domûs suæ pro dilectione, quasi nihil despiciet eam:* Medicus suum elargitur *Gratis curat.*
sanguinem liberaliter, tantùm, ut magnam sibi comparet famã, famã comparare gestit, ut magnum habeat concursum, quærit non pro suo lucro, sed animarum salute, quam unus de alterius potest sperare convalescentia. Hinc egregriè ad propositum nostrum Theodoretus:
Quemadmodum Medicus, cùm in Theod.
una domo multi simul ægrotant, & in 1
omnes de salute desperant, si unum Timoth.
ad perfectam sanitatem adduxerit, c. 1.
fecit, ut alii omnes bono sint animo, & fiduciam concipiant; ita Dominus Christus, animarum Medicus, cùm factus esset homo pro salute peccatorum, Saulem Ecclesiæ persecutorem iniquissimum, non solùm à prioribus liberavit maculis, sed maximus etiam donis cumulavit, & exornavit.

Magna in porticu hujus mundi jacebat multitudo languentium, aridorum, cæcorum, claudorum, qui omnes de salute sua desperati apud Ezechie- Ezech. 33.
lem conclamabant: *Iniquitates* v. 10.
nostræ,

nostræ, & peccata nostra super nos sunt, & in ipsis nos tabescimus, quomodo ergo vivere poterimus? Sed non vult de sua salute desperare hos ægros Dominus, sed mandat Prophetæ, ut vadat, & salutem eis annuntiet: *Dic ad eos: Vivo ego, dicit Dominus Deus*; Per vitam suam Deus jurat: *Nolo mortem impii, sed ut convertatur à via sua, & vivat. Convertimini, convertimini à viis vestris pessimis, & quare moriemini domus Israël.* Ut autem majorem haberemus fiduciam experimentalem, statim in principio primitivæ Ecclesiæ Deus desperatum, omnium judicio, Saulum sanavit, qui suo exemplo omnes in spe peccatores, confirmaret; Dic ad eos: Vivo ego dicit Dominus, nolo mortem peccatorum, quorum primus, & desperatissimus ego fui: Convertimini convertimini, quare moriemini in peccatis vestris? Quò peccatum gravius, quo vulnus periculosius, quo infirmitas major, tantò majori ad cœlestem medicum confidentiâ properate.

Annuntiari misericordiam suam ubique jubet.

VII. Gravi vulnere, & infirmitate percussus fuerat David, in adulterium, & de adulterio præcipitatus in homicidium, cum magno populi scandalo, jam enim tabes hæc mortifera graviter olere cœperat in universo populo. Magna plaga, magna infirmitas. Tamen spe plenus ad cœlestem Medicum recurrit, misericordiam ejus implorans: *Propitiaberis peccato meo, multum est enim*: S. Hieronymus ex Hebræo legit: *Grande est enim.* Psal. 24. v. 11.

David graviter infirmus.

Sed qualis hic, ô Propheta regie, & deprecandi Deum, rogandi veniam, & misericordiam implorandi modus, & prætextus? Si quis è subditis tuis malefactor ad judicis tribunal ductus, deprecaretur veniam de commisso delicto, ac pro veniæ motivo adjiceret, *Multum, & grande est enim.* Nonne contra ipsum exardescens illi objiceres: *Serve nequam, ex ore tuo te judico.* Si enim multum, si grande est peccatum tuum, non veniam, sed pœnam, & supplicium tuommet judicio, & confessione mereris. Quin potiùs, si veniam speras impetrandam, excusa, diminue delictum; *Non multum, non grande est enim.*

Allegat gravitatem sui peccati.

Ad impetrandam misericordiam.

His non movetur David, sed fateri pergit, & veniam rogare de peccato suo, multo, & grandi nimis: Scit enim Deum animarum esse medicum, qui de magnis curandis ægrorũ vulneribus & infirmitatibus, magnum sibi quærat comparare misericordiæ nomen; hinc infirmitatem, hinc vulnus suum exaggerat, multum, grande est enim; *Propter nomen tuum, propitiaberis peccato meo, id est,* (exponit Hugo) *propter bonitatem tuam,*

Quia Deus magnũ quærit misericordiæ nomen. Hug. Card. hic.

quâ es nominabilis, & adhuc magis fieri nominabilis desideras, propitiaberis peccato meo, hîc enim magnum tibi benignitatis nomen comparare potes in condonando peccato meo, multum est enim, grande est enim: Si ergo propitius esse nolis propter indigentiam meam, propitiare saltem propter nomen tuum. *Mirifica misericordias tuas, id est, miras fac, ne vilescant*, ait præfatus Expositor: In magno autem, & multo delicto, maximè mirificare misericordiam potes, unde propitiandũ te spero mihi pro peccato meo multo, & grandi, propter nomen tuum, *decet enim tuum nomen* (uti Cajetanus exponit) *magna facere, & illud magnificare ex conditione magni sceleris.*

Psal. 16. v. 8.

Hugo hic

Cajetanus

VIII. Magna aggravandæ injuriæ circumstantia est, personæ læsæ dignitas, unde de verbis injuriosè effusis accusatus, studet, ut talia in ipsam judicis, aut Regis personam effusa, piâ interpretatione intelligantur. Sed ipse David, fatetur ingenuè, peccata, & injurias à se directè, & ex industria in majestatis divinæ celsitudinem fuisse effusas; *Tibi soli peccavi*, te, te, ô Deus meus, offendere intendi, *& malum coram te feci*; Veniam tamen nequaquam desperans subnectit: *Vt justificeris in sermonibus tuis, quibus peccatoribus pœnitentibus veniam promisisti*; (juxta Hugonis expositionem,) *dicebant enim, quòd tantum peccaverat David, quòd Deus ei non remitteret peccatum; Contra quos dicit B. Bernardus: Major est Christi pietas, quàm quævis iniquitas.* Veniâ ergo impetratâ David toti mundo magnum Dei misericordis nomen, & miras ejus misericordias deprædicavit: quoniam *miserator & misericors Dominus, patiens, & multũ misericors: Suavis Dominus universis, & miserationes ejus super omnia opera ejus.* Estq; major illius pietas, quàm quævis iniquitas, & quidem sine ulla comparatione.

Vt justificetur in sermonibus suis.

Psal. 50. v. 5.

Hugh hîc

Major est pietas Christi, quàm quævis iniquitas.

Psal. 144. v. 8.

Quid guttæ aquæ, aut scintillæ ignis cum immenso mari? Nunquid scintilla ignis, immenso mari injecta, illud siccabit? Affirmare non veretur B. Albertus Magnus, quòd *tanta est divina misericordia, quòd respectu ejus omnia peccata hominum, & quantacunque sint, vel qualiacunq; sunt quasi scintilla in medio maris, & hoc spem debet facere homini pœnitenti.* Quoniam miserationes ejus super omnia opera ejus.

Misericordia Dei est mare.

Albertus M. Dom. 3. Adv.

Peccata, scintillæ.

Dic obsecro, peccatrix anima, de benignitate Dei, & venia diffidens, quid sunt peccata tua? Nonne vincula, funes? *Funes peccatorum circumplexi sunt me.* An fortè funibus hisce rumpendis imparem Deum putas, qui & Samsoni vires subministravit rumpendi, tanquã

Psal. 118.

Sunt tela aranearũ

fila

fila tenuissima, funes grossissimos? *Quid est peccatum,* (quærit Chrysostomus) *si cum Dei benignitate conferatur?* Tibi, tuisq; (ô peccatrix anima) viribus, peccatum funes, vincula, & catenas ferreas esse concesserim, sed cum benignitate Dei comparatum, *Araneæ tela*, ait Chrysostomus, *ventus flet, & araneæ telam disrumpet.* Quâ violentiâ opus in rumpenda araneæ tela? Nonne levi vento, & tactu rumpitur? Connecte omnia filiorum Adæ peccata, fac ex eis catenas, & funem inusitatæ magnitudinis, & roboris: quid omnia hæc comparata divinæ misericordiæ, quàm tela araneæ? *Adducet urentem ventum Dominus*, & omnes aranearum texturas in ictu oculi consumet.

a Chrys. — *A Deo facilè rumpuntur.* — Oseæ 13.

IX. Ventus urens & ignitus est divina misericordia, imò ipse Deus ignis consumens est per suam misericordiam: Sic testatur Joan Thaulerus: *Tanta est eius misericordia, ut stuppa aliqua sive linum in immenso igne positum, non tam citò incendi possit quàm ipse peccatori veraciter dolenti, peccata omnia donare paratus est.* Et hoc igitur spem debet facere pœnitenti. In divinis suis officiis, frequentissimè utique Ecclesia Epistolis S. Pauli, & Psalmis Davidicis utitur, accedit, quòd Evangelium pœnitentis Magdalenæ iteratò in missarum sacrificiis, & officio divino legendum proponatur, & quæ obsecro, hujus ratio? An non alia æquè Evangelia sancta? An non aliæ æquè Epistolæ salubres, an non alia æquè cantica salubria? Respondet de istis Innocentius Papa tertius: *Epistolæ Pauli, & Psalmi David præ cæteris scripturis in Ecclesia frequentantur, ut cum peccatores audierunt, Paulum blasphemum, Apostolum, & David adulterum & homicidam, esse factum Prophetam, confidant, per Dei misericordiam, non solùm veniam promereri, sed etiam gloriam adipisci.*

lo. Thaul Instit c. 1. — *Deus sicut ignis* — *Consumit omnia peccata.* — Innoc. 3. serm. 1. de Convers. S. Pauli. — *Pauli Epistola & Davidis Psalmi cur crebrò legantur?*

Erit fortè, qui dicat, nimiâ me spe misericordiæ lactantem peccatores, ad peccandum magis viam aperire, & ansam peccatis præbere. Sed cum S. Chrysostomo respondeo: *Hæc dico, non vos alliciens ad peccandum, sed peccatores ad pœnitentiam provocans*; Et illos cum Isaia invitans: *'Derelinquat impius viam suam, & vir iniquus cogitationes suas, & revertatur ad Dominum, & miserebitur eius, quoniam multus est ad ignoscendum.*

Io. Chrys hom. 6. pœnit. — Isa. 55. ¥. 7.

X. Præclarè ad hunc passum S. Fulgentius: *In hoc multo, nihil deest: in quo est omnipotens misericordia, & omnipotentia, misericors est: tanta est autem & benignitas omnipotentiæ, & omnipotentia benignitatis in Deo, ut nihil sit, quod nolit, aut non possit relaxare Converso.* Adeóque qui magnitudine misseri-

S. Fulgent. Epist. 7. ad Venantiam. c. 4. — *Misericordia Dei omnipotẽs*

sericordiæ, superari posse peccata hominum negaret, Deum suâ privare omnipotentiâ, & sapientiâ præsumeret. Quarè rursus egregiè S. Fulgentius insinuat: *Si peritus est medicus noster, omnes potest infirmitates sanare; Si misericors est Deus noster, universa potest peccata dimittere. Non est perfecta bonitas, à qua non omnis malitia vincitur: Nec est perfecta medicina, cui morbus aliquis incurabilis invenitur, scriptum verò tenetur in libris sacris: Sapientiam autem non vincit malitia; & psal. 102. Benedic anima mea Domino, &c. Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas.* Medicus enim noster omnipotens est, non tantùm ægros curare, sed & mortuos valens suscitare, *Deus noster, Deus salvos faciendi.* Nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur & vivat. Non est ergo, quòd vereatur accedere ad tribunal misericordiæ anima pœnitens, non est, quòd in vagina clementiæ, reconditum suspicetur justitiæ gladium: *Non enim cogitationes meæ, cogitationes vestræ; Quæ sunt devindicta* (glossatur Hugo) *meæ autem de venia.*

Idem c. 3.

Dei bonitas omnia vincit mala.

Psal. 67. v. 21.

Isaiæ 55.

Hugo ad hic.

Gratuletur ergo sibi peccator (si ita loqui licet) quòd tantum, & tam potentem offendit Deum, qui superari ejus offensionibus non possit, tam bonum, cujus bonitas à nostra vinci malitia nequeat, tam clementem, ut abscondere in justitia misericordiam, & oblivisci veniæ non sustineat. Ad hunc itaque curramus & recurramus supplices, non ad peccandum animati, sed ad pœnitendum, & deprecandum invitati. *Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia eius,*

Amen.

DISCUR-

DISCVRSVS LI.

Thau.

Vindemia eos, ſicut vindemiaſti me, propter iniquitates meas. *Thren. 1. v. 22.*

DE ECCLESIA.

Sicut peccatum attrahit, ſic pœnitentia avertit pœnas temporales.

1. NUllum humanis oculis theatrum delectabilius, quàm hortus variis florum coloribus depictus; nullum ſpectaculum jucundius, quàm fructiferis arboribus conſitus campus, aut vivis gravidæ vites; at nihil funeſtius quàm ſpectare hortos à decoquentibus pruinis defloratos, aut arbores ventorum concuſſione, fructibus ac foliis ſpoliatas, aut demum vineas, vindemiatorum violentiâ, denudatas, excuſſis etiam, & exſiccatis hyemali frigore foliis orbatas. Floridiſſimus deliciarum paradyſus, ager fructuoſiſſimus, & vinea Domini electa, deliciis, & divitiis, gravida, erat olim Regia Jeroſolymorum Civitas; Sed irruens ſæva Chaldæorum pruina, & impetuoſus perſecutionis ventus decoxit flores, & fructus agri, ac horti excuſſit, vineáque electa ab hoſtibus, tanquam ſæviſſimis vindemiatoribus ſpoliata eſt: Unde altùm ingemiſcens, exclamat: *Vindemiaſti me.* Sed quare vindemiaſti, quare ſpoliaſti, & devaſtâſti me? *Propter iniquitates meas.*

Iudæa hortus aut vinea

Vindemia propter iniquitates.

Sic & Eccleſia.

Ingemiſcit non minùs ſancta, & afflicta Mater Eccleſia, vinea Dei electa, ſe ab hoſtibus tam domeſticis, quàm exteris ſæviſſimè conculcatam, ac vindemiatam, & quidem propter iniquitates ſuas, ac peccata fidelium, hæc enim ſunt quæ tanquam magnetes, ferrum, gladium ſcilicet hoſtilem, ac ſævientem ultricis divinæ juſtitiæ falcem ad vindemiandum, ſpo-

spoliandum, & devastandum attrahunt.

Restat tamen unicum afflictæ Ecclesiæ solatium, quòd placabilis per pœnitentiam sit misericors Deus, sicut enim peccata attrahunt, ita pœnitentia pœnas temporales, ad vindemiandam Ecclesiam immissas, avertit.

II. Non quidem asserere præsumo omne omnino malum à vindicante divinæ justitiæ manu provenire, nam etiam in hoc casu temerarii judicii Christus discipulos aguit, scisitantes de illo cæco nato: *Rabbi, quis peccavit, hic, aut parentes eius, ut cæcus nasceretur?* Rudis enim error fuit discipulorum, existimantium, nullam nisi à peccato infirmitatem, aut aliam quamvis afflictionem provenire; Etsi enim hoc sæpe fiat, at non semper: Job enim, licet vir rectus & justus, innumeris tamen concussus malis, & morbis afflictus est; Tobias devotissimus cæcitate affectus.

Ioan 9. v. 2.

Non omnis afflictio est à peccatis.

Nec tamen negari etiam potest, omne tribulationum, & angustiarum malum originaliter à peccato sumpsisse initium, nisi enim primi nostri parentes peccassent in felicissimo justitiæ originalis statu, nullum vel infirmitatum, vel sterilitatum, aut aliarum calamitatum malũ, accessum habuisset in mundum, quibus peccatum januam aperuit, ex occulto Dei judicio justos & injustos promiscuè tangentibus, ut illis ad patientiæ exercitium, & meritorum augmentum, istis autem sint ad supplicium, & pœnam. Generatim tamen loquendo, propria plerosque nos arguit conscientia, ex abundantium peccatorum copia, modernorum infelicium temporum calamitates, provenire, uti bene jam olim annotaverat P. Chrysologus: *Dei flagella veniunt, sed nostræ provocant culpæ.* Cùm ergo plerumque tot malorum causa sint peccata nostra, istis per pœnitentiam sublatis, etiam malum pœnæ cessabit, quia *sublatâ causâ tollitur effectus.*

Originaliter tamen.

Et plerũque etiam actualiter.

Pet. Chrysol. serm. 20.

Gravibus suis, & innumeris iniquitatib⁹ Ninivitæ in se divinam attraxerant ultionem, ita ut Deus Prophetam Jonam ad denuntiandum illis interitum ablegaverit; Sed Jonas ad evitandam hanc odiosam commissionem declinavit in Joppen, navim ibidem conscensurus, ut fugeret in Tharsis à facie Domini. Conjecit non tantùm semetipsum, sed totam navim cum omnibus, qui eâ vehebantur, in summum discrimen transfuga, & inobediens Propheta; exortâ enim tempestate horribili, eò jam ipsos nautas timor, & præsens mortis imago redegerat, ut desperatâ jam pene salute ad navim exonerandam,

III. Ionæ. c. 1.

Ionas declinat prædicationẽ in Ninive.

dam, passim vasa, ac merces in altum projicerent, manibus ad cœlum levatis supernam imploRantes opem, omni jam humanâ spe abjectâ. Stertebat inter hæc Jonas, sopore gravi oppressus, in inferiori parte navis: Hunc ab alto somno importunè suscitatum hortatur gubernator, ut excusso sopore surgens, invocet Deum suum. *Ob eum tempestas exoritur* Conclusêre posthæc nautæ, mittendam sortem ad explorandum tantæ tempestatis auctorē, & causam; *Et miserunt sortes, & cecidit sors super Ionam.* Jonæ 1. v. 7. Exactè igitur de patria, professione, itineríque sui proposito examinatus, se profugum à facie Domini, quare non aliud sedandi intumescentis maris remediū supereſſe, simpliciter fassus est, nisi ipse in illud proijceretur: *Tollite me, & mittite in mare, & cessabit mare à vobis.* v. 12. Dictum, factum. *Et tulerunt Jonam, & miserunt in mare, & stetit mare à fervore suo.* *Tempestas cessat* Quòd mare non aliter, nisi ejecto Jona, placari se passum sit, non caret singulari mysterio, quod ad calcem concionis expendendum differo, modò successum prædicationis Jonæ explanaturus, qui *Prædicat Jonas interitum Ninivitis.* ventre ceti exceptus, post triduanam vivi corporis sepulturam, ad obedientiam vivacior, ac promptior effectus, properavit in Ninive, certum incolis, jubente Deo, interitum proclamans: *Adhuc quadraginta dies, adhuc quadraginta dies, & Ninive subvertetur.* Jonæ 3. v. 4.

Expectabat avidè Prophetiæ suæ successum, & effectum Jonas, in momenta singula, vel igne de cœlis demisso in cineres redigendam, vel terræ motu concutiendam, & in propria ruina, unà cum incolis, sepeliendam civitatem exoptans. Sed in cinere & cilicio, vnà *Placatur eorum pœnitentiæ Deus.* cum rege suo pœnitentibus Ninivitis, indictóque non tam hominibus, quàm etiam jumentis jejunio, ac omnib⁹ in fortitudine ad Dominum clamantibus, firmóque emendandæ vitæ proposito, veniam deprecantibus, respexit Deus benigno misericordiæ oculo opera pœnitentiæ, ac conversionem illorum; *Et misertus est Deus super malitiam* (id est, afflictionem) *quam locutus fuerat, ut faceret eis, & non fecit.* Jonæ. 3. v. 10

IV.

Ut ergo advertit Jonas contraxisse Deum manum, jam ad delendos Ninivitas extensam, Jonæ 4. *Afflictus est Jonas afflictione magnâ, & iratus est,* v. 1. indignum esse ratus, quòd interitum divino jussu Ninivitis denuntiatum, vindice manu Deus non exequeretur, vocatâ in periculum Prophetæ famâ, ac nomine: quare magis expostulando, quàm orando in *Indignatur Jonas.* hæc prorupit verba: *Obsecro Domine, nunquid non hoc est verbum meum, cùm adhuc essem in terra mea?*

mea? Propter hoc præoccupavi, ut fugerem in Tharsis; scio enim, quia tu Deus clemens, & misericors es, patiens, & multæ miserationis, & ignoscens super malitia. Quare iniquum æstimabat, quòd fugienti sibi adeò indignatus Deus, in mare se præcipitandum voluerit, eò quòd Ninivitis excidium denunciandum detrectaverit. Nam (uti glossa hîc, Jonæ quasi personam & partes agens, loquitur) *Si dicerem ignoscentem, & misericordem, nullus ageret pœnitentiam, si crudelem iudicem, sciebam, hoc non esse tuæ naturæ; In hoc ergo ambiguo malui fugere, quàm de te prædicare, quod non eras.* Falsi ergo Prophetæ notam sibi inurendam veritus, irâ, ac indignatione plenus, ipsam sibi molestam esse vitam testatur: *Et nunc Domine, tolle, quæso, animam meam à me, quia melior est mihi mors, quàm vita.* Patienter diu, obmurmurantem & strepitantem Prophetam sustinuit Deus, quem quidem seriis demum corripit verbis: *Putásne bene iraseris tu?* Sed parum hac correptione emendatus Jonas, è civitate egressus *sedit contra orientem civitatis*, ibidem rei eventum expectaturus, in quē finem *fecit sibimet umbraculum ibi.* Ut ergo durum, & vertiginosum Jonæ cerebrum, docile redderet divina Sapientia, argumentum ad hominem, Jonæ formare constituit, ex ipsa umbraculi opportunitate; Dum scilicet hederam, seu (ut alii volunt) cucurbitam præparavit, excrescentem celerrimè, ac diffundentem se pro umbra super caput Jonæ: *Et lætatus est Jonas super hedera lætitiâ magnâ.* Sed brevis fuit consolatio Jonæ, *paravit enim Deus vermem, & percussit hederam & exaruit.* Exurgente igitur sole, & vento valido & urente flante exiccatis hederæ, seu cucurbitæ foliis, *percussit sol super caput Jonæ, & æstuabat, & petivit animæ suæ, ut moreretur, & dixit: melius est mihi mori, quàm vivere.*

Hîc jam divina Sapientia irrationabile Jonæ murmur compressura, subtiliter, sed efficaciter, & ad hominem cœpit argumentari: Putásne bene iraseris tu super hedera? Concedit hanc propositionem Jonas lubentissimè: *Et dixit: Bene iratascor ego, usque ad mortem.* Format ergo subsumptum Deus: *Tu doles super hederam, in qua non laborâsti, neque fecisti, ut crescret, quæ sub una nocte nata est, & sub una nocte periit: Et ego non parcam Ninive Civitati magnæ, in qua sunt plusquàm centum viginti millia hominum, qui nesciunt, quid sit inter dexteram, & sinistram suam.* Si ergo vel scintillam ad huc derationis lumine, vertiginosum Jonæ cerebrum habebat, assentiri utique debebat, æquam parcendi rationem habere Deum,

Falsi Prophetæ notam contracturus

Glossa in c. 4.

v. 3.

Parat sibi umbraculum Jonas.

v. 6.

Hedera exarescit.

V.

Si Jonas dolet super hedera.

Cur non Deus superiorum hominum.

nisi

nisi minorem, jacturam hominis, quàm hederæ censeret.

Sed hac ratione nondum sibi satisfactum æstimabat Jonas, qui magnam nominis suis jacturam passus · falsi Prophetæ notam sibi contraxisse videbatur; Dei enim jussu Ninivitis denunciaverat: *Ninive subvertetur*: Sed (ut bene S. Augustinus advertit.) *Pepercit Deus*: Sed quid interim actum de Jonæ præsagio? *stetit Ninive, an eversa est Ninive?* Si communi hominum stemus judicio, Civitatem Ninive tunc non eversam fuisse, sed stetisse, adeóque defraudatam suo effectu, Jonæ Prophetiam judicabimus. *Ego autem* (ait Augustinus) *puto impletum fuisse, quod Propheta prædixerat. Respice quæ fuit Ninive?* quàm superba, lasciva, deliciis & voluptatibus affluens, ac peccatis inundans? *Et vide quia eversa est*; Eversa superbia & arrogantia per cinerem & humilitatem, eversa luxuria per cilicium, jejunium, & pœnitentiam. *Eversa in malo, & ædificata in bono.* Ipsi subverterunt urbem, ne Deus subverteret. Ipsi delevêre lacrymis culpam, ne ferro deleret Deus civitatem. *Novit enim Dominus mutare sententiam* (uti S. Ambrosius testatur) *si tu noveris emendare delictum.*

S. August. psal. 50. v. 8.

Verificata fuit Prophetia Jonæ

Eversa Ninive in malo

Et ædificata in bono & ædificata in bono.

S. Ambrosius lib. 2. in Luc. c. 1

VI. Sic per Jeremiam se declarat Deus: *Si pœnitentiam egerit gens illa à malo suo*, nempe *culpæ*; *Agam & ego pœnitentiam super malo*, scilicet *pœnæ*, *quod cogitavi, ut facerem ei*: Vel (ut Cornelius exponit) *retractabo, & revocabo sententiam, contra vos latam.* Quod probè etiam S. Augustinus confirmat: *Cessat autem divina vindicta, si confessio præcurrat humana*, sive pœna & vindicta per belli calamitates, sive per infirmitates, aliásve calamitates inferatur.

Jerem. 18. v. 8.

Hug. Card Cornelius hîc.

Apud S. Bonav. serm 5. Rogat.

Refert S. Matthæus, oblatum fuisse Christo, cœlesti Protomedico Paralyticum, à sua infirmitate curandum. Placuit Christo fides offerentium; At mox ad ipsum conversus ægrum: *Confide* (inquit) *fili, remittuntur tibi peccata tua.* Scandalizabantur hinc scribæ circumstantes, nec inde consolationem accipiebat æger, qui non à peccatis absolutionem, sed ab infirmitate liberationem petiturus venerat. Si vocatus ad ægrum Medicus, nec tacto pulsu, nec urinâ inspectâ, nec infirmitate exploratâ, nec medicinis præscriptis, formulam tantùm absolutionis à peccatis in ipsum proferret, quis non hunc inculparet, medicum magis in piis devotionibus, quàm arte sua exercitatum; & parum ægro proficuum? Quid ergo Dei Filius applicare manus differt infirmo, nullam de sanitate, sed de remittendis tantùm pecca-

Matth. 9. v. 2.

Paralytico sanando

Dimittuntur peccata.

peccatis curã gerẽs? Non planè arguendus in hoc cœlestis Medicus, qui in curando paralytico methodicè omnino processit: Egregiè ad propositum nostrum Lyranus: *Ad modum boni medici, qui primò removet causam morbi, tunc postea intendit curationi.* Cùm enim in hoc paralytico causa & radix morbi fuerit peccatum, statim Christus curam incepit à radicis & causæ remotione, expellendo per amaram contritionem, materiam peccantem, qua remotâ & expurgatâ, sanus surrexit, & ambulavit. Sublatâ enim causâ tollitur effectus: Nec auferri potest malum pœnæ, nisi priùs expurgatâ culpâ, tanquam radice mali pœnæ. Nam *propter peccata patrum suorum, & sua affligentur, donec confiteantur iniquitates suas.* Quare optimè infert Doctor meus Seraphicus: *Unde afflictus per infirmitates, & alias quascunque infirmitates semper consulendum est à principio, ut confiteantur sincerè peccata sua, sæpe enim propter peccata affligunur.*

Lyranus hic.

Sublata causa tollitur effectus.

Levit 26 v. 39

Bonav. serm. 5. Rogat.

Infirmi confitean tur peccata sua.

VII. Accuratè hoc de Israëlitis observaverat Achior, Ammonitarũ dux sub signis Holofernis contra Bethuliã militaturus; hic ab Holoferne instituendæ obsidionis sententiam suam dicere jussus, principaliter hoc in oppugnandis Judæis advertendum edixit, an placatum, vel peccatis offensum haberent Deum suũ? Experientiâ enim constare asserebat; *Quotiescunque præter ipsum Deum suum, alterum coluerunt, dati sunt in prædam, & in gladium, & in opprobrium: Quotiescunque autem pœnituerunt, se recessisse à cultura Dei sui, dedit eis Deus cœli virtutem resistendi.* Ex hoc ergo supposito fundamento, (licet indignantibus omnibus unà cum Holoferne magnatibus) concluſit consilium in hanc formam Achior. *Nunc ergo, mi Domine, perquire, si est aliqua iniquitas eorum in conspectu Dei eorum, ascendamus ad illos, quoniam tradi nstradet illos Deus eorum tibi: Si verò non est offensio populi hujus coram Deo suo, non poterimus resistere illis, quoniam Deus eorum defendet illos.* Quod ipse postmodum effectus docuit.

Achior observavit,

Judith 5. v. 8.

Judæus victo. offe se Dn.

v. 24.

Victoria placato.

Magna subinde bellorum & calamitatum temporibus consilia agimus, de bello feliciter prosequendo: de patria contra hostium insultus defendenda consultamus, conscribimus militem, redintegramus cohortes, restauramus mœnia, & parum animo revolvimus, an apud Deum nostrum odio, vel amore digni simus? An in nobis nulla sit iniquitas? An Deus ob peccata nostra offens' nobis non sit? Cùm tamen hinc totus pendeat bellorũ successus & securissimum avertendi mali remedium sit humilis cum Deo reconciliatio, si enim nos iniqua

Hoc vitia via prognosticon.

qua contra Deum sumpta arma deponimus, remittet & ipse arcum, quem tetendit, & evaginatum recondet vaginæ gladiũ; Et siquidem nos ejiciamus commorantem in nobis culpam, quæ obsidendis nobis causam præbuit divinæ Justitiæ, etiam obsidionem pœnalium malorũ solvet placatus Deus.

VIII. Insurrexerat contra Davidem rebellis Seba, concitatâ contra Regem omnibus Israëlitis, solâ tribu Juda fideliter Regi suo adhærente. Sed mox duces Davidis ad persequendum Sebam (antequam validiorem congregaret exercitũ, aut in munitum se locum reciperet) egressi, concluserunt eum in Abela; jamque copiæ non tantùm arctâ obsidione cinxerant muros, sed eos jam arietare, & terræ æquare moliebantur. Cùm ecce mulier quædam peculiari prædita prudentiâ, obsessores interpellans, ipsum ducem Joabum ad colloquium invitat: Non detrectat colloquium prudentis fœminæ Joabus, cui illa imprimis antiquitatem, ac famam sapientiæ urbis suæ expendendã proponit: *Dicebatur in veteri proverbio: Qui interrogant, interrogent in Abela, & sic proficiebant... Et tu quæris subvertere civitatem, & evertere matrem in Israël?* Excusat se, ac protestatur Joab: *absit, absit hoc à me... Sed homo de monte Ephraim, Seba, levavit manum suam contra Regem David; Tradite illum solum, & recedemus à Civitate.* Tam sapienter civibus loquebatur hæc mulier, totiúsque civitatis periculum, ex unico rebellis Sebæ receptione causatum tam efficaciter ob oculos ponebat, ut obtruncare rebellem cives maturarent, *qui abscissum caput Sebæ projecerunt ad Joab*: quo facto, obsidione solutâ, Joab cum exercitu ab urbe recessit.

1. Reg 20 v. 1.

Ob Sebam obsessa Abela.

v. 21.

Fuerat hæc civitas Abela sævissimis calamitatum ac periculorum tempestatibus jactata, haud secus, quàm navis, qua Jonas vehebatur, sicut ergo navis, non nisi ejecto Jona, pristinâ gaudere potuit tranquillitate, *tollite, & mittite me in mare, & cessabit mare à vobis*, sic Urbs Abela, non priùs, quàm abscissum Sebæ caput per muros projectum est, ab insurgentibus belli procellis liberata est. Quis iste Seba rebellis, qui immorigerus & contumax Jonas, nisi peccata nostra, quæ divinam vindictam ad nos arctandos & obsidendos irritant, ac iræ divinæ in nos turbines, & procellas concitant? Nec ulla quietis, aut pacis spes est, donec è navi in amarum contritionis mare ejiciatur Jonas, & caput, pœnitentiæ gladio, resecetur rebelli Sebæ, scilicet culpæ, tunc enim obsidionem solvet Justitia Dei exacerbata, & cessabit mare à nobis;

Jonas & Seba

Jonæ 1. v. 12.

Sunt peccatum.

Illo ejecto civitas libera.

nobis; *Cessat enim divina vindicta, si confessio præcurrat humana.*

Hoc ejecto cessat vindicta divina.

En charissimi, quantæ nos undique conturbant calamitatum procellæ? Tollite Jonam, quantæ nos tempestates affligunt? Mittite Jonam in mare, quid interitum certum, salutis vestræ incurii, expectatis? En qualib' nos malis divina premit justitia? Quantis nos obsidet calamitatibus? Ergo nos penitùs delere cogitat Deus? Absit, absit hoc à me, sed tollite, &c. Tollite Sebam, abscindite caput, projicite peccata vestra, & recedet Deus ab obsidendis vobis, & justitiæ suæ gladium, in misericordiæ vaginam recondet. Quare ejectis inimicis Dei, supplices, ac in ejus bonitate confidentes, veniam, & misericordiam ejus imploremus.

IX. Iterato ab Achab Rege Israël cæso exercitu regis Syriæ Benadad, ipse cum reliquiis sui exercitûs, fugitivus se recepit in civitatem Aphec, ubi corruens murus reliquias exercitûs (viginti scilicet septem millia virorum) oppressit. Nudatus ergo Benadad Rex Syriæ & mœnibus civitatis & copiis, desperabundus ad interiores civitatis angulos se recepit. In summo hoc discrimine constituto regi, ipsius servi suggesserunt: *Ecce audivimus, quòd Reges domûs Israël clementes sint: ponamus ergo saccos in lumbis nostris, & funiculos in capitibus nostris, & egrediamur ad Regem Israël: forsitan salvabit animas nostras.*

Benadad victus

3. Reg. 20 v. 31.

Non displicuit regi, ad extrema redacto, consilium, qui supplicem hanc ad Regem Israël, legationem destinavit, simplici non minus, quàm supplici oratione breviter perorantem: *Servus tuus Benadad dicit: Vivat, oro te, anima mea.* Placuit simul, ac movit supplex Achabum legatio, qui statim, compassionis affectu in hæc prorupit verba: *Si adhuc vivit, frater meus est. Egressus est ergo ad eum Benadad, & levavit eum in currum suum*, novo percusso fœdere cum illo.

Supplex regat veniam,

Et impetrat.

Temerario ausu nos miseri peccatores contra Deum nostrum, licet viribus multùm impares, insurgimus, nec iteratis plagis resipiscere curamus quid ergo, tantis malis obsessi, consilii capimus? Ecce audivimus, quòd Deus noster clemens sit, ponamus ergo saccos in lumbis, & funiculos in capitibus nostris; egrediamur supplices ad Deum nostrum; forsitan salvabit animas nostras. Supplices igitur, ad Thronum Majestatis tuæ provoluti exclamamus: *Vivat, oro te, anima nostra*: qui non vis mortem peccatoris, sed ut magis convertatur, & vivat.

Oppugnamus nos Deum.

Sed victi deprecamur.

Placebit sine dubio, & placabit

cabit iratum Deum supplex nostra deprecatio, qui omnis hostilitatis oblitus, & solius misericordiæ suæ memor, nos amicos & fratres suos suscipiet; dolens maximè, si sævis contra genus humanum suppliciis animadvertere cogatur. Hinc diluvio mundum submersurus, *tactus dolore cordis intrinsecus, delebo, inquit, hominem, quem creavi à facie terræ, &c.* Ubi notat Lyranus, quòd hominem deleturus Deus, *Ad modum doleniis se habuit, delendo hominem, quem formaverat ad imaginem suam. Pœnitet me fecisse, &c.* Quòd non ita intelligendum censet S. Antonius noster Paduanus, quasi tæduerit Deum, hominem fecisse, sed *pœnitet*, id est, *pœnam me tenet pro homine*, dolore quasi tactum cordis intrinseco, quòd hominem delere deberet cogente suâ Justitiâ. Cùm ergo tam dolenter ad nos delendos, & puniendos cogatur Deus, hoc est Deum eum quasi dolore, & nos supplicio, per pœnitentiam, liberemus: Supplices pœnitendo prostrati, divinam placemus justitiam, cum pio Tobia exclamantes: *Ne reminiscaris Domine delicta nostra, vel parentum nostrorum, neque vindictam sumas de peccatis nostris.*

Amen.

Deus puniturus dolore tangitur.

Gen. 6. v. 6. Lyranus hic.

S. Anton. Pad. hom. Laudem.

Pœnæ pœnitentiæ ex compassione.

Tob 3. v. 3.

DISCURSUS LII.

Thau.

Multi enim sunt gemitus mei, & cor meum mœrens. *Thren. 1. v. 22.*

DE ANIMA.

Magnum animæ è corpore solutæ erit gaudium de superatis periculis.

I.

Eccle. 3. v. 4.

Tempus flendi, & tempus ridendi, tempus plangendi, & tempus saltandi assignavit Ecclesiastes; quando autem tempus aut flendi aut ridendi sit, non determinat. Si alternis vel horis, vel diebus, vel septimanis, vel mensibus, vel annis, inter se fletus & risus distinguerentur, nullus fortè justæ querelæ locus esset. Negat autem divus Hieronymus, in hoc mundo unquam plenam ridendi spem, aut tempus fore, sed, *nunc flendi tempus est, in futuro ridendi.* Cùm enim hæc vita præsens, sit arduis plena periculis, ac in mundo laqueis infernalis hostis convoluto & intexto, vix impunè quis evadere valeat, ridendi tempus, & saltandi nunc esse non potest, sed flendi tantùm & plangendi; hinc anima peccatrix mortalis corporis vinculis concluſa, ac tentationum laqueis irretita meritò suspirat: *Multi enim sunt gemitus mei, & cor meum mœrens.* Sed quando laqueo mortalitatis contrito, anima à periculoso corrupti vitiis corporis consortio, & captivitate erit liberata, tunc ridendi & saltandi tempus affulgebit, vix enim majus animæ è corpore mortali solutæ gaudium esse potest, quàm dum de tot periculis se liberatam, iisque superatis securitati se redditam contemplatur.

S Hieron. hic.

Tempus flendi nunc.

Ridendi in futuro.

Gaudet anima superatis periculis.

II.

Nullus in navi, sævis tempestatibus jactatâ, & spumantium procellarum impetu nunc in æthera sublevatâ, jam ad imum depressâ, risus, & tripudium

pudium auditur, sed tantùm lugubres & flebiles de salute sua conclamantium voces. Sed cùm demum cessante bullientis maris fervore, optatum littus attigit, tunc ridendi, tunc saltandi tempus. Sic in navi, qua vehebatur Jonas, ad cœlum flebiliter voces levabant nautæ, Jonas ipse è somno excitatus inhorruit, auctor ipse consilii, ut in mare projiceretur, inobedientis victimâ placandum. Exceptus autem à Ceto magno, vivo hoc carcere inter fluctus circumferebatur illæsus quidem, sed timore, ac tristitiâ plenus, ignorabat enim an hoc carcere tanquam sepulchro reconditus, vel rursus in profundum mare foret evomendus. Inter hæc inevitabilia vitæ pericula, in solo Deo suo spem collocare, & in ipso, hac tumultuosâ navi vectus, anchoram figere constituit, sacrificium laudis Deo suo liberatori vovens: *Ego autem in voce laudis immolabo tibi.* Nec dubitandum, quin Jonas è Ceto ad littus, atque è tenebris & umbra mortis, ad vitæ lucem projectus, in magnis laudis, & exultationis voces eruperit.

In tempestate abest ejus.

Experitus Jonas loquitur.

Jonæ 2 v. 10.

Magnâ premitur anxietate viator inter densos nemorum recessus feris luporum, ursorum, aut leonum insidiis circumvallatus, sed majori adhuc angustiâ coarctatur, qui rugientium leonum, aut ferarum sævientium cohabitator, hiantes, & famelicos earum rictus sibi deglutiendo & lacerando jam jam inhiantes tremens aspicit, magno utique perfundendus gaudio, si Deo duce salvus è leonum faucibus eruatur. In lacum famelicorum leonum conjectus Daniel, nisi indubitatum sibi vivi Dei auxilium, non defuturum confideret, metu utique periculi perire debuisset, rege ipso Dario, vices Danielis adeò dolente, ut incænatus, eam noctem insomnem duceret. Summo verò diluculo, cùm Rex Danielem divinâ ope illæsum invenit, *tunc vehementer rex gavisus est super eo, & Danielem præcepit educi de lacu*, cum quo rex exultabundus, omnibus suis populis, regnis ac provinciis, vivum, & æternum, ac omnipotentem Danielis Deum proclamavit: *Ipse liberator, atque salvator, faciens signa & mirabilia in cœlo & in terra, qui liberavit Damelem de lacu leonum.*

Inter leonum rictus timetur.

Sicut Daniel in lacu leonum

Daniel 6. v. 23.

v. 27.

III.

Quis enuntiare poterit angustias illius qui repentino concluso incendio, flammis undique obsessus, evadendi viam non habet? Quid magis tremendum, quàm ardens tribus pueris parata fornax, quæ septuplum, quàm solebat, vehementiùs accensa, tanquam stipulam ministros regis consumpsit? Sed cùm cœlesti miraculo flamma, consumptis tantùm eorum vincu-

Inter flammas pavor.

Sicut in fornace Babylonis vinculis, de cætero refrigerantis instar roris, nec minimum quidem non solùm corpora, sed nec vestes læsisset, *tunc hi tres quasi ex uno ore laudabant, & glorificabant, & benedicebant Deũ,* Dan. 3. v. 51. qui à præsenti eos periculo mirabiliter eripuit.

Miles licet generosus, undique tamen hostilibus armis circumvallatus, inter extrema vitæ discrimina, licet intrepidus sibi videretur, tamen incipit trepidare & pavere; si tamen insperato auctus subsidio, è manibus hostium, vitâ comite, licet vulneratus evadat, inter Dei laudes, & gratias, liberatores suos amplectitur. *Inter hostium manus trepidatur.*

Militiam, esse vitam hominis superterram, testatur virorum patientissimus. Viribus suis nimium in hac militia confidebat David: *Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum: si exurgat adversum me prælium, in hoc ego sperabo.* Psal. 26. v. 3. *Hæc vita militia* Insuperabilem se heros iste jactabat: *Non movebor in æternum.* Ps. 29. v. 7 Sed demum damno suo didicit timere, turpiter de peccato in peccatum dejectus: quare fateri demum non erubuit: *Impulsus eversus sum, ut caderem.* Psal. 117. v. 13. Perierat David, jam victus succubuerat, & de ipsius actum erat salute: *Et Dominus suscepit me.* Et ecce deficientibus humanis viribus, divinum successit auxilium, *& Dominus suscepit me: fortitudo, & laus mea Dominus, & factus est mihi in salutem. Dextera Domini fecit virtutem, id est, misericordia,* (ait Hugo Cardinalis) *non percutiendo me reum, sed expectando ad pœnitentiam: Dextera Domini exaltavit me, de luto & fœcibus peccatorum, elevans ad statum gratiæ.* Hug. Card. hic. Unde demum Propheta ex hoc mortalis vitæ certamine, ad alteram, & omnis periculi expertem vitam translatus (ubi *vox exultationis & salutis in tabernaculis justorum* resultat) Deum collaudando decantat: *Non moriar, sed vivam; Non moriar, sed vivam, & narrabo opera Domini: Castigans castigavit me Dominus, & morti* (æternæ) *non tradidit me.* Hostes periculosi. Jam in mortis faucibus, jam inter manus hostium David erat, æternùm periturus, nisi dextera Domini fecisset virtutem; & quia iisdem semper erat subjectus periculis, nunquam in hac vita, vocem salutis & exultationis emittere præsumebat, sed multi erant gemitus ejus, & cor mœrens; Sed modò in triumphanti securus gloria exultabundus decantat *Non moriar, sed vivam.* Devictus fatetur hoc David. Bene advertit S Augustinus: *Triumphat victor Imperator: & non vicisset nisi pugnavisset. Et quantò majus periculum fuit in prælio, tantò majus est gaudium in triumpho.* S. Augustin. Contell. l. 8. c. 30. Cùm nullus jam hostium restat metus, aut mortis. Non moriar, sed vivam, sed vivam.

Quid

IV. Quid mundus iste in maligno positus, quàm fornax Babylonica septies succensa? Et quis est, qui jactare se valeat; *Et in medio ignis non sum æstuatus*, & odor ignis non est in me. Turpiter hæc flamma adussit Magdalenam, peccatricem in civitate, comedit hic ignis excelsas Cedros Libani, *circumdantes circumdederunt me, & exarserunt, sicut ignis in spinis.* Quamdiu in hac fornace, inter has flammas ambulabant, viatores homines, cum timore & tremore salutem operabantur, metuentes ab igne consumi; sed jam demum solutis mortalitatis vinculis, ac superatis periculis, in quibus tot milleni perierunt, Deo laudes decantant, cum tribus pueris, & agnoscunt: *Misericordiæ Domini, quia non sumus consumpti, ut nemo audeat de se præsumere* (exponit glossa) *Quia non est volentis, neque currentis, sed Dei miserentis ... Sic anima quælibet misericordiæ Domini tribuit, quia non est consumpta flagitiis suis, id est, infirmitate carnis, delectatione sæculi, hostium insidiis.*

Ecli. 51. v. 6.

Psal. 117. v. 12.

Mundus fornax Babylonica.

Thren. 3. v. 22.

Glossa Ordin.

Quis non videt.

Cui mundum hunc comparare melius convenit, quàm lacui leonem, in quo miseri mortales, inter rugientis infernalis leonis insidias, tremebundi arctantur. Monet nos seriò Apostolorum Princeps; *Fratres sobrii estote, & vigilate, quia adversarius vester diabolus, tanquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret.*

Mundus lacus leonum.

1. Petr. 5. v. 8.

Non immeritò Petrus tam seriis nos, de cavendo hoc leone, hortatur verbis, cujus ipse unguibus jam præda hæserat, deglutiendus, nisi cœlestis ille pastor, conversus ad Petrum, eúmque misericordiæ suę radiis respiciens, & auxilio gratiæ adjuvans, ex ore infernalis leonis eruisset, *quomodo si eruat pastor de ore leonis duo crura, vel extremum auriculæ.* Vehementem hæ fauces leoninæ metum imprestserunt Apostolorum Principi; nam terna vice, à Domino, post glorioſam resurrectionem sibi apparente, compellatus, *Simon Ioannis amas me; Contristatus est Petrus, quia dixit ei tertiò: Amas me.* Et quare contristatus? *Rursus formidans priora*: respondet Chrysostomus. Quamdiu enim in hoc mundo, in hoc lacu leonum versamur, nunquàm ab infernalis leonis dentibus, ac unguibus securi sumus. Non nisi cum Daniele egressus de lacu leonum, de hoc mundo, securè cantabit: Non moriar, sed vivam.

Petrus à leone prostratus.

Amos. 3. v. 12.

Ioan. 21. v. 17.

S. Chrys. in Catena hic.

Denique, quid mundus iste inconstans, & turbulentus, nisi mare exæstuans, amarum, horridum, & impetuosis tentationum ventis intumescens? In hoc mari, anima corpore quasi Ceto conclusa, fragili vehitur naviculâ, dubia, quo portu

V. Mundus mare.

tu excipienda, & ejicienda sit, an ad insulas paradysi fortunatas, vel ad tartareas inferorum sedes?

Hoc carcere, & ceto conclusum se agnoscebat Paulus, Rom. 7. v. 24. *infelix ego homo, quis liberabit me de corpore mortis hujus?* Jactabatur hoc versatili carcere, & navi, inter fluctuantes tentationum undas, v. 23. *video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis.* Quamdiu hic inquietis tentationum procellis agitabatur Paulus, securitatem sibi promittere nequibat, unde multi erant gemitus ejus; Infelix ego homo, &c.! Non enim ridendi, aut saltandi tempus est, dum adhuc in mundi hujus mari jactamur, sed flendi. Veniet autem tempus ridendi & saltandi, ubi superatis maris periculis ad portum terræ promissionis, Deo duce feliciter pertigerimus.

Paulus se iactatum deflet.

Transire jussi Israëlitæ per mare rubrum, licet ex utraque parte aquæ firmissimi instar muri starent, tamen satis sibi formidabant: uti Lyranus testatur: *Quod filij Israel formidabant intrare mare post Moysen, & tunc tribus Iuda, quæ erat constantior, prima intravit post Moysen*, & addit. *Quod tribus Iuda ibi meruit regnum.* Lyranus in Exodi c. 14.

Nec tamen adeò inordinati timoris inculpandi videntur Israelitæ, erat quippe timor cadens in constantē virum. Quid enim formidabilius, quàm transire inter anguſtias, muris inusitatæ altitudinis, ex fluida tantùm materia constructis, concluſas, qui subducente se, Dei omnipotentis, manu, corruentes, totum oppressuri erant populum, uti postea Ægyptiis contigit. Videbant insuper insequentem cum exercitu Pharaonem, qui clangentibus buccinis, strepitantibus curruū rotis, ac coruscantibus armis, ingentem Israelitis incussit timorem. Magni gemitus, & cor mœrens erat populo, inter hæc extrema interitūs pericula.

Periculosus transitus per hoc mare rubrum.

VI.

Sed quantus erat tremor ac tristitia ambulantibus in mari rubro, tanta eorum fuit lætitia ac jubilus, ubi ad littus egressi, jam secura se in statione firmaverant; tuncque eò jucundius eis erat spectaculū, Pharaonis, & exercitūs ejus in mare demersio, quò jam se non tam maris fluctus, quàm hostium gladios evasisse cernebant; duplicatum Dei agnoscentes beneficium, dum submersis hostibus, Deus Israelitis factus est in salutem. Quare inter eos, præcinente Moyse, intonuit vox exultationis, & salutis. Exod. 15. v. 1. *Cantemus Domino: gloriosè enim magnificatus est; equum & ascensorem projecit in mare. Fortitudo*

Superato periculo crescit gaudium.

&

& laus mea Dominus, & factus est mihi in salutem, &c.

Miseri nos viatores Ægyptiaci tyranni, infernalis Pharaonis jugo excusso adhuc mare rubrum tentationum, (terram promissionis ingressuri) transire debemus, ubi divina quidem gratia, intumescens mare, muri instar consolidatũ tenet, ne nos procellarum, irruentium scilicet passionum nostrarum impetus obruat: Sed quoniam fluidæ & inconstantes sunt hominum cogitationes, & ad malum pronæ, subtrahente Deo dexteram suam, sæpe illorum sanctitas corruit, qui muri instar firmi stare videbantur, & sic miserè submersos oppressit. Accedit insequentium Ægyptiorum, & infernalium hostiũ potentia, ac indefessa persecutio, quæ etiam justæ cuivis animæ magnum incutit terrorem. Temp⁹ ergo Flendi, tempus gemendi, quamdiu in medio maris rubri peregrinamur, ab insequentibus Ægyptiis infestati. In mari viæ tuæ. Sed cùm semel, Deo favente, ad optatum terræ promissionis littus anima devenerit, tum verò cantare, tunc exultare licebit. O *Domine Deus!* (exclamat meus Seraphicus) *Si tunc tam grave periculum est in bello, quantum tunc erit gaudium in triumpho? Cùm post devictum, triumphatumque mundum, submerso impio Pharaone, & exercitu ejus in mari rubro, tenent omnes electi tympanum cum Maria psallentes, & cantantes:* Cantemus Domino, gloriosè enim magnificatus est, equum & ascensorem dejecit in mare.

Beati in vetus submerso Pharaone

S. Bonav. Solil. c. 4

Exultant de gravi superato periculo.

VII.

Inducit Regius Psaltes vocem exultationis justorum, psalmo 123. magnámque eorum exprimit lætitiam, qui superatis mundi hujus periculis, jam securam patriæ stationem sunt adepti, non sibi, sed Deo liberationem suam attribuentes. *Nisi quia Dominus erat in nobis, dicat nunc Israël, nisi quia Dominus erat in nobis.* Erumpunt sancti in laudem Dei, & magno quasi lætitiæ impetu acti, absorpto verborum primorum, in mente conceptorum, sensu, statim intonant: Nisi quia Dominus erat in nobis: *Sic cœperunt cantare*, ait Augustinus; *Nondum dixerunt, unde evaserint, tanta est exultatio*; eò scilicet plenior, quò majus erat in via periculum, in quo tot conspexerant fuisse absorptos. Itaque *considerarunt* (præfato S. Doctore teste) *in eo jam loco, & in beatitudine, & in securitate constituti, quà transierint? quà venerint? Et quia difficile erat inde liberari, nisi adesset manus liberantis, in gaudio dixerunt; Nisi quia Dominus erat in nobis.*

Psal 123. v. 1.

S. Augustin. hic.

Considerant è quibus periculis evaserint.

Nisi scilicet Dominus erat in nobis, *sicut gubernator in navi fluctuante*

Hug. Card. in hic. *ctuante* (exponit Hugo) *aut sicut Dux in exercitu confligente; aut sicut caput in corpore; supple, non evasissemus pericula occurrentia ... Omnes fideles Deo attribuunt, quòd evadunt mundi pericula ... Non est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei.* Incipiunt enarrare justi in securitate jam positi tolerata pericula: *Cùm exurgerent homines in nos, fortè vivos deglutissent nos:* hi enim homines carnales, & perversi sunt, qui comminantur: *Deglutiamus eum, sicut infernus, viventem. Cùm irasceretur furor eorum in nos, forsitan aqua absorbuisset nos, aqua* (teste S. Augustino) *dicit populos peccatores.* Vel, uti Lyranus exponit: *Aqua tribulationis, quæ per impetum aquæ designatur.* Torrentem pertransivit anima nostra, *id est, impetum tribulationum, & tentationum insurgentium,* ait Hugo.

Rom. 9. v. 16.

Solius Dei auxilio superatis.

Prov. 1.

S. Augustin.

Lyranus.

VIII. Interrogant posthæc, & quasi dubium movent: forsitan, vel (ut Augustinus, & alii interpretantur) *Putas, pertransisset anima nostra aquam intolerabilem? Et quare dicunt: Putas?* (quærit S. Augustinus) *quia magnitudo periculi vix facit credibile, quòd evasit. Magnam necem pertulerunt, in magnis discriminibus fuerunt; omnino sic pressi sunt, ut pene vivi consentirent, ut pene vivi absorberentur.* Magnitudinem enim periculorum exprimunt: Putas? Putas possibile fuisse, quòd evaserimus aquam intolerabilem, S. Augustinus legit: *Aquam sine substantia. Quæ est aqua sine substantia? Nisi aqua peccatorum, sine substantia: peccata enim non habent substantiam, inopiam habent.* Hugo per aquam sine substantia, intelligit *voluptatem, vel divitiarum, vel etiam tribulationum, vel etiam peccatorum abundantiam*: In quibus non est substantia, juxta illud Regii Prophetæ: *Infixus sum in limo profundi, & non est substantia,* alii legunt, *& non est fundus.*

S. Augustin.

Aqua sine substantia.

Sunt peccata, vel divitiæ, aut voluptates.

Psal. 68. v. 3.

Cùm ergo in his aquis non sit substantia & fundus, putas pertransisset anima nostra aquam hanc intolerabilem, & sine fundo? Putas possibile? Planè impossibilitatem pene demonstrat ipsa æterna Veritas, quæ discipulis asseverare non veretur: *Dico vobis; Facilius est, Camelum per foramen acus transire, quàm divitem intrare in regnum cœlorum.* Hærebant attoniti ad hæc verba discipuli, ac trementes non minus, quàm admirantes dicebant. *Quis ergo potest salvus esse?* Aspiciens autem eos Jesus oculis misericordiæ, difficultatem resolvit: *Apud homines hoc impossibile est, apud Deum autem omnia possibilia sunt.*

Impossibile homini salvari.

Matth. 19. v. 23.

Sed apud Deum est possibile

Nemo ergo suis ascribat viribus, aut industriæ, quòd torrentem & aquam transierit intolerabilem, sed exclamet cum Davide: Nisi quia Dominus erat in nobis, non evasissemus, impossibile fuisset apud homines,

&

& vires humanas, possibile autem apud Deum; Quare beati in cœlo superatis aquis, & hostium insidiis liberi, exultantes decantant: *Benedictus Dominus, qui non dedit nos in captionem dentium eorum: Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium: Laqueus contritus est, & nos liberati sumus*: Et quo auxiliante? *Adjutorium nostrum in nomine Domini. Nam si adjutorium hoc non esset* (advertit S. Augustinus) *contereretur passer.*

Cum adventio Dei.

S. August. hic.

IX. Securè ergo jam cantant passeres, qui, rupto laqueo, invenerunt sibi nidum quietum, & omni periculo inaccessibilem in cœlo, sine timore exultant, qui pertransierunt torrentem & aquam intolerabilem, sed nobis adhuc miseris vinctis in mendicitate & ferro, quibus magna adhuc restat via, & magna in superandis aquis intolerabilibus pericula, nondum illuxit tempus ridendi, & exultandi, sed gemendi, & flendi tempus nos premit, multi enim gemitus nostri, & suspiria ex Babylonicis vinculis & periculis ad cœlestem Jerusalem, & visionem pacis.

Cantant te prabentes.

Lugent Victores.

Super flumina Babylonis illic sedimus, ac flevimus, dum recordaremur tui Sion. Super flumina Babylonis, super aquas intolerabiles, & sine substantia, mundi hujus fluxi, & inconstantis sedemus, ac flemus, dum recordamur tui Sion, *Ecclesiæ triumphantis*, exponit Hugo. Defecit nobis omnis cantandi, & saltandi affectus: *In salicibus, in medio ejus, suspendimus organa nostra.* Non desunt, qui nos ad cantum, & saltum excitare conentur, *quia illic interrogaverunt nos, qui captivos duxerunt nos, id est, in captivitatem peccati, & inferni ducere tentaverunt, verba cantionum: Et qui abduxerunt nos; Hymnum cantate nobis de canticis Sion.* Sed quid respondent in Babylonica mundi captivitate detentæ animæ? *Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena?* *Quasi dicerent* (juxta Hugonis expositionem) *Non est in mundo gaudendum, vel cantandum; sed magis lugendum, & gemendum. Rugiemus quasi ursi omnes, & quasi columbæ meditantes gememus, Isaiæ.* 59. *Et quare gemendum*, (quærit idem Expositor.) *Quia in valle miseriæ & calamitatis, inter tot pericula hostium adversantium. Circumdederunt me dolores mortis, & pericula inferni invenerunt me.*

Mundus Babylon.

Hugo hic.

In mundo non gaudendum ob pericula.

Isa. 59. v. 11.

Psal. 114. v. 3.

X. Quomodo obsecro cantabimus canticum Domini, & vocem exultationis emittemus in Babylone, hostilibus vinculis, & armis circumsepti? Quomodo cantabimus, saevientibus cupiditatum flammis in Babylonica fornace circumdati? Quomodo cantabimus in lacu leonum positi? Inter hiantes nos deglutire parantium infernalium

Eruti è pelicu. is inhilabimus.

leonum rictus? Quomodo cantabunt sævâ adhuc jactatæ tempestate, & mortali corpore tanquam ceto concluſæ animæ, dubiæ, in quale ſint littus evomendæ? Quomodo inter tot inferni pericula cantabimus? Super flumina Babylonis, illic ſedimus & flevimus, dum recordaremur tui Sion.

Sed ſi ſuperato demum mari rubro, & ſedata tempeſtate terram promiſſionis ingreſſi fuerimus, tunc, tunc ex ſalicibus infructuoſis ſuſpenſa reſumemus organa noſtra; Cantemus Domino, glorioſè enim magnificatus eſt, equum & aſcenſorem projecit in mare, cùm nos Pharaone Ægyptiaco cum equitibus & curribus mundanæ vanitatis in mari rubro demerſis, & contritis navibus Tharſis in ſpiritu vehementi, optatum littus attigerimus. Nam, ſicut bene Auguſtinus obſervat;

S. Auguſt. Conf. l. 8. c. 3.

Jactat tempeſtas navigantes, minatúrque naufragium, omnes futurâ morte paſſeſcunt; tranquillatur cœlum, & mare, & exultant nimis, quoniam timuerunt nimis. Si è leonum unguibus & faucibus, ſi ex flammæ graſſantis incendiis, ſi ex hoſtium inſequentium inſidiis, ſi ex inferni periculis erepti, & è Babylonis vinculis liberati in eam, quæ ſurſum eſt, Jeruſalem ingreſſi fuerimus, tunc emittemus vocem exultationis in tabernaculis juſtorum, in ſecuritate ſcilicet conſtituti, & quà tranſierimus, quà venerimus conſiderantes, Deo hymnum laudis cantabimus, *qui de tantis periculis* (in quibus tot animarum milliades perierunt) *nos eripuit, & eruit.* Eripe nos igitur, ô liberator, & ſalvator noſter de aquis multis, de fornace, lacu, & captivitate Babylonica, faciat dextera tua virtutem, & fiat nobis in ſalutem, ut ceſſent gemitus, dilatetur cor mœrore compreſſum. Tunc enim ſuper muros tuos Jeruſalem ſedebimus & cantabimus de Canticis Sion, cùm recordabimur tui Babylon, cujus laqueus contritus eſt, & nos liberati ſumus. Tunc enim à morte ſecunda liber & ſecurus *non moriar, ſed vivam*, & narrabo opera Domini, opera ſcilicet miſericordiæ, qua protegente, & educente, in æternùm *non moriar, ſed vivam, ſed vivam,*

Amen.

Rogemus Deum, ut nos eripiat.

2. Corint. 1. v. 10.

Vi ſecurè laudare poſſimus.

PLAN-

PLANCTUS

Christi Patientis, ac Matris Virginis Compatientis.

Sive Conciones duæ de Passione Domini, &c.

Ad Lectorem.

PLanctui Ecclesiæ & Animæ, apponere planctum Christi Patientis, ac Dolorosæ Matris, consonum judicavi, in quo tanquam libro amarissimo, ac simul divinis mysteriis refertissimo, Lamentationes lugubres impressæ fuerint, ut meritò illis Ezechielis verbis uti possim: *Et vidi, & ecce manus missa ad me, in qua erat involutus liber ... qui erat scriptus intus, & foris, & scripta erant in eo, lamentationes, & carmen, & væ.* Ezech. 2. v. 9.

Notat autem hic doctissimus & insignis sacrarum literarum Expositor Cornelius, S. Ioannem in suis Apocalypticis visionibus sæpè ad visiones Danielis, & Ezechielis allusisse, & specialiter in capite quinto, ubi videre se attestatur *super thronum, Librum scriptum intus, & foris, signatum sigillis septem*; Per hunc librum, suprà thronum positum, intelligit Doctor meus Seraphicus, Christum patientem in throno Crucis positum, septem sigillis mirabiliter signatum. Hunc igitur Librum Vitæ, & Lamentationum spectandum & legendum Orbi exponam, & imprimis, ductore Seraphico meo Bonaventura, Sigilla septem mysteriosa aperiam, quæ licet alta, & ad captum simplicium sublimiora videantur, ita tamen cum meo Seraphico simpliciter aperiam, ut non tantùm à legentibus, sed etiam quibusvis simplicibus deprædicanda audituris facilè capi, & penetrari valeant. Hunc ergo librum accipe amice Lector, & fac secundùm exemplar, quod tibi monstratum est, simúlque Deum pro me exora, ut non dicam tantùm, & scribam, sed & faciam. Apoc. 5. v. 1.

LIBER

LIBER
Vitæ, & Lamentationum,
Scriptus Intus, & Foris, Signatus Sigillis septem.

Thema.

Vidi supra Thronum, librum scriptum intus & foris, signatum sigillis septem. *Apoc. 5. v. 1.*

Pars I.

Aperiuntur Sigilla.

1. INter omnes humani ingenii inventiones, primas habere videtur, literarum, scripturarum, & librorũ inventio, per quam per parvula signa, & characteres, certo modo, & ordine dispositos, verba imò & animi sensa aperiuntur, occulta animi passiones & affectus exprimuntur, & variæ doctrinæ, secreta & mysteria panduntur, historiæ ab antiquis temporibus gestæ, quasi præsentes proponuntur, & homines in omni scientiarum genere instruuntur. Quis autem primus literarum, & librorum fuerit inventor, certò non constat, aliqui enim literarum auctorem Mercurium constituunt, alii meliori fundamento, Moysen Prophetam, quem Martyr Justinus scriptorum vocat antiquissimum.

Mira literarum inventio

Primus Inventor Moyses.

Majulus Dier. Canic colloq. 23. f. 767.

Sed enim si rem profundiùs consideremus nec Moysen, nec Mercurium, aut quemvis alium scriptorum primum, & antiquissimum fuisse deprehendemus, sed ipsum Deum, *Patrem* scilicet *æternum*, qui per Psaltem Regium testatur: *Lingua mea calamus scribæ, velociter scribentis:* hac penna ab æterno scripsit, & scribit, nec tamen nisi unicum expressit Verbum, in quo tamen dixit, & scripsit omnia, scilicet Verbum suum æternum, de quo Evangelista: In Principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum. Et quoniam Verbi hujus æterni generatio, est actio ad intra, Verbum hoc æternum à fœcunda Patris memoria productum ab homine mortali videri aut legi non potuit. Quando autem venit plenitudo tem-

Imò Pater noster

Psal. 44. v. 2.

Ioan. 1. v. 1.

Ioan. c 8. v. 6. temporis, Pater æternus *digito scribebat* hoc Verbum *in terra*, cùm nempe Spiritûs sancti (qui digitus Dei vocatur) operâ, Dei Filius in terra virginali conceptus, & *Verbum Caro factum est*, ita tamen mirabiliter contectũ, ut oculis humanis non appareret forma *Verbi*, sed tantùm forma hominis. Mirabilis planè Liber, qui unicum quidem Verbum, sed in illo omnes continebat scientiarum thesauros; Liber tam mirabilis, ut nec angelici spiritus ejus (per unionem hypostaticam) compositionem capere potuerint. Mirus Liber, in quo, quia absconditum Verbum divinum, vili humanitatis cortice tegebatur, à Judæis contemnebatur. Hic itaque liber, erat Christus JESUS, verus Deus, & homo, *Qui est Liber Vitæ, & Veritatis*, uti Hugo Cardinalis testatur Hunc ergo *Librũ supra Thronum* vidit S. Joannes, *scriptum intus, & foris, signatum Sigillis septem.* Quoniam *Christus est quasi liber positus in pulpito Crucis*, teste Doctore Seraphico, ideò hunc librum intus & foris scriptum auditoribus proponere, ejus sigilla septem aperire, & imprimis sub prælo positum, & ligatum exponere, Deo favente, constitui.

Christus mirus Liber.

Hug. Cardin. in Ep. ad Hebr. c. 10. v. 7

S. Bonav. Camp. Theol. Verit. l. 4. c. 10.

11. Ut fructum & eruditionem quis è libro haurire possit, clausuras, & signacula reserare necesse est, præterquã, quòd ille, qui legere intendit, characteres, & literas noverit, oportet. Testatur Isaias: *Et erit vobis visio omnium, sicut verba libri signati, quem cùm dederint scienti literas; Lege istum; & respondebit; non possum signatus est enim. Et dabitur liber nescienti literas, dicetúrque ei: lege; & respondebit: Nescio literas.* Liber in publico Crucis pulpito expositus, est Christus, Liber Vitæ, & Veritatis, divinis doctrinis & eruditionibus plenus; Si modò populum gentilem ad hunc legendum librum hortemur, lege istum, respondebit: Nescio literas, non enim instructus sum in sacris literis; Quodsi populo Judaico hunc librum perlegendum proponamus, excusabit se & ipse: Non possum, signatus est enim, & quiden Sigillis septem, magísque inde scandalizatus remanebit Judæus, quàm instructus, ne ergo Prædicemus Christum Crucifixum, Judæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam, his literas, illis autem aperire sigilla libri necesse est.

Isa. c. 29. v. 11.

Aperienda sigilla.

Vt legi possit.

1. Corint. 1. v. 23.

Varias, brevitatis gratiâ, Expositorum opiniones prætereo circa septẽ Libri sigilla, méque ad Seraphicum meum Doctorem converto, qui in suo incendio amoris sic ad propositum nostrum scribit: *Ex hoc, quòd agnus passus est, septem sig-*

S. Bonav. Incend. amoris. c. 3.

nacula libri aperta sunt; Quibus scilicet apertis in libro hoc vitæ & veritatis (Christo Crucifixo) miram rerum omnium scientiam haurire licebit, nam eodem Seraphico Doctore teste: *Liber iste, est universalis rerum notitia, in quo septem erant clausa homini, quæ quidem sunt per Passionis Christi efficaciam reserata, scilicet Deus admirabilis, spiritus intelligibilis, mundus sensibilis, Paradysus desiderabilis, Infernus horribilis, virtus laudabilis, reatus culpabilis.*

Septem Sigilla enumerantur.

Obscurè, & in ænigmate adhuc tibi loqui videtur Seraphicus, sed ecce singula aperire, & per ordinem clarè tibi exponere paratus est.

III.

Primùm itaque Sigillum & Secretum ante Christi passionem humano generi clausum, est Deus mirabilis: Nec enim mundus agnoscebat, quàm Deus esset mirabilis in sua sapientia, quàm mirabilis in justitia, quàm mirabilis in misericordia. *Primò enim* (ait Seraphicus) *Deus admirabilis manifestatus est nobis per Crucem, esse summæ & inscrutabilis sapientiæ; Summæ, & irrepræhensibilis justitiæ, summæ, & inenarrabilis misericordiæ.*

Primum Sigillum, Deus mirabilis.

S. Bonav. cit.

Et quidē ad sapientiam mirabilem, quod attinet, *summâ suâ Sapientiâ decepit diabolum.* Confidebat in astutia sua antiquus serpens, facilè se capiendum aut inescandum fastuosè præsumens. *An extrahere poteris Leviathan hamo?* quærit Propheta patiens. Acsi diceret, pisces quidem hamo escâ contecto, capiuntur, & extrahuntur, serpens autem antiquus, & Leviathan omne genus humanum devorans occultiori indiget astutiâ *Sed hamo captus est,* (subnectit glossa ordinar.) *quia in redemptore nostro, dum per satellites suos escam corporis momordit, divinitatis illum aculeus perforavit. In quo hamo* (docet Hugo Cardinalis) *Crux, est quasi virga, clavi quasi linea, Divinitas ferrum, Caro Christi, vermis.* Dum despectū ergo vermiculum, Christi scilicet Carnem deglutire mors, & diabolus præsumebant, inescati ipsi, & capti sunt, miro divinæ Sapientiæ stratagemate, quo jam & morti & infernali Leviathan Dei Filius per Oseam comminabatur: *Ero mors tua, ô mors; Morsus tuus ero, inferne.* Nempe (ut pulchrè Rupertus Abbas exponit) *mordebis me, inferne, & ut hamum devorabis, sed postea hamo divinitatis meæ dirumpam ventrem tuum, & exibo.* Serpentis tantùm astutia, & dolosa sapientia mundo nota, Dei autem mirabilis Sapientia erat abscondita, in Christi autem passione, Dei Sapientia summa revelata est, à qua dæmonum sapientia devorata est.

In Sapientia.

S Bonav. ibid.

Iob. 40. v. 20.

Glossa Ord. hic. *Damon Leviathā*

Hugo in Ioan. c. 12 v. 31.

Hamus divinitas, vermis humanitas.

Oseæ c. 13. v. 14.

Rupertus Abbas hic

Secundò per Christi passionem

nem, & Crucem manifestatus est Deus admirabilis in justitia, quòd nempe sit *summæ & irrepræhensibilis justitiæ* ait Bonaventura: Suum cuique tribuens, & exactam exigens satisfactionem. Magna humanum genus contraxerat debita erga Deum creatorem suum: quæ debita ratione boni offensi infiniti, infinitam habebant gravitatem, uti inferius ex apertione sigilli septimi clariùs patebit: quare debitis his infinitè magnis, infiniti pretii solutione obuiari necesse erat, & debebat quidem (siquidem exactè justitiæ subtilitates & Juris divini apices observandi essent) non ab extraneo, sed à propinqno & necessario debitoris (humani generis) fieri satisfactio.

Mirabilis in Justitia.

In debitis enim, ex injuria illata, contractis, non à quovis, sed ab eo, qui injuriam intulit, vel ejùs saltem propinquo, satisfactionem prætendit Creditor; Vide anima, quàm rigida erat & accurata in sua prætensione divina justitia, cui tamen satisfaciendi medium non inveniebatur. Nam *Homo propinquus erat, sed pretium non habebat*, solvendo scilicet debito, à Patre Protoplasto, contracto, & à posteris semper multiplicato, uti notat S. Bonaventura: *Deus pretium habebat, sed propinquum non erat; Non debebat nisi homo; non poterat, nisi Deus.* Quid ergo remedii divina adinvenit Sapientia, ut punctualissimæ justitiæ satisfieret; *Factus est ergo* (inquit Seraphicus) *Deus homo propinquus, & factus est noster* IESVS, *vir pretiosior auro, & homo mundo obrizo, ut dicit Isaias: Sacculum pecuniæ tulit secum, quia Deus homo in carne apparuit, & Verbum in carne, quasi pecuniam in sacco abscondit, & hominem reum redemit.* Ut autem redimere, & pretium effundere Dei Filius posset: *Conscidisti saccum meum.* Magnus planè justitiæ, & inauditus rigor, *quæ proprio Filio suo non pepercit* qui debitum solvendum in se suscepit, & pro nobis fidejusit; Quare scidit sævissimè innumeris vulneribus carnis saccum, ut copiosissimè effluueret sanguis pretiosissimus, (ob unionē cum Verbo) infiniti valoris, sicque infinito debito satisfactum pretio. Verè summa, irrepræhensibilis tamen divina justitia, & admirabilis, per Christi passionem mundo revelata.

S. Bonav. in Collat. Collat. 1.

Homo pretium non habebat.

Sed Deus Isa. c. 12. v. 12.

Scidit saccum ut funderet pretium. Psal. 29. v. 12.

Rom. 8. v. 32.

Sed non minùs, in hujus sigilli apertura, mundo illuxit, summa, & admirabilis Dei misericordia, dum Pater æternus *summâ suâ misericordiâ pro nobis tradidit filium suum*, ut verbis Seraphici Doctoris utar. *Sic* planè *Deus dilexit mundum, ut Filium suum*

Deus mirabilis in misericordia.

S. Bonav. Incend. amoris cit.

unigenitum daret,& quidem pro servo daret,ut major in servum, quàm Filium misericordiâ ferri videretur, nam, ut canit sancta Mater Ecclesia, *ut servum redimeres Filium tradidisti.* Hæc ergo primi sigilli est reseratio, Deus mirabilis in Sapientia, Justitia & Misericordia.

IV. *Secundò Spiritus intelligibilis nobis manifestatus est per Crucem*, ait Seraphicus cit. Et est hæc secundi sigilli revelatio. Triplicem autem differentiam in spiritibus intelligibilib' notat S. Bonaventura, nempe Angelorum, Animæ hominis rationalis, & dæmonum. Aparuit itaque spiritus intelligibilis, *quantæ sit benignitatis, quantùm ad Angelos, ... Nam Angeli permiserunt crucifigi Dominum suum.* Licet enim Angeli pacis amarè flerent & condolerent suo Regi gloriæ, tam dura patienti, tamen eum è manibus tortorum eripere non sustinuerunt, plus ex innata erga genus humanum benignitate, nobis perituris compatientes, quàm Dei Filio patienti, qui oblatus est, quoniam ipse voluit.

2. Sigillũ. Spiritus intelligibilis.

Quoad Angelos.

Quantæ benignitatis.

Hinc etiam mundo innotuit, *quantæ sit dignitatis* spiritus intelligibilis, *quantùm ad homines*, cùm propter nos homines, & propter nostram salutem Dei Filius de cœlo non tantùm descenderit, humanam assumens naturam, sed etiam manibus tradi nocentium, & Crucis subire tormentũ voluerit,ne pretiosa hæc margarita, SS. Trinitatis imagine insignita perderetur, dignam eam æstimans pro qua Patri suo per 33. annos in duris laboribus serviens,eam proprio etiam sanguine redimeret.

Quoad animam rationlẽ.

Quantæ dignitatis

Clarè quoque manifestatus est per crucem,& passionem Filii Dei, spiritus intelligibilis, *quantæ sit crudelitatis, quantùm & dæmones*: nam non contenti, quòd ad mala omnia, & ruinam extremam humanum genus adduxerint, innocentiæ originalis dono, immortalitate, & ipsa cœlesti patria privatum, in ipsum Dei Filium crudelitatem suam exercere non erubuerunt, siquidem (ut notat Seraphicus cit.) *Dei Filius crucifixus est ... ad crudelem suggestionem dæmonum.*

Quoad dæmones

Quantæ crudelitatis.

V. *Tertio mundus sensibilis, nobis manifestatus est, per crucem, quoniam est locus tenebrarum plenus, in quo regnat cæcitas, quoniam lucem veram & summam, non cognovit; regnat sterilitas, quoniam IESVM Christum tanquam infructuosum despexit; & regnat impietas, quoniam Deum, & Dominum suum, & amicum, & innocentem damnavit, & interfecit.*

3. Mundi perversitas

S. Bonav. cit.

Eousque mundus politicis colo-

coloribus, & prætextib' malitiã suam poterat honestare, nec deerant persequendis justis honesti tituli; In passione autem & morte Christi detracta pelle vulpina, & larva mundo maligno fuit manifestatus, in hoc sigillo mundus, in maligno positus, dum per librum vitæ, veritatis, innocentiæ & justitiæ (Christum) plenè convictus, ulteriorem se excusandi non invenit facultatem, eum occidens, in quo non solùm non inventus, sed nec inveniri reatus potuit.

Semper hucusque prætextu inveterat

4. Sigillũ Paradysus desiderabilis. Hebr. 12. v. 2.

Secretum in quarto sigillo revelatum per Christi passionem, est *Paradysus desiderabilis*, quem inde dignum æstimare, discimus, quòd ipse Rex gloriæ pro restituenda nobis æternæ beatitudinis possessione, formã servi accipiens tam dira pati non recusavit, nec triginta trium annorum labores asperrimos, æstimavit condignos ad futuram gloriam, hinc & ipse lubens *proposito sibi gaudio sustinuit Crucem*, tantam sperandæ beatitudinis nobis magnitudinem contestans, ut *non sint condignæ passiones ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.*

Rom. 8. v. 18.

5. Sigillũ. S. Bonav. cit.

Quinto Infernus horribilis manifestatus est nobis per crucem, locus utique plenus omni egestate, & penuriâ, vilitate & ignominiâ & omni calamitate & miseriâ, unde si necesse fuit, hæc Christum pati propter peccati (non quidem proprii sed alieni) *deletionem, multò fortiùs oportet hæc pati damnatos propter istam meritorum suorum retributionem.* Manifestè etiam hinc colligi potest, tremenda, & horrenda, futura damnatorum pœna, & ignominia, cùm Christus, illi avertendæ, tam magnos & excessivos tulerit cruciatus, ut omnes transeuntes ad sistendum compellet: *Attendite & videte, si est dolor, sicut dolor meus.*

Infernus horribilis.

6. Sigillũ.

Sexto manifestata est nobis per Crucem, virtus laudabilis, quàm scilicet sit pretiosa, speciosa, & fructuosa. Verè pretiosa, quia potiùs voluit Christus vitam corporalem perdere, quàm virtuti contraire. Verè speciosa, quæ in ipsis contumelijs relucebat. Et verè fructuosa, quia unus actus perfectæ virtutis infernum spoliavit, cœlum aperuit, & perdita restauravit. Hæc Seraphicus verè Seraphicè, cui addidisse aliquid, decerpsisse est.

Virtus laudabilis.

VI.

7. Sigillũ.

Denique *manifestatus est nobis per crucem reatus culpabilis, quantum sit detestabilis, cùm ad sui remissionem indigeat tam magno pretio, grandi piaculo, & tam difficili medicamento.* Magna utique & periculosa plaga est, quæ tam crudeli, & immiti indigebat sectione, ut Dei Filius totum corpus suum, vel saccum discindi,

Reatus culpabilis

cindi, & effundi pretiosissimum suum sanguinem pro pretio pateretur. Magnus utique, & infinitus reatus, qui tale infinitum requirebat pretium.

Requirit infinitum pretium.

Pone in unam bilancis partem omnia sanctorum Angelorum, Martyrum, & Confessorum merita, & bonorum operum thesauros: in alteram, unicam Dominici Sanguinis profusam guttulam, & ecce hæc infinito, & incomparabili modo, omnibus Sanctorum meritis præponderabit. Sed & unicum pone peccatum mortale, cui in bilance omnia Sanctorum, & Angelorum merita opponas, tamen cuncta hæc purarum creaturarum quamvis eximia merita, nec ulli præponderare mortali peccato poterunt, sed pretium & pondus infiniti meriti & valoris requirit. Nam *peccatum habet quandam infinitatem ex infinitate divinæ majestatis, tantò enim offensa est gravior quantò est major ille, in quem delinquitur.* Unde pretiũ infiniti valoris, reatus peccati pro sui satisfactione requirebat, Sanginem Filii Dei qui infinitæ est dignitatis. Sicut enim peccatum omnibus præponderat Sanctorum meritis, sic solo præponderatur Filii Dei sanguine infinitè pretiosi.

S Thom. 3 q. 1. a. 2.

Eadem ratione gravitas peccati apparet ex tam grandi piaculo, licet enim in testamento veteri tot millia Sacrificia pro peccatis oblata, & vitulorum, boum, & ovium infinitus numerus fuerit mactatus, cum omni tamen hac sanguinis effusione non potuit fieri peccatorum remissio, nisi ipsius Agni Dei Sanguis pretiosissimus accederet.

Infinitam expiationem.

Nec minùs gravitas infirmitatis nostræ apparet, quæ à Dei Filio (qui infirmitates nostras portavit) susceptа, tam crudeles sectiones, sudorem sanguineum, & emplastra mordacissima exigeret.

En Librum Vitæ, & Lamentationũ mirabilem, ex cujus septem apertis sigillis tam alta, & compendiosa doctrina, & universalis rerum omnium notitia hauritur, mundo priùs abscondita, & velata. Ut ergo Librum Vitæ, Christum Crucifixum, cum fructu legere & intelligere valeas, hæc signacula priùs aperienda expende, aliàs apparebit tibi, sicut verba libri signati, qui cùm datus fuerit scienti literas ad legendum, respondebit: *non possum, signatus est enim.* Reclude ergo priùs secreta hæc & mira Libri Vitæ sigilla, & *pone ea sicut signaculũ super cor tuum,* cognitis enim bene, & penetratis hisce signaculis, ac cordi nostro

Cant. 8. v. 6.

ſtro impreſsis, ad inſpiciendos protinus, & cognoſcendos mirabiles libri vitæ characteres & hauriendos divinæ ſapientiæ, & ſcientiæ theſauros introducet nos divina bonitas, ut exactâ Dei juſtitiâ exterriti, divinâque miſericordiâ confortati, agnoſcamus animæ noſtræ rationalis dignitatem, mundi fallaciam & vanitatem, Paradyſi deſiderabilem gloriam, inferni tremendam pœnam, virtutis decorem, ac culpæ gravitatem, & ita vitæ noſtræ inſtituamus rationem, ut ſacratiſsimæ paſsionis ſalubrem in nobis experiri effectum, & ad ejus (qui aperit librum, & ſoluit ſeptem ſignacula ejus) ſocietatem & gloriam pervenire feliciter valeamus, Amen.

***

LIBER

LIBER

Vitæ, & Lamentationum,

Scriptus Intus, & Foris, signatus Sigillis septem.

Thema.

Vidi supra Thronum librum scriptum intus & foris, signatum sigillis septem. *Apoc. 5. v. 1.*

Pars II.

Ponitur Liber Vitæ sub prælo, & Ligatur.

I.

Varij librorum tituli.

TItulum liber sortiri solet conformiter materiæ, quæ in eo tractatur; Sic Ovidius versibus in amore, licet minùs pudicè, ludens, eos *de Amore* inscripsit, queîs tamen nullam nisi exilii mercedem meruit, quare demum exul, elegias, quas *Tristium* intitulavit, scripsit, tristem exilii sui statum in iis deplorans magis, quàm canens. Sic & Jeremias Propheta, dum in fine libri sui lamentabilem urbis, & populi sui statum deplorat lugubribus versibus, eos, *Threnos, seu Lamentationes vocare*, Expositoribus, ac SS. Patribus placuit. *Conformiter materiæ.*

Pari ratione Christus Crucifixus, tanquam liber in pulpito Crucis nobis legendus propositus, pro varietate materiæ, ex diversis respectibus, & considerationibus, etiam diversis intitulatur nominibus. *Liber enim Vitæ* nominatur, eò quòd vitam nobis deperditam, moriendo restituit; *Liber Veritatis*, eò quòd collapsam in mundo *Christus Liber Vitæ.* *Veritatis.*

mundo veritatem, & erexit, & annuntiavit. *Liber* etiam *de Amore* commodè vocari potest, eò quòd inter omnes virtutes maximè prævaluerit Amor, *De me solus Amor, potuit portare triumphum.* De quo & dilectus testatur discipulus: *Cum dilexisset suos, in finem dilexit eos, & quidem per Excessum Amoris.* Quoniam autem *propter nimiam charitatem, qua dilexit nos tradidit semetipsum pro nobis*: Tristis secutus est & tragicus Passionis suæ successus, qui meritò tractatus, & *Liber Tristium* inscribitur, quoniam in eo non aliud scriptum reperitur, quàm Lamentationes, & carmen, & væ. *Tristis est anima mea, usque ad mortem.* Quoniam igitur sigilla signati libri hujus, & Tristium, jam præcedenti discursu aperuimus, ad ipsum porrò librum applicando mentis nostræ oculos, miros inusitatos, & lamentabiles perscrutemur characteres, ipsum librum modò præ lo subjectum, & ligatum, inspecturi.

Jo. c. 13. v. 1.

Lamentationum in passione.

II. Ut ordinatè procedamus, librum statim à Capite incipere proposui, & à primo Capite sumere principium, de quo Psalmista Psal. 39. mentionem facit; *In Capite libri*, veluti S. Hieronymus legit, *In Capitulo Libri; scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuã.* Quæstio nõ levis oritur, quodnam hoc Caput vel Capitulum, & quis ipse liber, de quo in persona Christi David loquitur: *In capite Libri, scriptum est de me.* Ad litteram, S. Augustinus per hoc caput, seu Capitulum Libri, primùm Psalterii Davidici psalmum intelligit, de Christo conscriptum, in quo maximè fervens ad legem Dei voluntas commendatur: *In lege Domini voluntas ejus.* Doctor Angelicus cum Hugone Cardinale per Librum intelligit Christum ipsum. *Qui est Liber, in quo debemus legere*, itaque in capite libri scriptum est de me, id est, *sum forma, & exemplum justitiæ hominibus.* Caput quidem Libri, esse Patrem cœlestem, asserit Hugo: Itaque in capite Libri, id est, *apud Deum Patrem, qui est Caput meum, dicit Christus, scriptum est, ut facerem voluntatem tuam.* Sed quæ voluntas in Capite, & Patris æterni *Ordinatione* (ut cum Angelico loquar) scripta est? Hæc: ut tot offensæ, & peccata, quibus à mortalibus fuerat offensus, digna expiarentur victimâ, & sacrificio.

Psal. 39. v. 9.

Liber Christus. S. Aug.

Psal. 1. v. 1.

S. Thom. ad Hebr. c. 10.

Hugo hic & in ps. 39.

Caput libri est Pater æternus.

Præscripserat quidem ipse Deus Moysi modum Sacrificii piacularis, germano suo Fratri, Aaron Pontifici intimandum; videlicet *Duos hircos stare faciet coram Domino, ... Cujus exierit sors Domino, offeret illum pro peccato; cujus autem in Caprum emissarium, statuet eum vivum coram Domino*

Duo hirci stantes coram Domino.

Le. 16. c. v. 16.

mino, ut fundat preces ſuper eo & emittat eum in ſolitudinem.

III. Sed mirum, quòd hoc loco expreſsè ſacrificium pro peccato prætendat, & præcipiat Deus, à ſummo Sacerdote magna ſolemnitate peragendum, cùm tamen contrarium atteſtari regius Propheta videatur, nolle ſcilicet immolari ſibi ſacrificiũ propitiatorium, & holocauſta. *Sacrificium, & oblationem noluiſti; aures autem perfeciſti mihi. Holocauſtum, & pro peccato non poſtulaſti; tunc dixi: ecce venio.* Cur autem holocauſta propitiatoria Deus per Davidem recuſat? cauſam dat ſolidiſſimam Apoſtolus. *Impoſſibile enim eſt, ſanguine taurorum & hircorũ auferri peccata:* Si ergo taurorum & hircorum ſanguine non auferuntur peccata, cur ergo Deus in lege holocauſta, & ſpecialiſſimè, hircũ pro peccato offerri mandavit, ſiquidem immolari hircum pro peccato præcepit Deus, cur efficaciam auferendi peccata non habuit? Utriuſque rationem iterum reddit Apoſtolus: *umbram enim habens Lex futurorũ bonorum, non ipſam imaginẽ rerum.* Quia ergo ſacrificia legis veteris tantùm umbra, & figura fuerunt ſacrificii veri expiatorii, ideò vim expiandi non habuerunt, umbra enim & figura cauſæ, non habet cauſalitatem & vim producendi effectum; & tamen eo ipſo, quòd umbra & figura veri ſacrificii propiatorii fuerunt ſacrificia veteris teſtamenti, Deus voluit ea & mandavit tanquam umbram propitiationis, & futurorum bonorum; noluit autem ea, tanquam ipſam imaginem rerum, erat enim ſacrificium & oblatio umbratica tantùm; *aures autem perfeciſti mihi, id eſt, voluntatem obediendi tibi*, gloſſatur moralis. Verba hæc ſunt Unigeniti Dei, qui factus obediens uſque ad mortem, ſeipſum hoſtiam pro peccatis erat oblaturus, uti probè notat Apoſtolus: *Ideò ingrediens mundum dicit: Hoſtiam & oblationem noluiſti; Corpus autem aptâſti mihi.* Sequitur Apoſtolus lectionem ſeptuaginta interpretum, qui (pro aures perfeciſti) legunt, *Corpus aptâſti mihi.* Nec duæ hæ lectiones ſibi invicem contrariantur, ſed potiùs ſeinvicem explicant. Vulgaris enim lectio per aures obedientiam Filii Dei, ſeptuaginta autem obedientiæ tam objectum, quàm ſubjectum attingunt, *Corpus autem aptâſti mihi.* Hoc eſt (uti Hugo Cardinalis notat) *ideo Corpus aptâſti, quia obedientia fuit in corporis oblatione, & aptando corpus ſuum Cruci. Holocauſtum, & pro peccato non poſtulaſti*, vel (ut Apoſtoli verbis utar) *Holocautomata pro peccato non tibi placuerunt*, duo ſcilicet hirci, emiſſarius & pro peccato, figuraliter

Holocauſta non voluit Deus

Pſal. 39. v. 7.

Et quare?

Hebr. 10. v. 4.

Hebr. 10. v. 1.

Sacrificia vetera tãtùm figura,

Gloſſa moralis.

Figuratũ Chriſtus.

Hugo in pſal. 39.

ter oblati, *tunc dixi; Ecce venio*, ego Hircus pro peccato figuratus: Nam *in capite libri hujus psalmorum* (addit Interlinearis) *scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam*, ut scilicet, aptando mihi Corpus, in ara Crucis fierem Hircus pro peccatis populorum.

IV. Observandum autem, quòd in veteri testamento, tanquam umbra futurorum, non unum tantùm, sed duos hircos sistere coram Domino in ostio tabernaculi jussus est Pontifex: *Quia* (ait Ordinaria) *Christus, Deus, & homo: Secundùm humanitatem passus, secundùm divinitatem impassibilis.* Humanitas fuit hircus pro peccato; Divinitas autem Hircus Emissarius, in solitudinem dimissus, *id est, in sinum Patris, quo nullus accedit nisi ipse, & Spiritus sanctus*, ut eadem glossa commentatur. Et quidem *in cœlum Divinitas tempore passionis abysse dicitur, non locum mutans, sed quodammodo virtutem cohibens, ut possent impii consummare passionem.* Cornelius de Lapide, docet, quòd etiam *Hircus pro peccato significat Christum immolatum; Emissarius significat genus humanum, quod per Christi mortem, à morte manumissum & liberatum est.*

Hircus pro peccato humanitas.

Gloss. Ordin.

Emissarius, divinitas.

Emissarius est genus humanum.

Quoniam igitur noluit Deus holocautomata & oblationes umbraticas animalium hircorum, ut iis placaretur, pro vero, & figurato Hirco pro peccatis sistere se voluit æterno Patri, Filius, & immaculatus Agnus Dei, tanquam Hircus pro peccato; *Aures perfeciſti mihi: Corpus aptâsti mihi: tunc dixi: Ecce venio;* Quoniam *in capite libri* (apud Deum Patrem) *scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam*, & fierem Hircus pro peccato. *Deus meus volui.*

Voluit, & consensit immolari pro peccatis nostris Dei Filius, non modò tantùm in tempore, dum corpus jam sibi erat aptatum, sed ante omnia tempora, Ipse est enim *Agnus, qui occisus est ab origine mundi*, quia ab æterno erat scriptum in capite libri apud Deū Patrem: Et quia ab æterno hanc Patris voluntatem implere non tantùm paratus, sed avidissimus erat redimendi humani generis: *Ecce ego, mitte me.* Volui, ab origine mundi, occisus in figuris, in sacrificio Abel, in agnis, ovibus, tauris, & maximè in Hirco pro peccato. *Deus meus volui*: Sed ecce, dum ipsum sacrificium figuratum actualiter offerri, & Hircus pro peccato, æterno Patri, in ostio tabernaculi Legis novæ sisti debuit, & ad macellum duci, *cœpit pavere, & mœstus esse.* Et fateri non erubescit: *Tristis est anima mea usque ad mortem.*

V. *Ab æterno Dei Filius voluit.* Apoc. 13. v. 8.

Marci. 14. v. 33. Math. 26 v. 18.

Non quidem, quòd voluntas obediendi, patiendi, & seipsum sacrificandi intepuerit, quæ

In Christo triplex voluntas.

quæ sicut ab æterno clamavit: *Deus meus volui*, ita & nunc clamare non cessat: Volo. Notandum tamen est, quòd multiplex in Christo fuit voluntas, increata scilicet, & creata: Creata rursus, alia rationis, alia sensualitatis, seu voluntas carnis. Voluntas increata, quæ ab æterno clamabat, Deus meus volui, non tantùm hîc non contradicebat passioni, *sed imperabat, & ipsa sententiam dictabat*, ut notat Seraphicus in vita Christi. Voluntas verò creata rationalis *obediebat, & consentiebat*; Voluntas autem sensualitatis, & carnis, *nullo modo volebat pati*. Hinc ipse testatur Dei Filius ex propria scilicet experientia; *Spiritus quidem promptus est, Caro autem infirma*. Voluntas divina petebat Justitiam, creata rationalis obedientiam, sensualis à passione liberationem. In hac acri voluntatum concertatione procidens in faciem suam Dei Filius, & humili supplicatione ad Patrem recurrens, cum clamore valido, & lacrimis petebat: *Pater, si fieri potest, transeat à me calix iste. Et hæc petitio*, ait S. Bonaventura, *fuit tam sensualitatis, quàm rationis: Sed sensualitatis tanquam affectantis, rationis autem, tanquam proponentis: Et sic ratio pro sensualitate advocavit.*

S. Bonav. Comp Theol. Ver. l. 4. c 17.

Divina.

Idem in vita Christi, c. 75.

Rationalis & sensualis.

Marci 14

S. Bonav. Comp. Th. verit. cit.

VI. Egit in hac parte ratio instar Advocati, à simplici rustico ad advocandum, & supplicandum requisiti, in causa non undequaque justa; Hoc casu prudens, & fidelis Advocatus, causæ periculum rustico exponens, ad desistendum, & se quietandum hortatur, cùm nihil sibi videatur evicturus; Si tamen acquiescere nolit rusticus, Advocatus pro viribus quidem clientis causam promovet, & Judici commendat, protestans etiam Judici, se ad hanc causam susciendam instanter rogatum, eam meliori modo commendare, nolle verò de cætero officii ejus æquitati præjudicare, si verò compati, & condescendere valeat, pro consolando pauperculo, & simplici cliente, se fore obstrictum.

Ratio advocata sensualitatis.

Similitudo de advocato.

Sic etiam ratio, non in causæ sensualitatis æquitate confidés, sed fragilitati ejus & infirmitati compatiens, & ab infirma carne importunè interpellata, apud cœlestem Patrem advocavit: *Pater, si fieri potest, transeat à me calix iste*. Probè autem agnoscens hanc petitionem minus justitiæ, & voluntati esse consentaneam, statim subjecit, protestando quasi: *Veruntamen non mea voluntas, sed tua fiat*. Novi enim, quòd *in capite Libri, scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam*. Hoc est (uti ordinaria glossatur.) *Sic est præsinitum apud Deum Patrem, qui est Caput mei, qui sum Liber, id est, forma*

Glossa Ordin. in psal. 39.

forma Iustitiæ hominibus.

In ista ergo Voluntatum concertatione initium sumpsit *Liber Tristium, & Lamentationum*, & est hoc primum ejus lugubre *Caput*, & triste *capitulum* in Monte oliveti Prælo subjectum. Dum *factus* Dei Filius *in Agonia, prolixiùs orabat*, colluctante spiritu cum carne, & hoc ad nostram non tam consolationem, quàm instructionem, nempe (teste Seraphico) *ut sciamus non esse peccatum, aliquid velle ex sensualitate, quod est contrarium divinæ voluntati. Secundò, Ut Martyres Christi non deterrent, si mortem horreant, cùm eam etiam Filius Dei horruerit; Tertiò, Ut discamus discretè petere, scilicet supponendo Voluntatem Voluntati divinæ sicut in capite libri scriptum est.*

Christus contristatus.

S. Bonav. Comp. cit.

Ad nostram do Etrinam.

VII. Plenissimè se quidem Dei Filius Paternæ subjecerat voluntati, prostratus in terram, tanquam vilissimus terræ vermiculus, & Hircus pro peccato mactandus. Nec dubium, quòd non tantùm Angelus, ad eum confortandum missus, sed omnes cœlestes spiritus Regem suum gloriæ cùm summa compassione in terram prostratum, contristatum, pavidum & mæstum, & trementem ad divinæ Justitiæ severissimum rigorem, spectaverint, maximè dum

Luc. 22. *factus est sudor ejus, tanquam guttæ sanguinis decurrentis in terram.*

Eheu quantæ angustiæ, quantæ amaritudines tenerrimum Cor Salvatoris occupârunt, quæ tam copiosum ipsi, & sanguineum expresserunt sudorem!

Liber Vitæ sub Prælo positus.

Ut taceam diversas (quas contemplativiti offerunt) hujus sanguinei sudoris rationes, unica, præ cæteris omnibus mihi sufficiat, nempe gravitas ipsius peccati; dum iniquitates omnium nostrum humeris Salvatoris, tanquam hirco pro peccato, impositæ, sicut gravissimum prælum, ita Librum Vitæ aggravârunt, & depresserunt, ut prostrato in terram Filio Dei etiam sanguineum expreserint sudorem. Hoc est ergo prælum illud gravissimum, quod Libro Vitæ sanguineas impressit defluentis sudoris rubricas, nulli non, nisi lacrimantibus oculis legendas.

Peccatorũ gravitas expressit sanguinẽ.

Ex istis Libri Vitæ, rubricarum primitiis, & sanguineo sudore maximè apertũ fuit septimum Sigillum, scilicet *reatus culpabilis*, quàm culpabilis & gravis sit peccati reatus, & infinitus suo modo. Est enim culpa mortalis *infinita in offensione*, quæ nullis holocaustorum sanguine, & sacrificiis, sed solo infiniti pretii sanguine Filii Dei potuit expiari. Apparet secundò *infinita in turpitudine, Turpitudine*, siquidem Filius Dei susceptis in se mundi peccatis, Hircus pro peccato, & pro nobis maledi-

Culpa infinita

In Offensione.

ledictum factus, ita vilis, despectus, & abjectus, fœtidus & sordibus sibi innotuit, ut instar filii prodigi, animalium curæ destinati, ante faciem Patris, & cœlestis curiæ comparere erubesceret, alienis licet peccatorum sordibus onustus, & sordidatus. Tertiò, apparuit, culpa *infiniti ponderis in gravitate*, nam humeris unigeniti Dei Filii imposita, ita faciem, corpúsque totum depressit, & ad Angelorum pedes prostravit ac oppressit, ut sanguineum etiam exprimeret, inaudito miraculo, sudorem. O Præli pondus! O Torcularis vehementiam! O peccati gravitatem! Quæ sudorem sanguineum Filio Dei expresit.

Gravitate.

VIII. Nunquid causam habeo gravidam, & ponderosam, Dei Filium sudore sanguineo perfusum cum Seraphico meo alloquendi: *Quare rubrum est indumentum tuum, & vestimenta tua sicut calcantium in torculari?* *Torcular calcavi solus*, respondet dulcissimus Dei Filius, *& de gentibus, non est vir mecum.* Torcular calcavit, sed non calcavit tantùm, sed magis ipse calcatus est. In judicio, quando dies ultionis erit in corde ejus, calcabit ipse peccatores, sed in passione ipse calcatus & conculcatus, & tanquam prælo aut torculari pressus fuit, & quidem solus, nam, ut Interlinearis notat, *Omnes Apostoli, relicto eo fugerunt.* Fugiunt Apostoli, fugiunt discipuli, fugiunt Christiani tanquam Hirci Emissarii in solitudinem festinantes, relicto solo Filio Dei inter hostium inimicos, tanquam Hirco pro peccato.

Isa. 63. v. 2.

Torcular calcavit,

Vel potius calcatus,

Hirco emissario omnia peccata, & iniquitates, imprecabatur super caput ejus Pontifex, & sic dimittebat. Nos, nos peccatores Hirci sumus emissarii, divinæ justitiæ imprecationibus, & propriorum peccatorum fœditate, & gravitate onerati, & tamen in mundi solitudine petulanter oberrantes, & saltantes, tanta animi levitate, & petulantiâ oberramus, tanquam nullum sentiremus peccatorum pondus, & Christo Hirco pro peccatis nostris immolato, nullum nos proprio- *Maledi-* rum peccatorum onus premeret. *ctione ple ni*

Nos hirci emissarij.

Sed ô hirci emissarii, ô hirci fœtidi peccatores, Christus Agnus Dei immaculatus pro no bis hircus pro peccato factus, ita sub alienis gemuit peccatis, emisso etiam sanguineo sudore, cur non & nos nostram sentiamus fœditatem, & gravitatem peccatorum, sub tanto præli, & torcularis pondere gementes, & Dei Filio compatientes, qui meritò conqueri-

Nec tamẽ onus sentimus.

queritur, quòd torcular calcavit solus, & de gentibus non est vir secum.

Junge te igitur, ô Anima peccatrix, & compatere Dei Filio pro te, sub prælo, gementi, lege sudoris sanguinei notas in Libro vitæ expressas, qui ligandus ab hostibus conquiritur.

IX. Ioan. c. 18. 12. *Cohors autem, & tribunus, & ministri Iudæorum, comprehenderunt Iesum, & ligaverunt eum.* Ligatur liber ad decorem, & subinde si manibus magnatum tractandus sit, copertâ, (ut vocant) elegantior, & inaurâtâ, ac funiculis sericis vario colore distinctis ligatur; sed Liber vitæ duris funibus, & ferreis immaniter colligatus vinculis, crudeliter à lictoribus, (nec mysteria libri signati, nec literas scientibus, & agnoscentibus) pedibus sacrilegis conculcatur.

Ligatur Liber vitæ.

Notat Augustinus, quòd impii lictores comprehenderunt, & ligaverunt eum, *à quo solvi potiùs velle debuerunt.* Et quinam lictores isti, qui tam immaniter Librum Vitæ, Verbo æterno inscriptum ligant, nisi nos peccatores ingrati? qui quantùm in nobis est, Dei Filium denuò prælo subjicimus, peccatorum nostrorum onere illum prementes, & vitiorum nostrorum vinculis colligantes, à quo solvi potiùs velle deberemus. Ut enim quondam hircus pro peccato nostro ligandus, ita modò venit agnus peccata mũdi, & vincula pravitatis nostræ soluturus, ad dandam pervincula & captivitatem suam nobis tanquam hircis emissariis libertatem.

Apud Hug hic.

Christus ligatus nos solvit.

Huc ergo properent hirci fœtentes emissarii, peccatores, *sedentes in tenebris* & umbra mortis, vincti in mendicitate & ferro, *sedentes* perseveranter, *in tenebris*, ignoranter, *in umbra mortis*, culpabiliter, *vincti* pœnaliter *in mendicitate* penurialiter, *& ferro*, obstinatè; properent, dico, ad sacrata hæc vincula peccatores vincti, ut vel per contactum horum vinculorum ipsi à suis vitiorum vinculis solvantur. Psal. 106. v. 10.

Ad vincula Christi recurrite.

Et siquidem Catena, qua Christi Vicarius Jerosolymis tenebatur ligatus, Romam allata cum illa se, conjunxit, & sua virtute obsessum Ottonis Imperatoris comitem à maligni spiritûs captivitate liberavit, ita vincula peccatorum nostrorum supplices innocentis Salvatoris vinculis innectentes, per ea à maligni spiritus servitute liberationem rogemus, ut sic cum Psalmista dicere valeamus, *dirupisti Domine vincula mea.* Psal. 115. v. 17.

Vincula non denovo danda.

Optimè notat Hugo Cardinalis Hug. Cardin. hic.

nalis: *Non dicit denodasti, sed dirupsti, quod utilius est*: hinc & Hieronymus: *Hærenti in salo naviculæ, funem magis præscinde, quàm solve.* Quod enim solvitur tantùm & denodatur, facilè iterum ligatur. Denodant his sacris temporibus Christiani per Paschalem conscientiæ emundationem vincula sua, & funes peccatorum, mox iterum in ipsis festivi temporis solemnitatibus, antiquis computationum, malarum societatum lasciviarum, vinculis innodandi. Non sic, non sic charissimi: Non denodemus, & solvamus tantùm, sed dirumpamus vincula eorum, ut ita liberi, liberè Libri Vitæ imitari vitam, & sequi mandata valeamus, inscribendi Libro æternæ Prædestinationis, & Vitæ,

Amen.

S. Hieron. in prologo Bibl.

Sed rumpenda.

LIBER

Vitæ, & Lamentationum,

Scriptus Intus, & Foris, signatus Sigillis septem.

Thema.

Vidi supra Thronum librum scriptum intus & foris, signatum sigillis septem. *Apoc. 5. v. 1.*

Pars III.

Expediuntur reliqua de Libro Vitæ.

I. Maiulus Colloq. 23. mihi fol. 767. *Libri graviũm auctorum magni æstimantur*

IN magna semper æstimatione, & pretio fuerunt gravium auctorum libri, & manuscripta, prout de seniore, junior Plinius testatur, unicum ab ipso conscriptum volumen Electorum Romanorum (licet nondum perfectum) à Largio Licinio 40. millibus nummûm sollicitatum fuisse. Testatur pariter Lactantius Sibillæ Cumanæ scripta trecentis coronatis fuisse coëmpta, ut alios libros & manuscr pta præteream magno pretio conquisita.

Christum Jesum, Librum Vitæ, & veritatis tanti æstimaverat Doctor gentium, ut ad om-

omnem suam doctrinam, gentibus proponendam, nullum
1. Corint. 2. v. 2. præter istum desideraret: *Non enim judicavi me scire aliquid inter vos, nisi Jesum Christum, & hunc Crucifixum.* Ex hoc libro omnes suas Conciones Paulus conscripserat, omnem extraxerat
Librum Vitæ super omnia æstimavit Paulus. scientiam, ac sapientiâ hauserat, hoc unico mediante Auctore, Doctor gentium effectus. Quare non immeritò tantam Paulus de hoc libro æstimationem conceperat, ut præter illũ nihil scire, nec sine illo aut vivere vellet, aut mori, sed in illo diebus ac noctib' meditans, nec eũ pro omnibus mundi thesauris venalem habuisset, omnia arbitratus, ut stercora, ut Christum lucrifaceret. Dolendum verò, quòd libri hujus pretium tam parui æstimaverit Judas
Judas parvi æstimavit. mercator pessimus, quem sub prælo, in Monte Oliveti, sanguineo adhuc sudore madidum, & tumultuariè ab hostium funibus ligatum, triginta argenteis vendidit populi principibus.
Vendens 30. argenteis. Utamur ergo nos (istius pessimi mercatoris insipientiâ prudentiores redditi) jure retractûs, Christum Crucifixum, Librum Vitæ ex impiorum manibus redimentes, ad hauriendam ex eo veram & cœlestem sapientiam, & mysteria in eo recondita.

II. Liber in publicam lucem edendus, priùs censoribus subjiciendus, qui judicent, an nihil
Censura libri Vitæ in eo sit contra Fidem, & bonos mores. Et quidem in puncto fidei & morum, censura spectat ad Inquisitores, Episcopos, & ne quovis modo quies & ordo statûs politici disturbetur, etiam subinde suprema regnorum regimina censuræ suæ subjiciendos prætendunt libros, in lucem noviter prodituros.

Similiter Librum Vitæ, Christum Jesum, immaniter ligatum servi & ministri Pontificum ad censuram rapuerunt, & Ioan. 18. *adduxerunt eum ad Annam primùm*; Hic statim quæstionem instituit de discipulis & doctrina ejus, num aliquid contra legem, fidem, aut bonos mores docuisset: *Ego palam locutus sum mundo*, respondet mitissimus *Quoad modo res* Dei Filius, *Ego semper docui in Synagoga & templo, quò omnes Judæi conveniunt, & in occulto locutus sum nihil. Quid me interrogas? Interroga eos, qui audierunt, quid locutus sum ipsis: Ecce hi sciunt, quid dixerim ego.* Tam sana & integra fuit doctrina Libri Vitæ, & veritatis, ut nemo contra Fidem, errorem inveniret. *Unus autem ministrorum dedit alapam Jesu: Dicens sic respondes Pontifici?* Errorem malevolus iste Censor *contra bonos mores* redarguebat in Libro Vitæ, qui minus decentia erga Pontificem usurpâsset verba. Dura planè censura, armatâ militis manu subscripta, & tam fortiter im-

Censurâ dat miles immoriger ru.

impressa in primam Libri Vitæ faciem, ut copioso defluente sanguine, etiam digitorũ characteres genis intumentib⁹ impressi remanerent, uti ex sudario S. Veronicæ etiamnũ videre licet. Ad hujus alapæ inflictionem stupente aulâ cœlesti, Censori impio applaudebat ministrorum cohors, mansuetissimè interim respondente Christo; *Si malè locutus sum, testimonium perhibe de malo; si autem bene, Quid me cædis?* S. August. apud Hug hic. *Quid istâ responsione verius, (ait Augustinus) mansuetius, justius?*

Hac contra bonos mores, militari more, & jure, datâ censurâ, *misit eum Annas ligatum ad Caipham Pontificem*, qui rigidâ in Librum Vitæ exardescens censurâ, conjuravit illum, *per Deum vivum, si tu es Christus Filius Dei? Tu dixisti*, respondet æterna Veritas. *Verùm tamen amen dico vobis; ammodo videbitis filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus cœli.* Expressum hîc errorem contra fidem, Pontifex se deprehendisse in Libro Vitæ sibi congratulatus, *scidit vestimenta sua, dicens: blasphemavit.* Et ad circumstantes conversus: *Ecce nunc audîstis blasphemiam, quid vobis videtur?* Ut ergo omnes exacerbatum pariter cum Pontifice, erga Christum, gerebant animum, ita similem dederunt censuram. *Reus est mortis*, utpote suspectus, & erroneus contra fidem & bonos mores, quare Librum Vitæ, & Veritatis quò potuerunt ignominiosissimè tractantes, *expuerunt in faciem ejus, & colaphis eum ceciderunt, alij autem palmas in faciem ejus dederunt, &c.*

Matth. 26 v. 63. *Quoad fidem censuram dat Pontifex.*

Ab inquisitoribus, & Ecclesiasticis Censoribus, ad politicos Liber Vitæ protractus est: *Adducunt Iesum à Caipha in Prætorium*, accusandum, quòd tumultum in populo, prohibitionem tributi solvendi Cæsari, & seipsum regem fecerit. Inquirit itaque Censor Politicus, *Tu es Rex Iudæorum? Tu dicis*; replicat Christus, sed, *Regnum meum non est de hoc mundo. Ergo Rex es tu? Tu dicis; quia rex sum ego, Ego in hoc natus sum, & ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati.* Audito veritatis nomine, attonitus hærebat præses, exquirens ab eo: *Quid est Veritas.* Et ubi melius, quàm in Libro Veritatis addiscere poterat veritatem? Sed non expectato responso, exivit ad judæos Præses, protestatus, se nullam dare posse in hunc librum adversam aut sinistram censuram: *Ego nullam in eo invenio causam.* *Censuram suspendit Pilatus.* Ioan. 18. v. 34. Marc. 15. v. 2.

Quoniam autem Pilatus cognovit, Jesum de potestate Herodis esse, *remisit eum ad Herodem*; Cupiebat hic jam ex multo tempore famosum hunc sive impostorem sive Prophetam, & sig- III. Luc. 23. v. 7. *Herodes stolidum censet.*

signum ab eo, quacunque demum virtute factum, videre; Sed cùm post multas propositas quæstiones, nec signum nec verbum elicere posset, *sprevit illum Herodes cum exercitu suo, & illusit indutum veste albâ; sprevit* (ait Seraphicus hîc) *tanquam impotentem, tanquam ignorantem, tanquam stolidum, quia coram accusantibus se non defensavit.*

S. Bonav. in Lucam hic.

O temerarium impiorum censorum judicium! quo tertium Libri signati sigillum, nempe mundus sensibilis, maximè revelatum, eiusque falsitas, cæcitas & perversitas patefacta est; Dum Librum Vitæ, & Legis complementum, blasphemum; Librum Veritatis, mendacem; Librum Sapientiæ, stolidum censendo judicavit, judicando proclamavit. In hoc mundi perversa fallacia, cæcitas, ignorantia, & stultitia detecta fuit, nullo excusationi relicto loco. O Anima, quid de perversi mundi erga te exercita injustitia? Quid de falsis de te judiciis & censuris? Quid de tui conquereris contemptu? Si enim Verbum æternum, & Dei sapientia, à mundo conculcata, contẽpta, & derisa fuit, quid mirum si eadem à mundo pati, tibi contingat? Disce, ô Anima, ex hoc Libri Vitæ sigillo, mundũ sensibilem, & omnia ejus prospera, tanquã nugas nugarum despicere, adversa contemnere, & solam veram Libri vitæ sapientiam æstimare. Pilatus ipse, licet gentilis, illam Herodis & Pontificum injustam censuram miratus, imò & scandalizatus, approbare eam non potuit, candidè fassus; *Nullam causam mortis invenio in eo.* Importunis tamen Pontificum & seniorum precibus, accusationibus & minis incessanter interpellatus, ignorabat, quid ageret, æquè Pontificum, & Cæsaris gratiam perdere, quàm innocentem condemnare veritus; Quare ita absolvere illum statuit, ut & de castigatione, Judæi satisfactionẽ, & Christus de condonata vita sibi gratiam haberet. *Corripiam ergo illum, & dimittam.* Usitata hæc est politicorum, & mundi sensibilis praxis, ut ita deservire velint justitiæ, ut tamen suus relinquatur locus injustitiæ; adumbratæ, per colorem justitiæ.

Ex falsa censura

Politicorum procedura.

Apparet mundi fallacia.

IV.

Adesto igitur Anima Christiana cruento spectaculo, & tremente corde Dei Filium lictorum voluntati, & immanitati traditum intuere, crudeliter flagellis lacerandum & scindendum. Librum Prophetæ Jeremiæ, acriter impio Joachim regi comminantem, scidit impius rex scalpello scribæ; Nec minus impiè & crudeliter Judæi & Pharisæi Librum vitæ & veritatis divinam ipsis vindictam minitantem, flagellis lacerari, & scindi fecerunt.

Scissura libri, der rothe Schnitt. Jerem. 36. v. 23.

§ Auguſt. de C. D. l. 7. c. 34.

Commemorat eximius Eccleſiæ Doctor Auguſtinus, libros Numæ Pompilij de divino cultu, & ceræmoniis conſcriptos, & diu terræ reconditos, caſu per colonum, aratro fundum janiculum, (in quo tumulus erat ipſius Numæ Pompilii) ſcindentem, fuiſſe erutos, & repertos; Idem teſtantur Titus Livius, Valerius, Plinius & alii. Abſconditus quaſi & ignotus erat mundo liber veritatis & vitæ Dei Filius in abyſſo ſuæ humilitatis, vel in terra carnis humanæ, quare, *ſalutem operaturus in medio terræ*, manifeſtari mundo voluit, arando ſcindi terram carnis paſſus, juxta illud Davidis: *Supra dorſum meum fabricaverunt peccatores, prolongaverunt iniquitatem ſuam*, Hieronymus ex Hebræo legit: *Supra cervicem meam arabant arantes, prolongaverunt ſulcum ſuum.* O immanes lictorum manus! O ſæva, & ſcindentia aratra! O acutiſſima, & ſæviſſima ferreis ſtimulis intexta flagella! quibus Virginea terra & tenerrima caro Redemptoris arando arata, & ſulcus ſulco conſciſſus fuit!

Libri aratro eruti.

Super dorſum Chriſti arari.

Pſal. 128. v. 3.

V.

Hanc crudeliſſimam arationem, & Libri Vitæ ſciſſionem, lacrymabilibus verbis deſcribit Ludovicus Bloſius, quòd nempe veſte immiſericorditer ſpoliatum & ad columnam protuſum Dei Filium, *deinde tam inclementer ad columnam eum ligaverunt, ut (quemadmodum legitur) caro illius, funes, quibus vinctus erat, prorſus operiret, tanta erat teneritudo, & mollities naturæ ejus; Quin & hoc ſcriptum reperimus, præ crudeli illa funium conſtrictione, ſanguinem ex digitorum unguibus erupiſſe.* Poſthæc funibus ferro intextis, virgis ſpinoſis, flagellis ſæviſſimis, ac catenis tenerrimum Corpus lacerando & ſcindendo, pavimentum ſanguineis rivulis replevêre, ſanguine etiam, ex flagellorum violenta vibratione, parietes abundanter conſpergente, ut, Melliſluus Doctor aſſerit. Illuminatus Thaulerus: *Neque etiam cutem duntaxat illius, virgis diſciderunt, ſed etiam ſacratiſſimam Carnem ejus, inhumanis diſcerpſêre cruciatibus, adeoque dilaniârunt, ut omne ejus corpus, ceu excoriatum videretur, malignis illis, vulnus addentibus vulneri, pœnam pœnæ, dolorem dolori. Cùmque jam dorſum illius tam crudeliter dilacerâſſent, & non niſi ſanguinem videre eſſet, & vulnera; eum ſolventes, dorſo ad columnam (ut quidam affirmant doctores) religârunt, manibus ſupra caput ſimul alligatis.* Ut ſcilicet, etiam porrecto ad verbera pectore, nulla à vulneribus immunis eſſet virginei corporis pars. Defatigatis autem in tam crudeli exhibendo ſpectaculo non tam oculis, quàm manibus lictorum, nondum tamen patientiſſimus, & patiendi pro nobis avidiſſimus

Bloſius in explic. Paſſ. Dom. ex Thaul.

Crudelis flagellatio.

Thaul. cit.

Totum corpus flagellis laceratum.

Feſſis lictoribus.

mus Dei Filius, fessus erat, aut saturatus opprobriis, & doloribus, quamvis demum solutis de columna vinculis, semianimis in proprii sanguinis rivos conciderit, summos hosce, & intolerabiles dolores pro salute nostra, summâ perpessus patientiâ, & silentio, non edito, inter tot immania verbera, ullo clamore, aut singultu.

Indefessus Christus

VI. Affirmat Ludovicus Blosius cit. *Plusquàm 5000. vulnerum hîc Christum excepisse.* Omniáque libri vitæ folia sanguineis numeris signata, & numerata, testatur regius Propheta: *Dinumeraverunt omnia ossa mea.* Sic totus Liber Vitæ, sanguineâ conscriptum Rubricâ, & tot millibus characteribus, quot vulneribus impressus cernebatur. Vidi librum scriptum Intus, & Foris: Græca versio habet: *Intus, & à tergo:* Syriaca vertit: *Intus & retrò*: Et septuaginta illud Ezechielis (*erat scriptus intus & foris,*) vertunt: *Anteriora, & posteriora.* Syrus: *Ante & retro*: Arabicus: *scriptum erat dorsum eius, & venter eius.*

Ps. 21. v. 18.

Liber Vitæ scriptus intus & foris.

Intus etiam & foris hic liber vitæ scriptus erat in dolorosa sua flagellatione, nempe intus in memoria, foris in carne. Et quemadmodum mercatores in uno folio, seu latere debita activa, in altero notare solent solutionem, sic Christus liber vitæ in sua memoria, omnia debita & peccata per humanum genus contracta, & contrahenda usque ad finem mundi conscripta, & signata habebat, in tenera autem carne sua, conscripta erat foris, ipsa charo suo sanguine facta solutio. Vel, intus in hoc libro vitæ, & in memoria, conscripta erant insignia humano generi collata, & infinita beneficia, foris ingrati homines suam scripsêre stylis ferreis, factam Filio Dei compensationem; *Retribuebant mihi mala pro bonis, sterilitatem animæ meæ.* Erant hi sanguinei characteres, ingratitudinis notæ.

Intus in memoria erãt scripta peccata

Foris solutio

Intus beneficia

Psal. 34. v. 12.

Non judico fore ex auditoribus quemquam, qui non tam cruento spectaculo, & ingratitudini indignetur; Uti & quondam justo zelo David exarserat adversus illum ingratum & immitem divitem, qui charam, & unicam pauperis sui vicini ὀviculam mactaverat: *Vivit Dominus, quoniam filius mortis est vir, qui fecit hoc* Ut rei & facti indignitatem agnovit David, tum demum prorupit in apertam correctionem Prophetæ Nathan: Tu es ille vir: Tu, ô Rex, *Uriam Hætheum percussisti gladio, & uxorem illius accepisti in uxorem tibi.* Tu es ille vir, tu es, qui fecisti hoc: tu es ille vir. Indignaris, & quidem meritò & justè, ô Christiane, contra eos, qui librum vitæ tam immaniter flagellis sciderunt, & lacerarunt;

Foris ingratitudinis notæ.

2. Reg. 12. v. 5.

Lascivi flagellant Christum.

Vivit Dominus (exclamas justo zelo) *quoniã filius mortis est vir, qui fecit hoc.* Justissimè, & verissimè. Sed quisnam ille filius mortis? Quisnam ille, qui Dei Filium tam immaniter flagellis laceravit? Tu, tu, peccator lascive, tu tu incaste fili, tu, tu impudica filia, tu perjura adultera, tu infidelis adulter, tu es ille vir, qui supra dorsum Salvatoris arando arâsti, & fabricâsti. *Supra dorsum meum fabricaverunt peccatores*, & necdum peccandi finis; *Prolongaverunt iniquitatem suam*, dum (uti bene glossatur Hugo) *Iniquitatem addunt iniquitati, hoc est, iniquæ cogitationi iniquum consensum, iniquo consensui iniquum opus, iniquo operi iniquam consuetudinẽ iniquæ consuetudini iniquã necessitatem, deinde sequitur vel iniqua palliatio, vel iniqua excusatio, vel iniqua defensio, vel iniqua gloriatio*

Psal. 128. v. 3.

Hug. Cardin. hic.

Contra hos ergo hodiéque conqueritur Dei Filius, supra dorsum meum arantes araverunt, fabricaverunt, prolongaverunt sulcum, iniquitatem suam, & *super dolorem vulnerum meorum addiderunt.* Accede ergo ad Dei Filium, ad librum vitæ, à te conscissum & laceratum lasciva anima, inspice characteres cruentos, sanguineas rubricas, scissuram libri sanguine tinctam, copertam (uti vocant) & corticem pellis decorticatum; Aperi, & lege verba libri signati, & invenies apertum sigillum Reatûs culpabilis, & gravitatis peccati, præsertim fœtidæ luxuriæ, sanguineis rivis abluendæ. VII.

In illa seminantis parabola, memorat ipsa divina Sapientia, quòd *Verbum Dei, cecidit inter spinas.* Cecidit utique etiam divinum illud, humanâ carne vestitum, *Verbum*, & Liber Vitæ, inter spinas, dum amantissimus Jesus Mariæ Filius, flagellis immaniter jam laceratus, spinis acutissimis coronatus est, lictores enim à principibus Sacerdotum pecuniis corrupti, ut Jesum quò possent sævissimè, & ignominiosissimè tractarent, cùm audissent, quòd se regem facere attentâsset, coronam magnam, pilei instar, plectentes, eam Regi Gloriæ imposuerunt, tam violenter, & crudeliter capiti ejus impressam, *ut* (teste Bernardo) *aculei cerebrum attingerent, ipsas quoque venas, nervos, & ossa capitis penetrantes, adeò ut sanguis illius sacro permixtus cerebro ubertim per faciem, per collum, & per capillos defluere.* Considera, ô homo, quàm excessivus iste fuerit dolor, si enim uni nostrûm spina in digito hæret. accedente putredine, intumescenti, quomodo angimur, & torquemur? cùm tamen *Christi venerandum caput* (uti affirmat Anselmus) *vel mille aculeis compunctum est.* Regali hoc dia-

Luc. c. 8.

Coronatio

Semen inter spinas.

Apud Blosium cit.

Quàm penosa coronatio?

Anselmus apud eũd.

diademate lictores Regi Gloriæ illuserunt, arundinem pro sceptro porrigentes, & lacerâ indutum purpurâ, genuflexi Regem Judæorum salutârunt, sacratam interim faciem alapis sævissimè cædentes. O Animæ Christianæ, sponsæ cœlestes, *egredimini, & videte filiæ Sion Regem Salomonem in diademate, quo coronavit eum mater sua* (nempe Synagoga noverca) *in die desponsationis illius*, dum nempe Ecclesiæ suæ factus est sponsus sanguinū.

Cant. 3. v. 11.

VIII. Et unde, ô Sponsa cœlestis, Anima Christiana, sacratum figurati Salomonis Caput tot spinis confixum, & perforatum æstimas, nisi quia te, in vepribus & spinis vastæ peccatorum solitudinis hærentem, insecutus est? *Fecit Dominus sicut canis venaticus, qui feram insequens, caput intra spinarum aculeos immittit, non timens exulcerationem, ut feram capiat. Animam quasi feram intra spinas latitantem extraxit, sed punctiones spinarum usque ad sanguinis effusionem sustinuit, cujus signum spineam coronam portavit in capite.*

Hug. Card

Dominus sicut Canis venaticus.

In Capite ergo *Libri Vitæ*, acutissimis spinis coronato, magnus Dei erga animam humanam amor, & æstimatio eluxit, aperto per has spinas secundo sigillo, quod est *spiritus intelligibilis*, quantum ad dignitatem animæ rationalis, tanti à Verbo divino & Patris æterni Unigenito æstimatæ, & amatæ, ut eam inter pungentes spinas insequi non detrectaret, nihil acutissimis aculeis absterritus, quin eam instar canis venatici avidissimè è spinis extraheret, spinarum licet mille aculeis vulnerandus.

Avidus capiendæ animæ.

Revelata dignitas animæ.

Revelata est pariter benignitas *spiritus intelligibilis*, quoad Angelos, dum magna cum contradictione æquitatis, & decentiæ, regem suum tam ignominiosè à terræ vermiculis coronatum intuiti, magnam sibi fecerunt ulciscendæ injuriæ violentiam, ne hominum saluti, regis sui honorem zelando, præjudicarent. Sicut è contra in dolorosa & ignominiosa hac Filii Dei coronatione mundo innotuit malignitas spiritûs intelligibilis, quoad dæmones, qui omnes ingenii vires exeruerunt, adinventis dolorum, & ignominiarum modis, quibus illata sibi à JEsu Nazareno damna ulciscì, & taliter ejus memoriam eradicare valerent, ut nomen ejus non memoraretur amplius, nec amplius Messiæ, sed ne hominis quidem speciem referret. Prout & ipse, tam cruento Christi aspectu attonitus præses, foras illum productum populo exhibuit; dicens: ECCE HOMO: Quasi diceret: En, qui vobis de ambiendo Messiæ, aut Regis titulo suspectus, ad mortem postulatus fuit, jam stillante sanguine perfusus, toto corpore lacerus, cate-

Benignitas Angelorum.

Malignitas Dæmonum.

catenis vinctus, spinis coronatus, in facie livoribus & tumoribus dedecoratus, omnem ambitionis speciem deposuit, vix hominem, nedum regem, aut Messiam specie & facie sua referens. Applauserant sibi valde de hoc spectaculo maligni spiritus, sed mentita est iniquitas sibi, & infernalis astutia à mirabili divina Sapientia, devorata est.

IX. Zopyrus primarius, & fidelissimus Regis Persarum minister, redactâ in Assyriorum potestatē regiâ civitate Babylon, haud facilè recuperandâ, seria, & varia secum de eadem regi suo Dario restituendâ, consilia egit, demum in istud se stratagema resolvens, ut sibi toto corpore vulnerato, etiam nasum, labia, aures, & supercilia præscinderet, & in tam horrenda specie coram Dario comparens ipsi persuasit, ut sibi ad Assyrios transitum concederet, conquesturus ibidem implacabiliter de crudeli erga se regis sævitia, ac opem contra Persas se ulciscendi, imploraturus, quo stratagemate facilè Assyrios nihil de sua exacerbatione dubios Persico exercitui trucidandos, ipsámque urbem in eorum manus redigendam non dubitaret. Uti Dario displicuit summopere fidelis servi forma despectissima, sic placuit sinceriſsimum ejusdem consilium, quod & pari felicitate eventus secundavit, nam Zopyro ab Assyriis in ducem contra Persas declarato, totus illorum exercitus internecioni datus, & urbs in istorum potestatem redacta est. Quæ sapientissima Zopyri fidelitas ita regi placuit, ut eum intimè amans, summèque æstimans, tantùm de deformi conqueretur forma, non ampliùs emendanda, quare dicere rex solebat: Malle se Zopyrum fœditatis expertem, quàm mille Babylonias. Cúmque præfatus rex sem.el Pomum Granatum, scinderet granis refertissimum, dixisse fertur: Utinam tot fideles Zopyros haberem, quot malum istud granatum grana.

Dan. Matthonius de S. Syndone c. 17. ex Justino lib. 1. Hist.

Zopyri mirè deturpati fidelitas.

Eramus nos miseri Adæ filij à patria, & supernâ civitate Jerusalem exules, & ita civitatem amiseramus, ut recuperandæ nulla spes affulgeret. *Super flumina Babylonis, illic sedimus & flevimus, dum recordaremur tui Sion.* Nec infelix Adæ posteritas auxiliatricem habebat manum: *Hominem non habeo*, qui amissæ civitatis possessionem restitueret. Sed: ECCE HOMO. Non quidem purus homo, sed Deus & homo, Christus JESUS: Iste nobis fuit *Liber possessionis*, de quo Jeremias; hic fuit fidelissimus noster Zopyrus, ecce cùm non esset species, neque decor, suâ nos deformitate

Eodem stratagemate usus Christus, Psal. 136. v. 1.

Jerem. c. 32. v. 11.

in

in possessionem cœlestis patriæ restituit, miro divinæ sapientiæ stratagemate, quo maximè primum libri signati sigillum reclusum fuit, nempe Deus mirabilis in Sapientia.

X. Viso enim hoc innocente homine â suammet gente tam crudeliter torto, & lacerato, cer-
Sapientia Dei mirabilis. tò sibi persuafêre maligni spiritus, taliter illum populo suo fore invidum, ut exacerbato, & vindictam sitienti animo, ad divinæ justitiæ tribunal recursurus, pro populi Judaici, imò totius humani generis, & impii mundi exterminio sit expostulaturus; Nec minùs quicquam maligni sibi persuadebant spiritus, quàm hominem istum, hostium suorum immanissimorum esse posse amicum. Sed altiora longè mirabilis divina Sapientia egit consilia. Nam Dei Filius spontè sua se pœnis offerebat, manibus impiorum, salutem operaturus eorum, in quorum domo fuerat tanta mala perpessus. *His plagatus sum in*
Zach. 13. v. 6. *domo eorum, qui diligebant me*; vel (ut Syri & Arabici Antiocheni legunt) *plagatus sum inter amicos meos*; Alexandrini legunt, *evenerunt mihi de domo dilecti mei*, & quidem hæc evenerunt Filio Dei, non invito, sed *quia ipse voluit*, tam miserabiliter plagatus, ut à malignis spiritibus juratus hostis humani generis, & populi tam gentilis quàm Judaici
Confundun-tur dæmones in sua astutia. æstimatus, inopinato illos debellaret insultu, & insperatò dæmones circumventos, & devictos à regno ipsorum eos profligaret, exuli generi humano possessionem regni cœlestis, & in integrum restituturus. Nihil minus sibi maligni spiritus, quàm Christum populi sui amicum æstimabant, sanguinem ejus vindictam de terra contra fratres suos clamaturum rati: Sed habemus *sanguinis aspersionem* Hebr. 12. v. 24. *melius clamantem, quàm Abel; quia iste veniam, ille vindictam; iste salutem, imò & persequentibus veniam, ille damnationem clamat*, ait Interlinearis. Quare admirabilis sapientiæ divinæ sigillum Glossa Interlin. hîc apertũ astutus serpens infernalis jam demũ agnovit, & quòd priùs vaferrimâ suâ astutiâ, & ingenii sublimi subtilitate capere non poterat, jam captus cepit; Zopyrum, fœdissimè per lictores ipso instigante plagatum, scilicet Christum, tum demum sibi inimicum, & generi humano amicumexpertus; Imperceptibile sibi videbatur, quòd populus eum (contra quem insanâ rabie Crucifige Crucifige clamaverat) habiturus esset Redemptorem, infernus autem supplantatorem. *Morsus tuus ero inferne*, escam vulnerati corporis mordens, divinitatis hamum devorabis, qui ventrem tuum disrumpet.

Ignorantes ergo eum malig- XI.

ni spiritus, quem mordebant, & in sua astutia deficientes scrutantes scrutinio, urgebant per Principes & seniores populi accelerari sententiam & mortem Redemptoris. Cùm votis ipsorum condescendisset Præses, proclamatâ contra innocentem Dei Filium sententiâ, confestim lictores conglutinatam jam vulnerato corpori purpuram avellunt, & propria reindutum veste, ponderosâ gravant Crucis mole, plagatis humeris crudeliter injectâ; hanc summa animi tranquillitate & patientiâ portandam suscepit Dei Filius, quamvis deficientibus viribus sæpius sub gravissimo onere oppressus, dolorosissimè ceciderit. Magna sequebatur ductum Redemptorē turba, cujus aliqui dubium rei successum, & æstimati Prophetæ mortem videre, alii in cruento illo spectaculo invidos oculos satiare gestiebant, perpauci autem, instigante compassione, cruenta Christi vestigia premebant. Inter hos erat dolorosa mater cum pusillo suo, & afflicto grege, Joanne scilicet, & quibusdam devotis matronis, salvatoris dolores effuso lacrymarum imbre deplorantibus, ad quas convertens se, sub gravi Crucis mole, Dei Filius ait: *Filiæ Jerusalem nolite flere super me, sed super vos ipsas flete, & super filios vestros: Quoniam ecce venient dies in quibus dicent: Beatæ steriles, & ventres, qui non genuerunt, & ubera, quæ non lactaverunt.* Quæ verba maximè excidium urbis indigitabant, divinæ autem justitiæ in judicio rigorem, & damnatorum pœnam, sequentia: *Tunc incipient dicere montibus, cadite super nos, & collibus, operite nos: Quia si in viridi ligno hoc faciunt, in arido, quid fiet?* id est, *qualem & quantam pœnam sustinebunt in futuro*, id est, in inferno.

Baiulatio Crucis.

Luc. 23. v. 28.

Hug. Cardin. hic.

Reseratum hîc fuit quintum libri signati sigillum, scilicet *Infernus horribilis.* Si enim in ligno viridi divina justitia hoc fecit, id est, in Christo, nam *lignum viride Christus est*, (ait Hugo) *omnium virtutum virore virens, nihil omnino ariditatis habens, quod esset dignum combustione, id est, punitione, quia peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus.* Isa. 53. Si, inquam, in viridi hoc ligno, quod aliena tantùm susceperat portanda peccata, divina justitia tam tremendum statuit severitatis exemplum, *in arido quid fiet? Id est, in peccatore ab omni gratia arefacto*, qualem & quantam pœnam sustinebit peccator in inferno pro propriis delictis, si Christus lignum viride tam horrenda sustinere debuit tormenta pro alienis? Quomodo te uret luxuria tua, superbia tua, avaritia tua, invidia tua, in inferno, ô lignum

Infernus horribilis

Hug Cardin. hic.

Christus lignum viride.

Hugo hic

Peccator lignum aridum.

num aridum, si tantis in Christum exarsit tormentorum pœnis culpa aliena? Et siquidem avertendæ illi pœnæ infernali, tam dira Christus sustinuit pro te tormenta, quantò erunt illa incomparabiliter, & infinitè acerbiora, quæ peccatori in inferno æternùm restant sustinenda? Imprime, ô anima peccatrix, hoc sigillum, super cor lascivum, & super brachium tuum malignum, maturè considera, & cautiùs in via mandatorum incedens, non peccabis.

Quomodo ardebit in inferno?

XII. Inter alias devotas matronas acerbam Christi passionem deplorantes, erat præcipuè nobilis quædam vidua, nomine Veronica, quæ ex cõpassione cum gravi crucis onere transeunti redemptori porrexit sudarium, quo faciem suam divinam sputis, & sanguine superfusam abstergere valeret. Placuit dulcissimo Mariæ Filio, hoc charitatis sibi exhibitum officium, & accepto sudario ad consolationem devotæ hujus matronæ, imò omnium fidelium, faciem suam divinam impressit, & ita perfectè expressit, ut vivis quasi coloribus omnia sacratissima vultus lineamenta, plagæ, tumores, & livores expressa cernerentur, quod quidem sudarium debitâ reverentiâ adhuc Romæ asservatum, fidelibus monstratur.

Sudarium Veronicæ.

Et hoc est, Auditores charissimi famosum illud Libri Vitæ, & Lamentationum Frontispicium, quod imprimis Capiti libri, æterno scilicet Patri exhibendum convenit, Itaque, O Pater æterne. *Protector noster aspice Deus, & respice in faciem Christi tui.* Respice in faciem libri vitæ, respice Frontispicium, & vide, an ex illo dignoscere valeas, quod scriptum sit Verbum tuum æternum in libro lamentationum amarissimæ passionis IESU Nazareni? Respice an hanc agnoscas Filii tui faciem, imaginem claritatis tuæ? Et tu protectrix nostra, aspice Maria, & respice in faciem filii tui, vide an hæc effigies, filii tui sit, speciosi præ filiis hominum? Protectores quoque, & custodes nostri, respicite Angeli, & respicite in faciem Christi nostri, videte, an hæc sit forma vestri Regis Gloriæ, in quem desiderant Angeli prospicere?

Psal. 83. v. 10.

Frontispicium Libri

Sed & tu Peccator aspice reus, & respice in faciem Christi tui! Vide qualiter verberibus, spinis, contusa, vulnerata sanguine & livore suffusa, & sputis fœdata sit? Quis putas ita Christi tui dehonestavit, & deformavit divinam faciem? Judæi & hæretici faciẽ & imaginẽ Christi dejiciendo, & calcando? sacratissimum ejus (in SS. Eucharistia præsens) Corpus rejiciendo

ciendo? Ecclesiam Dei blasphemando? Non abs re loqueris Christiane, sed noveris, non minùs hoc Libri Vitæ divinum Frontispicium à te fœdatum, consputum, & deturpatum scelestis tuis blasphemiis, perjuriis, imprecationibus, & divini nominis, ac SS. Sacramentorum dehonestantibus verbis. Hæc, hæc sunt fœtentia illa sputa, alapæ, & verbera, quibus tam fœdè divina hæc facies fuit deformata. An nullum in orbe locum despectiorem reperire poteras scelestе, quò furoris tui spumantia verba & sputa effunderes fœtentia, quàm in Faciem Christi tui? Respice in Faciem Christi tui, à te tam ignominiosè tractatam, & disce demum à scelestis tuis abstinere blasphemiis, & divinam Christi tui faciem revereri.

Blasphemi faciem Christi conspuunt

XIII. Respicere quoque Libri Vitæ Frontispicium proderit, ut ex eo apertum sextum Sigillũ agnoscamus, quod est *Virtus laudabilis*, tam pulchra & speciosa, ut tantâ sputorum, & livorum copiâ non contecta, imò nec minimùm fuerit obscurata, sed quo pluribus sacratissima facies obruta fuit sputis & livoribus, eò clariùs profunda ejus humilitas, Patientia, Charitas, & omnis virtutum decor, libro vitæ intus & foris inscriptus, mundo illuxit. Itaque *respice in faciem Christi tui*, hoc est (ut Augustinus exponit) *notus sit omnibus Christus tuus, ut possimus ire à virtute in virtutem.* Notum, ô Domine, fac omni populo Christum tuum, imprime cordi eorum, hujus Libri Vitæ frontispicium, & virtutis laudabilis desiderium.

Virtus Laudabilis revelata.

S. August hic.

Sed quoniam parum æstimatur & teritur via virtutum, abierunt multi in viam, & modum vivendi gentium, iram tuam justam provocantes, idcirco *protector noster aspice Deus*, S. Hieronymus ex Hebræo legit, *Clypeus noster*, nam contra iram & vindictam divinæ tuæ justitiæ, non alium, nisi hunc habemus clypeum, respice igitur, ô Pater æterne, clypeum nostrum, qui à furore tuo nos protegat, *aspice oculo misericordiæ pius super nos, & ut nostri facilius misereatis, respice in faciem Christi tui; Respice ipsum hominem factum, consputum; flagellatum, crucifixum, mortuum, &c.* exclamat Hugo. Istum, in hisce calamitatis temporibus contra tela divinæ vindictæ, teneamus clypeum. O Deus, Protector noster, (alium enim, qui nos protegat, non habemus) respice in hunc clypeum, in faciem Christi tui, & per ejus sanguinem, non vindictam, sed misericordiam, clamantem, patriæ mala avertens, exhibe afflicto populo Christiano misericordiam.

S. Hieron hic.

Facies Christi est noster cly

Hug Cardin. hic.

Hora est, ut liber Vitæ in pul- XIV.

pi-

pitũ crucis ſublevetur, omnibus inſpiciendus, & legendus. Poſtquam ergo Dei Filius cum ſummo labore & anguſtia gravi mole Crucis onuſtus ad montem Calvariæ pervenit, in faciem procidens, ſe Deo Patri in holocauſtum pro totius mundi peccatis obtulit, cui immanes juſtitiæ miniſtri impetuosè veſtem denuò, ſanguinolento, & vulnerato corpori conglutinatam, detrahentes, omnia rurſus refricârunt vulnera, pelle unà cum veſtibus hinc inde detractâ, ut totum corpus crudam excoriati hominis carnem referret. Inde crudeliter in Crucem proſternunt, vel (uti revelationes S. Brigittæ recensent) erectæ priùs Cruci in terra ſolidatæ & firmiter infixæ, redemptorem applicant, & dexteræ ad foramen extentæ ferreum & tremendum infigunt clavum.

In pulpito Crucis,

Liber Vitæ poſitus

Conſidera, ô Anima, quibus anguſtiis & doloribus concluſum fuerit cor benigniſſimi Salvatoris, dum grandis ille, incultus, & durus clavus violento mallei ictu manum benedictam perforaret, ſecũ & nervos, & venas in foramen affigendas trahens. Cogita quàm ineffabili dolore etiam ſiniſtra violenter ad alterum foramen protracta, ſimiliter & pedes extenti & affixi fuerint, omnibus quaſi diſſipatis junctũris.

Dolor Crucifixionis.

Conqueritur de exceſſiva hac pœna vir dolorum, *foderunt manus meas, & pedes meos, dinumerare verunt omnia oſſa mea.* Hoc eſt (uti Cardinalis à S. Caro explicat) *ita me extenderunt in Cruce, quòd poterant dinumerare omnia oſſa mea,* Obſtupeſcit de inaudita hac pœnalitate & dolore Zacharias Propheta, & tanquam ſpectaculum à ſæculo inauditum ſpiritu prævidens, exclamat: *Quid ſunt plagæ iſtæ in medio manuum tuarum?* Attonita, & ſemianimis gemendo interrogat mater afflictiſſima: *Quid ſunt plagæ iſtæ in medio manuum tuarum?* His plagatus ſum in domo eorum, qui diligebant me, ſcilicet *Iudæorum* (exponit memoratus Expoſitor) *qui me diligere debebant, verbo, & opere.* Sic à meo plagatus fui populo, qui à me ex Ægypto eductus, venturum me ſemper ſuſpirabat Meſſiam, hic ſupra dorſum meum arans aravit, & modò ferreis iſtis pennis, ſui memoriam in manibus meis deſcripſit. O pennæ duræ, ô calami immanes! O ſtyli ferrei, qui in virgineo Agni Dei pergameno, tam formidabiles inſculpſerunt characteres.

Pſal. 21. v. 8. Hug. Card.

Zach. c. 13. v. 6.

Quid ſunt plagæ iſtæ

Hug. hic.

Accede & tu, ô Anima peccatrix, inſpice Librum Vitæ, in pulpito Crucis poſitum, vide an ſigna, & characteres noveris? Quære tremente animo: *Quid ſunt plagæ iſtæ in medio manuũ tuarum?*

A Chriſtianis plagatus.

tuarum ? Et respondebit tibi, amantissimus redemptor ; *His plagatus sum in domo eorũ, qui diligebant me,* in domo scilicet propriæ & electæ meæ Ecclesiæ, à propriis meis fidelibus & Christianis, qui in vitæ meæ imitationem jurârunt, & obligati, ac professi me diligere, suis peccatis me denuo persequuntur, & crucifigunt. Si inimici mei, si Turcæ & gentiles maledixissent mihi, & denuò ita immaniter me affligerent, sustinuissem utique, sed quòd illi, qui in domo mea, dulcem Corporis mei capiunt cibum, me ita crucient, & iterum crucifigant, hoc dolorem, & cruciatus omnes excedit.

In domo sua, Eccl-sia.

XV. Sed nec sic de impetranda rursus venia desperet Crucifixor Christianus, quem pœnitentem animat benignissimus Salvator; *Ecce in manibus meis descripsi te.* Intelligit hæc verba Procopius apud Cornelium de Libro Vitæ prædestinatorum, qui liber est in manu Dei, propriissimè tamen intelligenda sunt de Christo, Libro Vitæ, supra pulpitum Crucis posito, in quo electi profundè sunt inscripti, & insculpti, in æternum non eradendi. *Ecce, in manibus meis* (ô Anima) *descripsi te. Manus Christi fuerunt quasi charta, sanguis, quasi atramentum ; clavi, quasi penna,* Ait S. Augustinus, & notat Doctor Seraphicus, quòd Dei Filius tenere voluerit *clavorum in manibus & pedibus infixionem, in memoriam nostræ recordationis.* Imò non tantùm in manibus & pedibus, sed in ipso aperto latere & corde descripsi te. Aquila legit, *accuratè descripsi te :* Septuaginta ; *Depinxi te.* Vivis te non tantùm coloribus, ô Anima, sed proprio meo sanguine pinxi te, & cruentis characteribus inscripsi te in corde meo, in manibus meis, in libro vitæ, ut imago & nomen tuum non deleantur in æternum. Recogita ô Anima, quàm desiderabilis sit Paradisus, cujus te Civem ferreis calamis, atramento proprii sanguinis, in propriis manibus, & corde in delebiliter conscripsit, simulq; obligationem æterni reatûs annullavit Dei Filius.

Isa. 49. v. 16.

In manibus descripsit nos.

S. Anton. Pad. Dom 1. Pasch. S. Bonav. Compend Theol.

Verit. l. 4. c. 20.

Paradysi desiderabilis.

Eramus nos miseri Adæ Filij, decreto divino in nos fulminato, perpetuum à cœlesti patria relegati, & rei æternæ damnationis ex proprio nostro chyrographo. Sed postliminio nos revocavit Filij Dei benignitas, *delens, quod adversus nos erat chyrographum decreti, quod erat Deus vit contrarium nobis, & ipsum tulit de medio, affigens illud Cruci,* in locum autẽ illius arctè obligantis chyrographi, ferreis pennis, & proprio sanguine, in chartâ manuum suarum descripsit nobis librum emptionis, attestans, quòd proprio nos sanguine suo

Glossa, Col. 2. v. 14.

chyrographum.

de

Scripsit librum emptionis, census & possessionis.

de potestate & servitute inimici redemerit; Librum Censûs scripsit, quo omnium meritorum suorum nos redderet participes, & plenum legaret usumfructũ; Librum Possessionis, quo nos in cœlestis patriæ possessionem immitteret.

Titulus libri vitæ.

In cujus rei testimonium authenticum (asserit Seraphicus) libro vitæ in pulpito Crucis affixum fuisse, titulum emptionis, censûs, & possessionis, nempe

IESVS NAZARENVS REX IVDÆORVM.

S. Bonav. ex.

Nam propter primum nos liberavit à peccato, & dicitur IESVS. Propter secundum quia renovavit gratiam largiendo, dicitur Nazarœus; Propter tertium, quia cœlum aperuit, dicitur Rex Iudæorum. Hic est igitur Titulus Libri vitæ, ô Anima, cordi tuo inscribendus.

XVI. Hunc è manibus & oculis tuis nunquam elabi patiaris, hoc tuum sit Archivium, hæc documenta tuæ salutis. *Non recedat volumen legis ab ore tuo, meditaberis in eo diebus ac noctibus.* Nota characteres omnes, & puncturas. In libris ad usum nostrum communiter inservienti bus duplicis sortis inveniuntur literę. Consonantes, & Vocales, hæ quinque enumerantnr. In nostro Vitæ Libro supra pulpitum Crucis posito, quinque principales literæ, seu Vocales reperimus scriptas, quinque scilicet sacratissima vulnera manuum, pedum, & lateris. Consonantes, sunt omnes, per totum sacratum Corpus dispersi characteres & cicatrices, quorum numerum ad 6666. extendunt contemplativi. Omnes hæ vocales, & consonantes unitim ad iratum clamant Patrem, ad impetrandam humano generi misericordiam. *Pater dimitte illis.* Magnam hanc notat esse consolationem Apostolus miseris nobis peccatoribus:

Iosue. 1. v. 8.

Vocales & Consonantes

Sunt vulnera Christi.

Habetis testamenti novi mediatorem IESVM, & sanguinis asperſionem melius clamantem, quàm Abel. Hebr. 12. v. 24.

Nam teste Antonio Paduano, S. Anton. Pad. Tom 1. Adv.

sanguis Abel clamat vindictam, sanguis Christi misericordiam.

In extremo verò judicio contra inimicos Crucis Christi, qui Librum Vitæ contemnere, & ejus sanguinem scelestâ suâ vitâ conculcare non destiterunt, sed luxuriando, superbiendo, blasphemando denuò Regem Gloriæ crucifixerunt, non misericordiam, sed vindictam clamabit sanguis Christi. Contra hos (testatur Bernardus) *Crux Christi portabitur in testimonium, verbera ipsius contra te clamabant, vulnera ejus allegabant, clavi loquentur, cicatrices conquerentur.* Ne ergo ita tremendè contra te clamantem Christi sanguinem & vulnera in judicio audire debeas, modò compatienter aurem præbere non

In iudicio sanguis Christi clamabit vindictã.

Apud Bonav. Solil. c. 3.

nō graveris clamantib' ad te misericorditer Libri Vitæ vocalibus & consonantibus, ad compassionem amorosissimè invitantibus. Audi clamantem de pulpito Crucis Librum Vitæ:

S. Bernard *Vide Homo, quid pro te patior, vide pœnas, quibus afficior, sed omni pœnâ, hæc est acerbior, quòd tam ingratum te experior.*

XVIII. Compatere, ô Anima, & lege hæc Libri Vitæ & Lamentationum verba cum matre dolorosa. Nam *stabat juxta Crucem IESV, mater ejus*, nec oculos à lectione libri tristium, & cruentorum characterum remittebat, cujus tantus fuit dolor, ut sanguineas etiam ei lacrymas exprimeret. Ita testatur Theophylus Historicus (cujus fragmenta de historia Passionis Domini manuscripta, in celebri Monasterij sui Bibliotheca Bononiæ asservari Mallonius affirmat) his verbis. *Quod omnem sensum evincit (lacrymabile dictu) sanguineæ etiam lacrymæ ex intemeratæ Matris oculis erumpunt.* O verè lacrymabilis dolorosæ matris ad Crucem statio, quam ita interpellat meus Seraphicus.

Compassio B.V.

Daniel Malloni de S. Syndone. c. 5.

Eius lacrymæ sanguineæ

S Bonav. Stim. Amoris p. 1. c. 3. *O Domina mea, ubi stabas? Nunquid tantùm juxta Crucem? Imò certè in Cruce cum Filio, ibi crucifixa eras secum. Sed hoc distat, quòd ipse in corpore, tu autem in corde; Nec non, ejus vulnera per corpus ejus dispersa, sunt in corde tuo unita.* Virtus autem & afflictio unitâ fortior. Magna & vasta volumnia magnæ utilitatis, in lucem edita, ut meliùs deserviant, in Compendium reduci solent. Vastum, & innumeris distinctionibus, & articulis divisum volumen, est Christus Liber Vitæ in pulpito Crucis positus, cujus characteres per totum corpus sunt dispersi. Tractatus amplus: Vastum volumen; Sed hoc, in corde dolorosæ Matris, in parvum, sed nervosum valde, Compendiū, fuit redactum, ibi quinta essentia, & extractus totius Christi crucifixi inventus est. *Ibi Domina* (ait Seraphicus) *lanceatum est cor tuum, ibi spinis coronatum, ibi illusum, exprobratum, contumeliis plenum, aceto & felle potatum. O Cor amoris, cur conversum es in globum doloris? Aspicio Domina cor tuum, & id non cor, sed Myrrham & Absynthium, & fel video. Oro Matrem Dei, & ecce invenio sputa, flagella, & vulnera, quia tota conversa es in ista. O tota dolore immersa mirares! Tota es in vulneribus Christi; totus Christus Crucifixus est in intimis visceribus cordis tui. O Maria! Cor tuum vulneratum conjunge cordi nostro, ut tecum tuis vulneribus pariter vulneremur;* & Passionis tuæ sacræ mysterium, tanquam signaculum portemus supra cor nostrum, compassione Crucifixi vulneratum.

Cor eius Compendium Passionis.

S. Bonav. cit.

Ah! quæ lingua exprimere sufficit dolores afflictæ matris, cernentis filium magno clamore

re emittentem spiritum, qui clamor, ut ipsa apud S. Brigittam testatur, per totū superstitis vitæ spatiu, semper adhuc in ejus auribus resonabat. Tàm triste hoc fuit maternis oculis spectaculum, ut mirum non fuisset, si dolorosæ matri (nisi supernaturali fuisset sustentata virtute) vita, & spiritus defeciſſet.

XIX. Auditâ Regis Salomonis famâ, venit Jerosolymam Regina
3. Reg. 10 Saba sapientiam & famosum aulæ apparatum expertura; videns ergo omnem Salomonis sapientiam, palatium, apparatum, vestium pompam, ministrantium splendorem, & holocausta in domo Dei oblata, *non habebat ultra spiritum.* Si splendor, & regius Salomonis apparatus halitum & spiritum præ admiratione pene intercluſit regina Sabbæ, quàm grave in cœlesti nostra Regina, & matre dolorosa deliquium stupendus, formidandus, & inauditus figurati Salomonis apparatus causare debuit? *Egredimini, & videte filiæ Sion* cum afflicta matre cœlestem Salomonē, cui pro throno trabs Crucis infamis, pro purpura, tinctū undiq; sanguine & vuleratū corpus, pro cibo & potu, fel & acetum, pro holocausto, crudelis proprii corporis mactatio subministratur. Quidni afflicta mater videns filiū magno clamore emittere spiritum, non habebat ultra spiritum? Et clamante Filio: *Consummatum est* omnes etiam vires in Maria consumatæ sunt?

Non habebat ultra spiritum.

Libro plenè conscripto, & impresso, apponitur, *Finis*, ut liber completus & consumatus esse agnoscatur. Antequā benedictum spiritum suum Dei Filius in Patris æterni manus commendatum emitteret, exclamavit; *Consummatum est.* Ut totus agnosceret mundus consumatum, & completum esse Librum Vitæ, & Lamentationum, ut omnes nossent, illum intus & foris taliter esse characteribus sanguineis refertum, ut imprimendi, & scribendi ulterius locus non superſit, adeóque librum sub prælo Crucis plenè consumatum. *Finis.* Aperuimus sigilla, amice Lector; Librum vidimus in monte Oliveti Prælo datum, ligatum, censoribus traditum, sciſſum, & pulpito Crucis impositum, inspeximus Frontispicium & titulum, explicavimus characteres & literas vocales & consonantes, formavimus nervosum in Corde virginali compendium; Et ecce Finis: Restat solùm formanda Dedicatoria Epistola.

Finis libri

Consummatū est.

XX. Et quinam justiùs hunc Vitæ Librum dedicare decet, quàm tibi, ô Anima Christiana, tibi ergo dedicatum volo hunc Librum Vitæ & Lamentationum, qui *non recedat ab ore tuo, & me-*

Dedicatio Libri.

ditaberis in eo diebus ac noctibus,
1. Corint. 2. v. 2. ex eo omnem scientiæ plenitudinem haustura. Huic soli libro studebat, & incumbebat Doctor gentium. *Nihil arbitratus sum me scire, nisi IESVM Christum, & hunc Crucifixum.* Aliam nō requirebat Paulus Universitatem, vel Academiā, quā Jerusalem, non aliam Scholam, nisi montem Calvariæ, non aliud pulpitum præter Crucem, non alium desiderabat Lectorem, & Magistrum, quàm Crucifixum; non alios characteres, quàm sacratissima stigmata, nō alia comata, nisi verbera, & livores, nulla alia puncta, quàm clavorum, denique non alium Librum, quàm hunc Librum Vitæ & Lamentationum, Christum Crucifixum.

Hunc ergo, tibi anima dedicatum volo librum, ut illi studeas diebus, ac noctibus, & illius characteres & sigilla cordi tuo imprimas, & facias secundùm exemplar, quod tibi monstratum est. Ut autem meliùs penetres & intelligas, sigilla libri aperti, ex iis notitiam universarum rerum hauries, & imprimis agnitâ severissimâ Dei justitiâ, contra eum peccatis tuis insurgere, & offendere desistes. Ut autem meliùs capias sigilli hujus, justitiæ divinæ referatæ severitatem, tremendum Regis Moabitarum in mactando filio tibi spectaculum expendendum propono.

XXI. Obsessus arctissimè ab Israëlitis Rex Moab, cùm omnem sibi evadendi spem præcisam esse cognosceret, *arripiens filium suum Primogenitum, qui regnaturus erat pro eo, obtulit holocaustum super murum.* Viso tam immani, & inaudito spectaculo, *facta est indignatio magna in Israël, statimque recesserunt ab eo*, solutâ scilicet obsidione. Nempe, (ut aliqui volunt) *ex compassione enim reputaverunt indignum ultrà obsidere regem, in tanta afflictione positum.*

4. Reg. 3. v. 27. *Rex Moab sacrificat filium.*

Apud Lyranum hîc, & Cornelii.

Peccatores intenderunt Arcum, paraverunt sagittas suas in pharetra, ad obsidendum ausu temerario Deum suum; Ad avertendum & sedandum hunc insanum peccatorum furorem, misit Pater æternus Unigenitum suum, humana carne vestitum, sed ejus nec suavibus admonitionibus, nec acribus commination ibus comoti, iram suam in ipsum converterunt filium: *Convenerunt adversus Dominum, & adversus Christum ejus.* Cùm itaque nullum sedando impiorum peccatorum furori super esset remedium, *arripiens Pater Filium suum Vnigenitum, sibi coregnantem, obtulit illum in holocaustum in monte Calvariæ*, toto inspectante orbe, ad emollienda peccatorum, se obsidentium, obstinata corda, & divinæ suæ justitiæ statuendum tremendissimum exemplum; declarans se per Isaiam;

Sic Pater æternus

Ps. 2. v. 1.

Vnigenitum suum

Grande spectaculum Justitiæ.

Isa. c. 53. v. 8. am: *Propter scelus populi mei percussi eum.* quod nempe Filius luendum in se sucepit.

Horrendus iste divinæ justitiæ actus fuit, cùm Pater æternus, *proprio filio suo non pepercit*, ut omnes peccatores severissimâ hanc in proprium filium factam executionem aspicientes, ab offendendo & obsidendo peccatis suis Deo desisterent. Sed *Intremorē peccatorū* mirabilis æquè fuit actus misericordiæ, dum, *ut servum redimeres Filium tradidisti.* Quo in cruento spectaculo, primum Libri Vitæ sigillum apertum, & Deus mirabilis in justitia & misericordia mundo innotuit, & inde obstinati peccatores fuerunt emolliti, severissimum enim divinæ justitiæ intuiti rigorem (quo Pater filio suo pro-
Math. 27. v. 54. prio non pepercit) recesserunt ab eo, *timuerunt valdè*, ait Evangelista. Et magna est facta in populo indignatio, & commo-
Luc. 23. v. 48. tio: *Et omnis turba eorum, qui simul aderant ad spectaculum istud, & videbant, quæ fiebant, percutientes pectora sua revertebantur. Non so-*
Hugo hic *lùm domum revertebantur* (ait Hugo) *sed etiam ad Cor, pœnitendo, ut Centurio, & similes.* Solverunt obsidionem peccatores, *Commoti spectatores.* partim tremendo justitiæ exemplo exterriti, partim ex compassione, reputaverunt enim indignum, ultra obsidere regem in tanta afflictione positum, qui propter scelus populi sui, proprium filium sacrificavit, ideò percutientes pectora sua revertebantur, qui simul aderant ad spectaculum istud.

Imò non solùm qui aderant, sed etiam populi illi, qui à longè hoc inauditum misericordię, & tremendum justitiæ divinæ spectaculum deprædicatum audiêrunt, percutientes pectora sua revertebantur, ad apertu-
XXII. *Imò & populi absentes.* ram mirabilis sigilli hujus, libri vitæ. Imò creaturæ omnes partim ex compassione misericordiæ, partim ex timore justitiæ se commoverunt; Petræ scissæ sunt, terra contremuit, Sol & Luna obscurati sunt, velum templi scissum, sepulchra aperta sunt. Facta est indignatio magna in omnibus creaturis. Et tu Christiane, cui hodie cruentum hoc spectaculum, & apertum sigillum divinæ justitiæ & misericordiæ ob oculos ponitur, petra durior non emolliris per misericordiam ad com-
Creaturæ omnes commotæ. passionē, nec per formidabilē justitiam, ad tremorem? Nec Deum (qui proprium filium suum pro peccatis tuis sacrificavit) obsidere sceleribus tuis, oppugnare, & offendere vereris?

Respice, & contremisce ad hoc divinæ justitiæ mundo pro-
Contremisce peccator. positum, & exhibitum formidandum spectaculum, respice obstinate peccator, qualiter ego in facie totius populi, imò

mundi totius, in elevato Calvariæ loco Filium meum immaniter percusserim, ob peccata quidem populi mei, in se susceptа; vivo ego, dicit Dominus, si Filio non peperci, nec servo parcam. Respice peccator impœnitens, luxuriose, superbe, avare, invide, rixose, gulose, & percutiens pectus tuum revertere ad Cor pœnitendo, respice, & resipisce ad hoc inauditum divinæ justitiæ spectaculum, à filio innocente tam immaniter mactato disce tremere, serve nequam; Si enim filio non peperci, in quo mihi semper complacui, quomodo servo maligno parcam, in quo scelus non alienum, sed proprium reperero? Vivo ego, dicit Dominus, non parcet furor meus. *Sagittæ meas inebriabo sanguine, & gladius meus devorabit carnes.* Illum enim justitiæ gladium, quo proprium mactavi filium, adhuc dextera mea contra mundum scelestum vibrat. *Egredietur gladius meus de vagina sua, ad omnem carnem, ab Austro, usque ad Aquilonem, ut sciat omnis caro, quia ego Dominus eduxi gladium meum, de vagina sua irrevocabilem. Si ullus in nobis esset sensus aut ratio* (ut bene S. Antistes Valentinas advertit) *quis post talem, ac tantam delictorum punitionem novam auderet incurrere culpam?* Et pergit adhuc efficaciùs, hoc justitiæ divinæ spectaculum, exaggerare. *A principio siquidem, quantùm odisses omne peccatum, per vindictam terribilem quidem demonstraveras; nam propter peccatum gratissimus tibi, & pulcherrimus Angelus, cælo ejectus est; propter peccatum homo cum sua posteritate paradyso privatus; propter peccatum totus aquis submersus est mundus; propter peccatum exarsit sulphureo igne adusta Pentapolis: propter peccatum terra dehiscens, veritatis æmulos deglutivit: Ægyptus Ponto submersa est, & innumeri populi vastati sunt. Nunquid ad peccati detestationem satis generi humano talia exempla sufficerent? Sed nihil me Domine ita deterret, nihil me sic à peccato detinet, sicut videre Filium tuum dilectissimum Unigenitum, propter peccatum clavis affixum latronibus associatum, & crudelissimâ morte mulctatum. O infinitam audaciam peccatoris, quis post tale spectaculum peccare non formidat? Dicite obsecro, si quis rex latronibus adeò foret infensus, ut filium suum, unicum regni sui hæredem, pro levi quodam furto furcâ suspenderet, in ejus regno de cætero quis committere furtum auderet? Et Filius Dei pro unius pomi furto crucifixus est, & hoc scientes, offendimus omnes? Quo reatu? quo supplicio? quo inferno?*

Et planè si unquam hæ irati Dei, & exacerbatæ divinæ justitiæ, minæ mundo intonuerunt; infelicibus nostris contigit temporibus, dum per totum

Filio non pepercit

Nec tibi parcet.

Deut. c. 32. v. 42.

Ezech. 21. v. 4.

S. Thom de villan Dom. 2. Adv.

Semper Deus gratuitur punivit peccatum.

Sed nunquam tam severè statuit exemplum.

Simile

Gladius Justitiæ evaginatus.

v. 11. tum orbē, *Gladius, gladius exacutus est, & limatus: ut cædat victimas, exacutus est, ut splendescat limatus est.* Splendet, ut terreat, exacutus est, ut occidat.

XXIII. Neque in hoc Justitia Dei acutissima est reprehensibilis,

Deut. 30. v. 19. quæ diu minando, & evaginando, patienter nos ad pœnitentiam expectavit. *Testes invoco* (ait Justus Deus) *hodie cœlum & terram, quòd proposuerim vobis vitam & mortem.*

Deus misericordiā exhibet. Et ego, ô peccator, Testes invoco hodie cœlum & terram, quòd ex parte Dei proposuerim tibi hodie vitam & mortem. Proposui tibi Librum Vitæ, cujus omnes vocales & consonantes ad thronum Dei pro nobis clamant misericordiam; Sed etiam librum mortis (si ita convenit dicere) evaginatum justi-

Deut. ib. *Eligamus* tiæ gladium proposui, *Elige ergo vitam, ut & tu vivas, & semen tuum, & diligas Dominum Deum tuum, ipse enim est vita tua.*

Eligamus, eligamus ergo charissimi, omnes qui adsumus ad spectaculum istud formidandum, Vitam, & Librum Vitæ, revertamur percutientes pectora nostra, & veniam abirato Patre per vulneratum Filium petamus; *Parce Domine, parce populo tuo; Peccavimus cum patribus nostris, iniquitatem fecimus.* Sed ô benignissime Deus, qui potentiam tuam parcendo maximè, & miserando demonstras, *ne reminiscaris Domine delicta nostra, vel Parentum nostrorum, neque vindictam sumas de peccatis nostris.* Ecce percutientes pectora nostra, ad te humiliati revertimur, & convertimur (non enim imaginari mihi possum, animum tam obstinatum inter omnes auditores meos inveniri, qui ad spectaculum istud, & aspectum hujus Christi Crucifixi non commotus, & verè contritus sit) & per vulnera & sanguinem filij tui pro nobis misericordiam clamantis, veniam precamur supplices. Parce Domine, parce populo tuo, timorem pariter, & amorem eum fac habere perpetuum, ut timendo justitiam, & misericordiam diligendo, tibi soli adhæreat, te solum sciat, tibi soli studeat, qui es Liber Vitæ, & vita nostra sine fine in omnes æternitates,

Judith. 7. v. 19.

Tob. 3. v. 3.

Amen.

EXCESSUS
Amoris Domini.

Thema.

Recordare paupertatis, & transgressionis meæ, absynthij, & fellis. *Thren. 3. v. 19.*

Dicebat Excessum ejus, quem completurus erat in Jerusalem. *Luc. 9. v. 31.*

Pars I.

Excessus Amoris, quem Dei Filius ostendit in oratione, & sudore sanguineo, &c.

1. CUm Incarnato Dei Filio, in monte Thabor coram dilectis discipulis suis, ad absconditæ Divinitatis suæ gloriam manifestandam transfigurato, duo viri loquebantur, Moyses scilicet & Helias, visi in majestate. Et quamvis eorum discursum de cœlestis gloriæ magnitudine ac suavitate fuisse meritò quis æstimare posset, testatur tamen Evangelista longè aliâ colloquii fuisse materiâ; *Dicebant Excessum ejus*, id est, Christi, *quem completurus erat in Ierusalem*, id est, *Passionem ejus futuram*, exponit Lyranus. Et nullo revera meliùs ac vivaciùs titulo, ac nomine, quàm Excessûs, exprimi poterat Dominica Passio, quã etiam transgressionem, vocavit in spiritu Jeremias Propheta: *Recordare paupertatis & transgressionis meæ, absynthii & fellis.* Fuit enim in passione Christi ex omni parte transgressio, & excessus. Transgressio, & excessus odii, rancoris, & invidiæ fuit in exacerbatis scribarum, & Pharisæorum animis: Excessus injustitiæ in politicis, interessatis, & passionatis judicibus; Excessus crudelitatis apud immites & feros lictores, & carnifices: Fuit etiam Excessus justi-

Passio Christi Excessus fuit.

Lyranus hic.

Ex omni parte. Thren. 3. v. 19.

justitiæ in ipso Patre æterno, qui proprio Filio suo non pepercit, sed propter peccata populi sui percussit eum: Et tamen huic excessui justitiæ erga Filium, conjunctus fuit Excessus Misericordiæ erga servile genus humanum, nam ut servum redimeres, Filium tradidisti.

In Christo Excessus omnium virtutum

Præcipuè verò in ipso Patiente Dei Filio Excessus fuit omnium virtutum; Excessus obedientiæ, cui ita adhæsit, ut mallet vitam, quàm obedientiam perdere: Excessus paupertatis, dum vulpes foveas habent, & volucres cœli nidos, filius autem Hominis, non habuit moriens, ubi caput suum, spinis confixum, reclinaret, aut quo corpus suũ vulneribus laceratum contegeret: Excessus humilitatis, dum Dei Filius formâ servi, & similitudine carnis peccati susceptâ, humiliavit semetipsũ usq; ad mortẽ, mortẽ autem ignominiosissimæ Crucis. Excessus patientiæ, dum sicut ovis ad occisionem ductus, & quasi Agnus coram tondente se obmutuit, & non aperuit os suum. Excessus fuit in ipsa crudelissimæ passionis tolerantia, & modo: Exinanivit enim semetipsum patiendo taliter, ut omnes non tantùm è corpore, vires, sed etiam omnes ex venis guttas sanguinis exhaustas effunderet.

Maximè tamen, & super omnia enituit in Christo Patiente ipsa Charitas, & quidem excessus Charitatis; Propter nimiam enim charitatem, qua dilexit nos, tradidit semetipsum pro nobis. Unde optimè Lyranus per excessum, quem dicebant Moyses, & Helias, intelligendam docet *Passionem ejus futuram, quam sustinuit ex maxima charitate, quæ dicitur hîc excessiva; non quòd excesserit modum virtutis, sed quòd excellentissimum ejus gradum attingebat.* *Maximè Amoris.* Lyranus cit.

Quoniam igitur est *magnus Amoris Amor*, &, teste Doctore meo Seraphico, nihil est, *quod magis excitat ad amorem, quàm veraciter & perfectè diligi, & amari.* *Magnus amoris amor.* S. Bonav. Stimuli. p. 2. c. 8.

Quid enim (inquit etiam S. Thomas de Villanova) *ad amandum sic allicit, sicut amor? Unde Seneca: Frustra quæritis maleficas ad amorem; ostendam ego tibi maleficum potens; Ama & amaberis,* Ideò cùm humana corda tepiditate languentia, divinum hactenus amorem non admiserint, hoc Amoris philtrum, (excessũ scilicet sui amoris) Unigenitus Dei Filius in sacratissima sua passione nobis paravit, ad animos amore fascinandos, quod auditoribus meis propinare constitui, haud dubius, quin benignis auribus haustum, ad præcordia penetraturum, & amoris ardorem susciturum sit. *Amor est philtrum amoris.* II. S. Thom. de Vill. Dom. 2. Adv.

Invitat Spõsa cœlestis Dilectũ suum: *Veniat dilectus meus in hortum*

Cant. 5. v. 1. *Christus invitatur ad hortū.* Ioan. 18. v. 1.

tum suum. Placuit cœlesti Sponso humana sponsæ invitatio, & finitâ cœnâ, ac hymno dicto *egressus est cum discipulis suis trans torrentem Cedron, ubi erat hortus, in quem introivit ipse, & discipuli ejus,* ut voto dilectæ suæ condescenderet, licet non ignarus, nihil deliciarum, sed bene copiosas tribulationum spinas se in hoc horto reperturum. Appositè observat Doctor Mellifluus: *Venit in locum florum, non tempore florū, ipse Flos humanæ naturæ, ut naturam non florentem florescere faceret.* Venit in hortum Flos Campi, & mella daturus (sanguinis mixta guttis) devotis Apibus, & conculcandus à tauris pinguibus.

S Bernard hic.

Vt ibi inciperet redemptio, ubi lapsus initium sumpsit.

Sed quare ad hortum hunc invitat Dei Filium cœlestis Sponsa? Quid Flori Campi, cum horto olivarum? Nempe (respondet ibidem Mellifluus Doctor) *ut ibi caperetur ad pœnam, ubi primus homo fuit captus ad culpam.* Vix quidem Flos iste tenerrimus, & purissimus attigit hortum, cùm ecce languere cœpit, & deficere: *Cœpit pavere, tædere, & mœstus esse:* Ita ut ipsemet fateretur: *Tristis est Anima mea usque ad mortem.* Et quidem inter istas angustias, & tristitias, non est, qui consoletur eum ex omnibus charis ejus. A gente enim sua dilecta consolationem expectare non poterat, quoniam *Filia populi mei, crudelis quasi struthio in deserto.* Inter ipsos secretissimos amicos, discipulos, *migravit Iudas .. habitavit inter gentes.* Tres selectissimi Apostoli, quos passionis suæ, si non socios, saltem spectatores susceperat, somno gravati, nec solamen, nec levamen, multò minùs confortationem dare poterant. Unde deliciæ humani generis, Christus Iesus, amaritudine, & tristitiâ plenus, dum consolatores, homines invenire nequit, avulsus ab eis, ad Patrem cœlestem, Deum totius consolationis se convertit.

Thren. 4. v. 3. Thren. 2. v. 3. *Derelictus ab hominibus*

Progressus igitur pusillum, procidit in faciem suam, orans, & dicens: Pater mi, si possibile est, transeat à me calix iste, verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu. S. Evangelista Marcus ipsum incarnatum Dei Filium dixisse testatur. *Abba Pater;* Abba enim Syris, idem est, quod Pater, blandientis ergo affectu, ex intimo cordis sensu Christus geminavit vocem paternam, unde Syrus habet: Abbi, Abbi, id est, Pater mi Pater mi, Quin imò Apostolus Dei Filium orâsse ad Patrem affirmat *cum clamore valido, & lacrymis,* & quidem orationem hanc prolixiùs ab eo protractam testatur S. Lucas.

III. Math 26 v. 39. Marci 14. v. 36. *Recurrit ad Patrē.* *affectuosissimo ordine modo.* Hebr. 5. v. 7. S Aug. pf. 7.

Accedamus ô Christiane, ad Dei Filium, qui Patri *sic se exhibuit precatorem, ut meminisset se nostrum esse doctorem.* Aspice complica-

plicatis & in cœlum erectis manibus, flexis genibus, imò, ad majorem Patri exhibendam reverentiam, procidentem in faciem, & ora terræ humillimè imprimẽtem Dei Filium, Et erubesce elato, coram Deo, vultu & animo comparere, cui vix unum, indevotus, sustines inclinare poplitem. Affectuosa clamantem voce, & filiali confidentiâ recurrentem ad solum Patrem contemplare, qui in necessitatibus tuis, ad sola creaturarum, & amicorum recurris solatia, de quibus damno tuo sapientior factus conquereris: *Vocavi amicos meos, & ipsi deceperunt me.* Cerne, clamorem validum & lacrymas emittentem, tu, qui orationes tuas non lacrymis, & gemitibus, sed vanis conversationibus, & risibus misces. Considera Dei Filium, qui non suam, sed Patris voluntatem adimplendam orat, cùm tu irresignatus, non ad Dei, sed ad tuam propriam voluntatem omnia ordinanda prætendas. Prolixiùs orantem attende tu, cui omnis orationis & divini officii mora longa nimis, & molesta accidit. Denique tertiò abeuntem, & eundem sermonẽ, & orationem repetentem mirare, ut nec indefessum ab oratione spiritum, nec filialem, erga Patrem æternum, confidentiam remittendam discas, sed eò orare ardentiùs, quò repulsam es passus frequentiùs.

Discamus orare à Christo

Thren. 1. v. 19.

Quòd nos peccatores à Deo repulsam in orationibus nostris patiamur, mirum non est, *quia peccatores Deus non audit*, quòd autem Filium, (quem nemo arguere audeat de peccato, utpote impeccabilem) non audiat Pater cœlestis, mirum sanè, & imperceptibile videtur. Quid enim commisit filius, quòd audiri & exaudiri non meruit à Patre?

Ioan. 9. v. 31.

Quare Pater Filiũ non audit

Nullum in Filio, nisi commissum Amoris, excessum invenio, qui propter nimiam charitatem, qua dilexit nos, formam servi accipiens, quasi majestatis suæ oblitus, agrestem humanam naturam adamando sibi copulavit, sed quid inde? Sicut enim Pater (naturæ humanæ se desponsante filio) non amisit, quod erat Patris, sic nec Filius per hoc amisit, quod erat Filii.

IV.

Quid ergo à filio exaudiendo avertit Patrem? Nempe quia Dei Filius non solùm humanam sibi copulavit naturam, sed etiam pro dote non nisi magna erga Deum contracta per homines debita accepit, & acceptavit, fidejubens Patri pro infinitis totius naturæ humanæ debitis. Sic affirmat meus Seraphicus: *Fideiussor noster Christus est, compatiens autem Dei Filius fideiussit pro nobis.* O inauditum Amoris excessum, quo Dei Filius quasi excæcatus amore deformatæ per peccata naturæ humanæ, se illi non tantùm

Christus Fidei usor noster.

S. Bonav. serm. 2. Dom. 2. Pasch.

tùm desponsavit, sed etiam fidejussit, quam noverat solvendo non esse! Excusso igitur debitore, & ad solvendum insufficiente, Fidejussorem arripit Creditor, Pater æternus, non dimittendum, nisi aut debitum solvat, proprio sanguine & vita, aut fidejussionem dimittat.

Apparuit autem illi angelus de cœlo, confortans eum. Putant aliqui hunc Angelum fuisse Gabrielem Archangelum, Seraphicus autem S. Bonaventura, & post eum alij, Michaëlem fuisse censet, qui Filium Dei ad pedes suos, tanquam vilissimum terræ vermiculum provolutum obstupescens, illum allocutus scribitur. *Salutem Deus meus, Iesu. Ego orationem vestram, & sudorem vestrum sanguineum Patri vestro obtuli, in conspectu totius curiæ supernæ, & omnes procidentes supplicavimus, ut calicem hunc transferret à vobis: Et respondit Pater: Novit dilectissimus Filius meus Iesus, quòd humani generis redemptio, quam sic optamus, sine sanguinis sui effusione, sic decenter fieri non potest, & ideò si salutem vult animarum, oportet eum pro eis mori. Quid ergo discernitis?*

Confortatur. Luc. 22. v. 42.

S. Bonav. medit vitæ Christi c. 75.

Aut salus animarũ, aut vita perdenda

Anima Christi Psal. 118. v. 25. Maximum hæc Dei Filio incusserunt pavorem & tristitiam, ita ut in faciem prostratus cum regio Propheta fateretur: *Adhæsit pavimento anima mea.* Quid est pavimentum? *Si tanquam unam quandam domum magnam, universum mundum velimus accipere, videmus velut cameram eius, cœlum. Terra igitur erit pavimentum*, ait S. Augustinus. Eodem S. Doctore teste, *corpus ipsum, quia ex terra est, non absurdè intelligitur pavimentum.* Adhæret igitur pavimento, id est, corpori, anima, ad quod naturalem & innatam habet inclinationem, & appetitum; *nemo enim unquam carnem suam odio habuit.* Naturali ergo affectu adhærens anima Christi pavimento, id est, corpori suo, ab eo seprari, non nisi cum summo dolore poterat, hinc ergo cœpit pavere, timere & mœstus esse, & qui respicit terram, & facit eam tremere, tremens ac pavens, pronus jacebat in terra, de cœlo opem implorans, & subsidium.

S. August. hic. *Adhæsit pavimento, id est, Corpori.*

Ephes 5. v. 29.

Ab Angelo confortatur. Quare mittitur è cœlo ad Filium Dei consolandum, & confortandum Internuncius:

V.

O Animæ peccatrices, quid vos ad hæc? Si sincerè, justè, & sine passione judicandum vobis est, æquúmne putatis, aut operæ pretium, ut Dei Filius pro vobis perfidis, & ingratis vitam suam ponere, ac turpissimam, dolorosissimámque obire mortem debeat? Nunquid adulteræ, fornicatæ estis cum amatoribus multis, mundo, carni, ipsíque adhæsistis diabolo, terga vertentes Dei Filio, tam amanter vos prosequenti? Et tu ô amantissime Jesu, qui fatigatus ex iti-

Non merebantur animas

itinere frustra peccatrices animas tanto amore & labore insecutus es, dignas eas adhuc tuo amore, & sanguine æstimas? Psal 143. Quid est homo, quia reputas eum? Quid est homo, quia apponis erga eum cor tuum? A quo ingrato non nisi offensiones sperare poteris, & contumelias? Iob. c. 7.

Tamen vicit Excessus Amoris.

Sed ô Amoris excessum! O charitatis immensitatem, quam aquæ multæ peccatorum, & offensionum extinguere non potuerunt! Non diu deliberat, non hæret, non cunctatur Dei Filius, sed Cathegoricam dat è vestigio responsionem angelo in hæc verba, à Seraphico Doctore descripta. S. Bonav. ibid. *Salui ẽ animarum omnino volo; & idcirco potiùs eligo mori, ut salventur animæ, quas ad imaginem suam Pater creaverat, quàm velim non mori, & animæ non redimantur. Fiat ergo voluntas Patris mei.*

Idem ibid. Compatienti quidem, sed & lubenti animo hanc generosam Christi responsionem accepit Angelus, sic eum confortans: *Confortamini ergo, & viriliter agite excelsum enim decet magnifica facere, & magnanimum ardua tolerare.* Citò pertranfibunt pœnalia, & succedent perpetuò gloriosa. Dicit Pater, quòd semper vobiscum est, & quòd matrem vestram, & discipulos ipse servabit. Et humilis Dominus reverenter & humiliter suscipit hanc confortationem etiam à sua creatura, considerans se esse minorem paulò minùs ab angelis.

Confortationem accepit à Creatura sua.

Notat tamen venerabilis Beda, quòd Christus quidem *Confortatus est*, sed *tali confortatione, quæ dolorem non minuit, sed auxit magis*, dum factâ ad sustinendam passionem resolutione, vivacissima imminentis tremendæ mortis imago, mentem Christi occupavit, unde etiam S. Lucas post angeli discessum, sanguineum agoniæ paraxismum secutum commemorat: *Et factus in agonia prolixiùs orabat, & factus est sudor eius, sicut guttæ sanguinis, decurrentis in terram.* Nota, nota, exclamat Bernardus, *decurrentis, & non stillantis*, tam copiosè enim Sudor ille Sanguineus ebullivit, ut non stillare, sed decurrere videretur. Ven. Beda *Sanguineus Sudor.*

VI.

Varias sanguinei hujus sudoris rationes assignant contemplativi, inter quas prima est, quod Deus Pater in Filio pro humani generis peccatis fidejubente posuit iniquitatem omniũ nostrûm, sub gravi ergo peccatorum pondere, & torculari compressus tenerrimus botrus Cypri, sanguineum undique fudit sudorem; Et quoniam affirmat illuminatus Joan. Thaulerus, tantam esse unius peccati mortalis gravitatem, ut si eam verè homo videret & agnosceret, cor ejus præ amaritudine & dolore rumperetur, quem non dolorem, & amaritudinem sen- Io. Thaul méditat. c. 6. *Causatus 1. a gravitate peccatorũ*

tire debuit Dei Filius, quas angustias & tremores, cui in amaro calice omnes peccatorum abominationes, & venenata ac mortifera genimina viperarum, & iniquitatum, infinitate sua numerum arenæ maris superantium, collectim fuerant propinata, quæ sanguineum sudorem suo horrore ac pondere expresserunt. Et tu, ô Anima peccatrix, in fæcibus peccatorum demersa, & iniquitatibus quasi onere gravi gravata & oppressa, tantâ tamen animi jactaris levitate, ut oneris tam immensi, & fœditatis tam horridæ immemor, adhuc leviter saltare, & in rebus pessimis exultare non verearis? Expergiscere, ô Anima, de gravi somno tuo, & peccatorum tuorum pondus, & turpitudinem in Salvatoris tui sanguineo sudore agnoscens, ejus malignitatem per ardentem, & sudoriferam expelle contritionem.

Alteram sudoriferæ agoniæ causam assignant, quòd Angelus, Dei Filio ad mundi redemptionem se offerenti, in calice illo, omnia dolorosæ Passionis suæ instrumenta, flagella scilicet, spineam coronam, clavos, crucem lanceam proposuerit, cum vivaci totius passionis instantis repræsentatione, quæ tremendum potentiæ imaginativæ horrorem impresit, & ex ipsis angustati corporis poris, sanguineum sudorem expressit; Hinc de Christo ait ulteriùs Ven. Beda, quòd *confortatus est ex fructus magnitudine, nõ subtractâ amaritudine.*

A repræsentatione passionis.

Sed si ipsum etiam Passionis Dominicæ fructum consideremus, ex eo non tam confortationem, quàm dolorem habuit Dei Filius, Consolationem quidem, & confortationem ex eo, quod fructus magnitudinẽ vidit quoad intensionem, sufficientem pro infinitis mundis redimendis, quoad extensionem autem, parvum respectivè fructũ & majorem sine comparatione numerum damnandorum, quàm salvandorum contemplans, magnum concepit dolorem, præsertim si quidem gentiũ ad fidem vocationem, populi verò sui repulsam consideraret: Quare Seraphicus verba illa Christi, veruntamen non mea, sed tua voluntas fiat, sic intelligenda exponit: *Vt credat multitudo gentium, non recuso Passionem; Si verò Iudæi excæcandi sunt, ut alij videant, non mea voluntas, sed tua fiat*, licet interim cordi, dolor & compassio erga infinitas pene animas, passionis suæ fructum non percepturas, sanguineum expresserit sudorem, quare hunc potiùs, amoris, quàm doloris effectum fuisse devotus ille Poëta concludit:

A paucitate salvandorũ.

S. Bonav. cit.

Et excæcatione Iudæorũ.

Non dolor hicce meus, dolor: est Amor. Hoc doleo unum,
Quòd labor hic multis noster inanis erit.

Præ-

VII. Prætereà Sudorem hunc sanguineũ magis ab Excessu Amoris, quàm doloris, aut alterius Passionis emanâsse contemplativi concludunt, eò quòd colluctante cum præfatis angustiis voluntate sensitivâ, atque ex memoratis passionibus & motivis calicem amarũ abhorrente, sanguinéque ad cor angustiatũ concurrente, demum voluntas rationalis tam ardenti, & excessivo amoris actu, quasi impetuoso igniti mallei ictu Cor angustiatum concusserit, ut collectus circa illud sanguis, dispersus, per totum se corpus diffundens, & apertis poris erumpens, sanguineum hunc sudorem, causaverit; Ex quo Dei Filius, per amoris excessum languidus, humi procubuit, cum languente sponsa ingemiscens: *Fulcite me floribus, stipate me rosis, quia amore langueo.* Cant. 2. v. 5.

Sudor sanguineus.

Excessus amoris.

Aspice, ô anima, languentem amore sponsum tuum, tergentem sibi sanguineo sudore perfusam faciem, & afflicto dolenter compatere, omnes ejus actus & singulas affectiones contemplando.

Surgit demum ab oratione totus sanguine madefactus, & ad discipulos suos reversus, invenit eos dormientes: *Et dicit Petro: Simon dormis? Sic, non potuisti una hora vigilare mecum?* Simon, qui fatebaris olim, *Tota nocte laborantes nihil cepimus*, totáq; nocte in vacuum pro lucro temporali vigilasti, modò in tantæ tentationis imminente periculo dormis? Una hora non potuistis vigilare mecum? Vel Judam non videtis, quomodo non dormit, sed festinat tradere me Judæis, nec somno, nec laboris tædio victus? Et tu ô anima, electa sponsa Christi dormis, nec tantis tentationum, nec æternæ damnationis periculis suscitanda? Tota nocte cum Juda pro temporali lucro, & divendendo Christo, & salute tua discurris? Totam noctem, ludendo, compotãdo, & choreas agendo, insomnem ducis, & pro animæ tuæ salute, & amore sponsi tui, una hora vigilare non sustines? Una hora in audiendo Dei Verbo, & S. Missæ Officio impendenda, tibi molesta est, & gravis, cùm totam noctem in piscandis honoribus, favoribus magnatum, & divitijs insumas? Et una hora non potuisti vigilare mecum? Mecum, qui tantùm pro te laboravi, totamque noctem sanguineo, pro te, sudore perfusus transegi? Mecum, qui vitam meam pro te posui in dolorosam mortem? Mecum, qui creavi, & redemi te? Evigila ô anima! exurge quæ dormis? Surgite eamus; ecce appropinquavit, qui me tradet.

Simon dormit.

Qui aliàs tota nocte laboravit pro temporalibus.

VIII. *Adhuc eo loquente, ecce Judas unus de duodecim venit, & cum eo turba multa cum gladijs & fustibus missi à Principibus Sacerdotum, & Senioribus populi.* Audito ergo armatorum

rum strepitu & tumultu, & visis coruscantibus facibus, ac lucernis, naturalis Christum invasit horror, ac tremor, ut cum Propheta dicere posset: *Factum est cor meum, tanquam cera liquescens, in medio ventris mei.* Psal. 21. v. 15. Attamen timorem foras expulit vis amoris, qui animum & robur addidit, ut magnanimi ducis instar, discipulos ad pugnam animans, & in prima fronte consistens, obviam hostibus procederet, illis acclamans: *Quem quæritis? Jesum Nazarenum.* Ego sum: respondit Christus. Moxque ad duas istas à Divino Verbo prolatas voces quasi tonitru prostrati, *abierunt retrorsum, & ceciderunt in terram.* Discite justitiam moniti, ô scelerati lictores, discite divinam revereri Majestatem, cujus unicum ex assumpti corporis oculis, erumpens divinitatis fulgur, armatam prostravit turmam. *Prosternit amore Christus lictores.* *Una vox* (exclamat cum admiratione S. Augustinus) *turbam odijs ferocem, armisque terribilem sine telo ullo percussit, repulit, stravit: quid indicaturus faciet, si iudicandus hoc fecit?* S. August. tract. 112 in Ioan. in medio. O peccatores impij, quomodo egredientes è throno judicis, voces, fulmina, & vocem tonitrui in rota, sententiam scilicet tremendam, & irrevocabilem sustinebitis, qua damnati retrorsum abibunt à facie Domini, & in abyssum, æternum torquendi, præcipitabuntur? *Quid indicaturus faciet.*

En anima Deo dilecta, jacentem ad pedes dilecti tui, hostilem turmam, quid ergo tu ad hæc? Nonne fugam dilecto suades? *Fuge fuge dilecte mi, & assimilare capreæ, hinnuloque cervorum.* Cant. 8. v. 14. Ut hinnulo cervorum assimilaret se cœlestis sponsus non renuit, imò hoc sponsæ votum jam in incunabulis adimplevit, assimilatus capreæ, hinnuloque cervorum, *dum ex patribus antiquis natus fuit, quasi ex cervis hinnulus,* ut S. Greg. exponit; jamque in figuris hæc contigerant, dum sollicita mater pelliculis hœdorum, Jacobi manus, & colli nuda protexit, *pellicula autem, nostra caro est,* ait S. Bonaventura. S. Greg. cit. à gloss. Genes. 27. v. 16. O verè magnum Amoris Divini excessum! quidnon excogitat vis amoris? Verè fingit... Mille sibi formas ingeniosus amor. In similitudinem ergo carnis peccati vestitum Dei Filium, & capreæ, hinnuloque cervorum assimilatum tanquam canes venatici, insequuntur rabidi ira & invidia Judæi, hinc per Psalmistam cõqueritur Christus: *Quoniam circumdederunt me canes multi.* Psal. 21. v. 17. Ut verè latrantium, & mordentium canum rabiem, evadat assimilatus capreæ, hinnuloq; Dei Filius, fugam suadet sponsa cœlestis. Sed sicut in priori, ejus votis condescendit, sic in fuga capessenda renuit, turpem arbitratus fugam, non amantis, sed timidi animi indicem: quin è terra, & lapsu erectos hostes, rursus ipse imperterritus, & nullo motus S. Bonav. serm. 1. dom. 1. Adv. *Canes Iudæi.* *Assimilatus hinnulo.*

tus vestigio alloquitur. *Quē quaritis? Illi autē dixerūt: Iesū Nazarenū.* Joan. 18. v. 7. *Respōdit Iesus: dixi vobis, quia ego sū.*

IX. Non poterat Christus efficacioribus verbis divinitatē suam Iudæis remonstrare quàm hisce verbis: *Ego sum.* Nam cùm Deus ablegaret Moysē ad filios Israël, sollicitus iste, informari à Deo petijt, *si dixerint mihi: quod est nomen eius: quid dicam eis?* Dixit Deus *ad Moysen: Ego sum, qui sum. Sic dices filijs Israël: qui est, misit me ad vos.* Ut ergo se Deum, suis hostibus, Christus ostenderet, dixit: *Ego sum:* Hoc enim propriū Dei nomen est: *Sum qui sū:* vel *Ego sum.* Nos omnes autē sumus, tanquā non simus. Sed non obstante hac divinitatis suæ declaratione, Dei Filius pelle humanitatis vestitus agnitus à gente sua propria non fuit, ab ea tanquā rabida canum turma laceratus. Exod. c. 3 v. 14. Deus est, qui est.

Cōtigit enim Dei Filio, quod olim Actæoni cotigisse poëtæ fingūt, hic quippe incautus in Dianā oculos conjiciens, ab ea in cervū mutatus, cùm eū proprii allatrarent, ac invaderent canes, humana saltē voce eos mitigare conatus dixit: Actæon prada suis canibus.

Actæon ego sum, Dominum cognoscite vestrum.

Sed parum humana voce mitigati canes, cervina specie ac pelle vestiti, Domini jugulum petierunt, humique prostratum miserè dentibus lacerārunt.

Sic Christus, in humanam naturam fixos conjiciens, misericordiæ suæ oculos, ejus amore captus, & quasi per amoris excessum extra se raptus, fuit assimilatus hinnulo, de antiquis PP. secundū carnem tanquam cervis natus qui divinitatis suæ quidem fidem facere constituit, dum dixit: Ego sum, quasi diceret: Sic & Christus.

Messias ego sum, Dominum cognoscite vestrum.

At excæcata gens, & furiosa canū turma, cæco impetu, in innocentem irruerunt Salvatorem, comprehenderunt Iesum, &, ligaverunt eum. Injectâ enim collo catenâ ferreâ mox benignissimum Salvatorem in terram violenter protraxerunt, tunc unus manibus apprehendens guttur, alius manus, pedes alii arctissimè funibus ligaverunt, ne è manibus suis elaberetur, quem dum pedibus calcatum, ac pugnis, fustibusq; contusum, in pedes erectum trahendo & impellēdo progredi coëgerunt, ut sic ligatū ducerent ad Annā primùm, cum captivo Dei filio gloriantes, *sicut exultant victores capta præda, quādo dividunt spolia.* Ligatur. Isa. c. 9. v. 3.

O verè lugubre spectaculum, videre Regem cœlorum infamibus constrictū vinculis! Referunt de Alexandro Mag. auctores, cùm vulneratus sagittâ ad extrahendam, ligari debuisset recusāsse illum vincula, tanquam indignâ regiâ libertate, *non decet* (inquiebat) *vinciri regem; Libera sit regis semper & salva potestas.* Queis generosum regis animum S. Bernardus considerans, simulque regem gloriæ funibus, ac catenis ignominiosè ligatum contemplans, exclamat: *Indignum facinus fuit, Christum vincire funibus! Cùm enim cuidam regi vulnerato dictū fuisset, ut se ligari permitteret, donec sagitta extraheretur, respondit: Non decet vinciri regem, libera sit regis semper, & salva potestas.* Alexander Mag. vulneratus ligari noluit. S. Bernard tract. de Pass. Dñi. c. 4.

X. Quæ ergo potestas, hanc Regiam Christo & liberam abstulit potestatem? quis vincula collo eius, ac manibus iniecit? Imò invincibilem vincire & ligare insuperabilem potuit? Non planè lictores sævissimi, uno verbo Christi, tanquam fulmine prostrati, sed uti testatur Innocentius Papa tertius, *Charitas est, quæ tantùm in Deum prævaluit, quòd traxit immitabilem, quòd ligavit insuperabilem.* Non in vinculis ferreis, non funibus & catenis sed in vinculis Charitatis tractus, & captivus factus Dei Filius, se hostium potestati subjecit, ex amoris excessu, his ferreis catenis & vinculis circūdatus, in quibus non aliter, quàm sponsa, in catenis, monilibus, & armillis aureis, gloriatur, ut oculos, & animum sponsi ad se rapiat. Amor ligavit Christum.

S. August. in psal. 149.

Et si bene consideras, ô sponsa, vincula hæc sponsi tui, non ferrea, sed etiam aurea reperies, nam teste S. Augustino, hominibus *vincula ferrea sunt, quamdiu timent; ament, & aurea erunt.* Expulso ergo, & foris misso timore, dum totus inter vincula ardet tui amore Dei Filius, non jam ferrea, sed aurea sunt ejus vincula, tam splendido itaque, & aureo mundo muliebri circumdatũ Dei Filium amplectere, ô anima dilecta, innecte manus tuas catenis hisce aureis, & manicis, constringe te illi amoris vinculis, ut neque mors, neque vita, neq; tribulatio, neqne angustia, neqne creatura alia te separet à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro, noli discipulorum timida sequi vestigia, qui omnes relicto eo fugerunt, sed ligatum comitare Sponsum tuum, ad Pontificum, & Iudicum tribunalia raptum, ac carceri inter immanissimas illusorum manus mancipatum.

Amor vincula ferrea, facit aurea.

Tristis nuncius de Arca capta.

Infelici cum Philistæis commisso prælio, ac cæsis duobus filiis Heli, Ophni, & Phinees, accelerato cursu funestus advenit nuncius, qui cladem summo Sacerdoti nunciavit; *Insuper & duo filij tui mortui sunt, & Arca Dei capta est.* Forti adhuc animo senex sustinuerat filiorum mortem, sed *cùm ille nominasset Arcam Dei, cecidit de sella retrorsum, & fractis cervicibus mortuus est.* Vix mitior fors contigerat Nurui eius, quæ quidem soceri & mariti auditâ morte doloribus partûs comprehensa, sui ampliùs compos non fuit, sibi tamen reddita, plus Arcæ Dei, quàm soceri & mariti jacturam deploravit: *Translata est gloria ab Israël, eò quòd capta esset Arca Dei.* 1. Reg. v. 18.

XI.

Nuncius S. Ioannes.

Venit quoque intempestâ nocte fugitivus Bethaniam in domũ Marthæ & Magdalenæ, (in qua cum afflicta sua familia morabatur Mater Iesu) nuncius, scilicet S. Ioannes Evangelista & Apostolus, cujus inexpectatus, & intempestus adventus omnibus statim simul congregatis malum fecit præsagium, & timore attonitas ac suspensas conterruit. Edicere igitur jussus, unde solus & tardè, contra morem advolaret, quid novi de Magistro ferret? ubi hærentem faucibus, & singultibus fractam resumpsit vocem, fugitivum se confessus, funesta, exclamans, & ingemiscens, exposuit nova, quòd *Arca Dei capta est*, quòd Iesus Nazarenus, ab hostibus captus, ligatus, & summis Sacerdotibus traditus sit. *Tunc* (ait S. Bonaventura) *indicibilis planctus, eiulatus & clamor factus est.* Et non immeritò: Nam Arca Dei capta est, & translata gloria ab Israël. *Intuere eam, & compatere, quia in afflictione permaxima, & dolore vehementissimo sunt, de dilecto Domino suo quia bene vident, & credũt, nunc ipsũ Dominũ morturũ.*

De Arca Christo, capto.

S. Bonav. Vit. Christi. c 75.

Cùm autem primus lacrymarum, & singultuum impetus parum temperatus acquievisset, Ioannes totam rei seriem ordine exposuit, qualiter Magister Excessum sui Amoris effundens, suósque in finem diligens, Corpus suum & Sanguinem ipsis in cibum, ac potum præbuerit, ac postea factâ ad ipsos longiori, de fraterna dilectione, exhortatione, in montem Oliveti secesserit, ibique post iteratam orationem, ac sanguineum sudorem, hostibus obviam procedens, & à Iuda discipulo traditus, dirissimè ligatus, per saxa, & ipsum torrentem Cedron raptatus, demum summis Sacerdotibus fuerit productus, ibique falsò accusatus, illusus, colaphis sævissimè cæsus, ac sputis ignominiosissimè fuerit dehonestatus; qualiter ad carcerem, noctem ibidem dolorosissimã inter lictorum alapas, & illusiones acturus, fuerit detrusus. Nec tacuit discipulorũ fugam, ipsiusq; Apostolorum Principis, timore insultantis ancillæ conterriti, trinam negationem. Suspensis ad hanc tragicam relationem animis, steterant paulisper lacrymarum torrentes, sed, finito sermone, majori singultuum impetu erumpentes.

Quanta tristitia?

Maximè dolorosa.

Inter omnes autem, maximè maternum cor Mariæ acutissimo doloris gladio vulneratum acerbiores ipsa morte angustias passum est, licet semper plenissima in Deum resignatione erectum.

Quare

Quare flexis, in loco separato, genibus, extensis ad cœlum manibus, & oculis, & fracta inter lachrymas voce, sic Patrem æternum interpellare cœpit. Ah Pater æterne, pijssime, & misericordissime, benignis, obsecro, respice oculis tuum, ac meum, inter hostium manus, captivum filium. Si possibile est, & sine sanguinis ejus effusione, ac dolorosa morte, humani generis redemptio fieri potest, rogo ut eum è manibus impiorum ereptum, mihi reddas; sin minùs, si alia ratione, aut modo, generis humani redemptio fieri non potest, vel debet, eum tibi offero in holocaustum pro salute mundi in ara crucis sacrificandum.

Offert Patri Filiũ pro salute mundi.

XII. Sunt, qui piè meditantur, afflictæ huic familiæ etiam supervenisse Petrum, qui animo trepido, & peractæ culpæ pudore confusus, in conspectum dolorosæ matris venire erubescebat, sed tamen resumpto animo, demum ædes, ac triclinium ingreditur, & vultu in terram demisso, & lachrymis rivi instar, ex bino oculorum fonte defluentibus, ad pedes Matris provolutus, dum linguâ non potest, triplici pectoris tunsione, trinã fatetur negationem inconsolabilis, quem Mater misericordiæ blandè consolata, bono animo, ac firmâ spe veniæ erectum & non dejectum desperatione esse iubet, cùm Filius nõ iustos, sed peccatores vocare venerit, sitiens lachrymas peccatorum, & esuriens gemitus pœnitentium. O quantam ex affectuosis Mariæ verbis consolationem, & indubitatam veniæ spem concepit Petrus!

Petrus ad pedes Matris recurrit.

O Juda infelix, & desperate, cur non cur non & tu cum pœnitente Petro ad pedes Matris misericordiæ, prosterneris, etiam eandem, licet indignus, advocatam experturus? Ad hanc currite, & recurrite peccatores, nec vos, per peccata quantumvis enormia, ad eam recurrendi jus perdidisse scitote. Audite magnum Virginis præconem B. Henricum Susonem: *Habet ius in Mariam non solùm iustus, sed multò magis peccator, ut quò magis se sentit pluribus peccatis irretitum, tantò iustius sibi videatur ad te accedere, & quantò est sceleratior, tantò maiore jure ad te properare se putet.*

Cur non & Juda?

Hen. Suso dial. p. 16 *Peccatores maximi ius habent ad Mariam.*

Noli ergo, o Anima peccatrix, desperare cum Juda de peccatis tuis, sed cum pœnitente Petro ad pedes Matris misericordiæ recurre, teque hodie afflictæ, in domo Bethaniæ, junge familiæ, apud illam insomnem ducito noctem, ac lachrymis pœnitentiæ, miscens compassionis lachrymas, manè progredere cum tristi societate Deiparæ ad spectandam cruentam Excessus, divini Amoris tragœdiam, si eris dolorosæ Matris in Passione, & Compassione socia, eris & in gaudio sempiterno, Amen.

EXCESSUS AMORIS DIVINI.

Thema.

Récordare paupertatis, & transgressionis meæ, absynthii, & fellis. *Thren. 3. 19.*

Dicebant excessum, quem completurus erat in Ierusalem. *Luc. 9. 31.*

Pars II.

Excessus Amoris, à Christo per reliquum sacratissimæ Passionis suæ decursum cõpletus.

I. *Theodora virgo,*

THeodora virgo optimo loco Alexandriæ nata (licet apud S. Ambrosium pro Alexandriâ Antiochia ponatur ex errore, ut putat Baronius, librariorum,) sic erat modesta, ac bene composita, ut nullum respicere virum sustineret, sed tam venustâ specie, ut à multis in matrimonium deposceretur, licet ipsa, voto jam perpetuæ virginitatis emisso, nullatenus ad consentiendum moveri posset, Quare impii lenones spe sua fraudati amorem in crudelem converterunt insaniam, delatâ apud idololatrum judicem Theodorâ, de fide Christiana, quam ut à proposito divertere ret, in publicum ablegavit lupanar. Theodora in tantis angustiis, ac periculis, omni humano subsidio destituta, Deum invocat adjutorem, ac flexis in terram genibus, altísque suspiriis, ac ardentibus lacrymis supplex precatur, ut se velut alteram Susannam è manibus impuris incõtaminatam eriperet. Inter hæc generosus, & aspectu venustus miles, (quem Didymum vocat Baronius,) ad Theodoram intrat, à cujus hæc aspectu, non secus ac casta columba à volatu famelici accipitris, perterrita contremuit, ad quam miles: Ne timeas, ô Theodora, non enim ad pudicitiæ decus tibi auferendum, sed conservandum adveni; miles equidem sum, sed non minùs Christianus, meum igitur amplectens sanum consilium, vestes mecum commuta, ego muliebribus indutus vestibus pro te captivus manebo, tu viri-

Baronii Martyrolog. 28. April.

Liberata à S. Didymo milite

mutatis vestibus.

virilibus vestita, fugam capesse. Paret consilio Theodora, quæ felici successu, & carcerem, & pudicitiæ periculum evadit. Detecto verò posthæc pio militis stratagemate, ira inflammatus Judex, è vestigio in militem è carcere ductum, gladio animadverti imperat. Ut ad aures Theodoræ hæc fama pervenit, ipsa mox ad forum, & supplicij locum festinato cursu properat, ac per frequentem populi turmam, ad ipsum lictorem penetrat, manibúsque illius prænensis, desine, inquit, in innocentem manus mittere, ecce me ream, judicis sententia, & gladio feriendam. Negat carnifex in sua esse potestate, sic, datam judicis sententiam, aut interpretari, aut exequi. Repulsam à carnifice passa, ad militem liberatorem suum, virgo conversa, ô serve Dei, ait, plus, quàm à te petieram, præstare mihi paratus es, non enim te vitæ, sed tantùm virginitatis meæ custodem delegi, periculo pudicitiæ expositæ, tuo indigebam præsidio, sed si de vita & sanguine fundendo agitur, ex meipsa sine te sum solvendo. Pudicitia, non timor martyrij mihi fugam persuasit, vestes muliebres quidem depo sui, desiderium verò martyrii non abieci, sed retinui; sine ergo, ut tuis insistam modò vestigijs, qui stetisti in meis, ut te, qui è manibus hominum impudicorum me eripuisti, morte liberem. Grates agit quidem generosus miles, pro charitate, ac conservatæ virginitatis fideli recognitione, cæterùm sententiæ judicis, ac sorti standum causatus, quam in se favorabiliter datam, è manibus elabi non pateretur. Dum ergo ita acriter uterque pro Martyrij palma decertat, arbiter carnifex, æquiùs statuendum ratus, ut ambo simul ex voto suo, & jure, Martyrij laurea potirentur, quàm alteruter ea invitus privaretur, ex præsumpta judicis sententia, utrique cervices abscindit, coronandas in cœlis.

Ad supplicium rapitur Didymus

Eius vestigijs insistere gestit Theodora.

Demum uterque decapitatus.

Excessum charitatis à Filio Dei in sacratissima sua Passione demonstratum, nobis præclarè exprimit S. Didymus martyr, cum enim humana natura læsæ divinæ majestatis rea, peccatorum catenis constricta, divinæ justitiæ pœnas datura, quasi captiva teneretur, ad eam liberandam ingressus Dei Filius ingenioso, & in audito amoris excessu, cum ea quasi vestes commutavit, *in similitudinem hominum factus, & habitu inventus, ut homo.* Philip. 2. v. 7. In habitu ergo humano, & in vestigiis reæ naturæ humanæ inventum Dei Filium apprehendit vindex divina justitia, ut qui habitum & fidejussionem humanæ naturæ assumpserat, etiam pro illa pœnas daret; rapitur ergo hodie à divina justitia ad sup-

Sic Christus nostrum assumpsit habitum.

Apprehensus à divina justitia.

plicium Dei Filius, infelici, pro culpa hominum, figendus arbori.

Et quid tu ad hæc, ô Theodora, ô dilecta anima? Nunquid non cum cœlesti sponsa, amoris excessu succensa, surgis & circuis civitatem per vicos, & plateas, quærens, quem diligit anima tua, ut in medias lictorum irrumpens cohortes, te spõsi tui, aut liberatricem facias, aut mortis consortem? Et siquidem neutra tibi sors contingat, saltem te lachrymabilem exhibe spectatricem excessus amoris divini, quem Dei Filius in cruenta Passionis suæ tragœdia complebit in Jerusalem. Sta ergo attenta, imò attonita ad tantum amoris excessum, ô anima, & cor amori, viscera compassioni, & oculos lachrymis parato, & exordior.

Huius ergo insiste vestigiis, ô Theodora, anima.

II. Summè, patiens Propheta, Dei erga homines dignationem in hoc miratur: *Et dignum duxit super hujuscemodi aperire oculos tuos, & adducere eum tecum in iudicium?* Quasi dicat: *Quod decus est dominis, in ius accersere servos?* Quis honor Principi aut Regi in propria persona processus criminales audire, decidere, & in maleficos & reos sententiam dicere, & executioni mandare? Non enim magnates judicia & tribunalia maleficiorum suâ digna præsentiâ æstimant, sed causas hasce criminales delegatis judicibus expediendas, & exequendas demandant. Et tamen rex regum Deus, dignũ ducit hominẽ, ut reum ante oculos suos constituat, causam illius criminalem, non Angelis aut alteri cuivis creaturæ dijudicandam cõmittat, sed ipsemet in judicio particulari pro tribunali sedeat, causam examinet, reum audiat, & sententiam ferat.

Iob. 14. 3.

Miratur Iob,

quòd Deus ipse hominem diiudicare dignatur.

O hominum patientissime! si tam vehementer miraris, quòd judex Deus in hominem reum oculos suos conjiciat, & aperiat, quid dicturus eras, si spiritu prophetico vidisses non tantùm divinam majestatem super homines peccatores oculos aperientem, sed ipsos homines divinæ majestati oculos claudentes, & velantes? *Et velaverunt eum, & percutiebant faciem eius.* *Hic Dei Filius ab hominibus*

Excessum dixissem inauditum, absq; dubio respondebit patiens Propheta. Et bene; nam etiam mellifluus Doctor excessum vocat: *Verè fuit excessus, cùm dedisti vellentibus genas tuas.* Sed qualis excessus? Excessus crudelitatis, & irreverentiæ apud perfidos Judæos & lictores, & excessus patientiæ apud mansuetissimum Dei Filium; Nolite me, ô mortales! posthac virum patientem nominare; en patientiæ magistrum, & virum patientissimum Dei Filiũ, qui irrisiones & sputa, & alapas, & percussiones, & oculorum velationem à propriis creaturis tam patienter sustinuit; cùm tu, ô homo peccator, dignus calcari, & in infer- S. Bernar. fer. 2. Paschæ. *irridetur. velatur.*

infernum detrudi, nec minimam verbi punctúram, aut verbum ignominiosum, nedum alapas, & oculorum velationem supportare sustineas. Ab isto Filii Dei excessu patientiæ, pati disce; verum quidem est, quod hęc ad magnum patientiæ excessum spectant, sed majorē sibi partem vendicat ipse Amoris excessus, nam, S. Aug. S. Auguſt. teste, *Amor majestati oculos claudit.*

Et iudicandus ad tribunalia trahitur.

Sed quid ad secundum dignationis genus replicas, ô Job? quòd nempe majestas divina non solùm dignetur judicis partes suscipere, & criminales hominum actiones discutere & judicare, sed ipse se, quasi reum & maleficum, ad iniqua judicum perversorum tribunalia trahi patiatur? si hunc patientiæ, & amoris excessum prævidisses, stylum tuum utique in alia convertisses verba, sic scripturus: *Dignum ducis propter huiusce modi velari oculos tuos, & adduci pro eo in iudicium, iudicari, & condemnari?*

III. Diversa Iudicum iudicia.

Diversæ quidem iniquorum judicum fuerunt mentes, & judicia, nam summi sacerdotes odio, & passionibus accensi, tanquam blasphemum, ac pacis perturbatorem, mediatorem hominum, ac æternam veritatem, judicârunt, & condemnârunt. Herodes tanquam fatuum, æternam deludens Sapientiam ad Pilatum remisit, quæ ob excessum amoris hominibus, quasi infatuata, apparebat. *Amor enim ratione caret, modū* P. Chryſol. ſerm. 147. *nescit*, ait Chrysologus: Pilatus autem sciens, quòd per invidiam tradidissent eum non ex odio, sed timore inordinato, & respectu politico iniquus, liberandi binos quidem excogitavit modos, sed vano successu. Nam imprimis cum Barrabba latrone insigni, & infami Judæis propositum Dei filium, quem è duobus sibi dimitti vellent, interrogat, non dubitans Barrabbæ anteponendum Jesum Nazaræum; sed inclamante populo, *Tolle hunc, tolle, crucifige, & dimitte nobis Barrabbam* & spe sua se Pilatus frustratū vidit, aliud liberandi medium, licet sævum nimis, attentavit: *Corripiam ergo illum, flagris, & ludibriis, & dimittam.* *Liberationem & latius attentatæ.*

Lictores igitur acceptâ à principibus sacerdotum, ut IESUM quàm sævissimè tractarent, pecuniâ, statim, ut de illo flagellando & corripiendo mandatum acceperunt, capillis arreptum ad columnam tanto impetu trahunt, ac trudunt, ut capite ac dentibus durè columnæ collisis, undique de capite sacratissimo, ac venerabili facie sanguis ubertim defluere, sicuti dolorosissima Mater B Brigittæ revelavit, desuper asserens, quòd tam fortiter genas ac collum ejus palmis, ac pugnis percusserint, ut ipsa omnes ictus distinctè auribus suis perceperit. Inde ex lictorum mandato ipse se vestimento suo exuit. Et *videbam* (ait rursus afflicta mater) *Filium meum astare ad columnam nudum*, *FLAGELLATIO.* Revelat. S. Brig l. 4. c. 70. Revel. l. 1 c. 25.

Nudus alligatur columnæ.

& nihil operimenti habentem. Obstupescite cœli, & compatimini Dei Filio, qui extendit nubes sicut pellem, qui terram floribus ac herbis, plantas foliis, volucres plumis, ac animalia suis vestit versicoloribus pellibus, ac pilis, nudus hîc coram impudenti lictorum astat cohorte, cui non melior superest spes, quàm quòd brevi proprii sanguinis purpurâ sit contegendus.

Vinculis charitatis.

Ligatur ergò dirissimè nudus ad columnam Dei Filius, sed qui funes & vincula hunc Samsonem insuperabilem vincire potuissent & tenere, nisi amoris excessu ipse fuisset constrictus? *Nullum vinculum* (ait Laurentius Justin.) *Filium Dei ad columnam tenere posset, si charitatis vinculum defuisset.*

Laurent. Justin.

IV.

Adesto itaque, ô Theodora, ô sponsa Deo dilecta, oculos tuos vanitati deditos in hoc cruento satians spectaculo: respice effusis lacrymis, tremente corde sævissimos lictores, tanquam lupos ferissimos, in mansuetissimum irruentes agnum Dei, quorum duo (teste S. Vincentio Ferer:) virgis spinosis, duo nodosis & & ferreis stimulis intextis funibus, & duo ferreis catenis, alternatis vicibus (ut respirantes resumptis viribus ictus validiùs vibrarent) tenerrimum Mariæ Filium flagellant. Ah! quis calamus hunc dolorem sufficienter describere, quæ lingua satis potest exprimere?

Virgis, flagellis, & catenis cæsus.

O Mater dolorosissima, ipsa tam cruentæ tragœdiæ spectatrix, hanc nobis enarrare flagellationis sævitiâ digneris, quæ non immerito jisdem pene Æneæ verbis replicare potest.

Ipsa dum renouare iubes, ô sponsa, dolorem!

Tamen ad Filii mei passionis memoriam, eiùsq; amoris excessû animo tuo profundius imprimendum, fideliter hanc sævam flagellationis scenâ tibi proponam. Ait ergo: *Ad primum ictum, ego quæ astabam, cecidi quasi mortua;* tamque teneræ complexionis fuisse Filium affirmavit, ut nullus eum ictus tam leviter posset attingere, quin è vestigio sanguis defluereret. Quàm copiosi ergo sanguinum rivi emanare visi sunt, cùm totis viribus lictores immanes tenerrimum corpus virgis, flagellis, & catenis verberarunt, à circumstantibus Judæis usque adeò ad sævissimè feriendum animati? Omnem autem immanitatem excedebat, quòd (juxta revelationem S. Birgittæ factam) ita lictores flagella ferreis stimulis intexta in carnem, verberum impetu, profundabant, ut non tantùm pellem à carne, sed etiam carnem ab ossibus avellerent; sic dolorosa Mater apud S. Brigittam attestatur: *Vidi corpus eius verberatum, & flagellatum usque ad costas, ita ut costæ eius viderentur.* Maximè autem ex S. Syndone, Alphonsus Palæotus

Revel. l. 1. c. 10. & l. 4. c. 70.

Quàm cruenta flagellatio.

Revel. l. 5. c. 10.

in

in hujus descriptione observat vulnus sævissimum supra renes Salvatoris, longitudinem palmi adæquans, itaque profundum, ac latum, ut manum immittere quis facilè potuisset. Pergit ulteriùs enarrare afflicta mater, quòd Filio sic cæso, ac flagellis lacerato (ita ut à planta pedum usque ad verticem non inveniretur in eo sanitas) ad columnam stante, unus demum militum, sive compassione, sive politico respectu motus accesserit, iniquum esse causatus, reum ad necem cædi, antequam mortis in eum esset dicta sententia, vincula abscidit, procidente semianimi Dei Filio in terram proprio sanguine tinctam. Inter hos excessivos sævissimæ flagellationis cruciatus nec vocem, nec clamorem nec ullum alteratæ mentis, aut impatientiæ signum edidit, sed solùm subinde alta traxit suspiria.

Usque ad ossa.

V. Revolve animo, ô sponsa Christi, quanta pretiosi sanguinis copia impiæ lictorum manus, flagella, funes, ipsique parietes, & pavimentum maximè, tincta fuerint, locum planè, ubi consistebat Agnus mansuetissimus, sanguine repletum, vidit ipsa Virgo sanctissima, ita ut ex distillante undique sanguine, & cruentis vestigijs gressus filij facilè agnosceret, ipsi deinde, faciem suam divinam vestimento suo tergenti, nec tantùm quidem lictores compatiebantur, ut se revestire commodè posset, sed calcando, percutiendo, capillis trahendo accelerationem urgebant.

Omnia repleta sanguine.

Obstupescite cœli, & portæ ejus desolamini vehementer! O Spiritus Angelici, qui ad glorioſam Regis vestri nativitatem jubilantes descendistis de cœlo, ad cruentum quoque hoc spectaculum descendite, miramini & videte excessum, excessum crudelitatis & immanitatis.

Apparet quidem in hac immani flagellatione excessus crudelitatis in lictoribus, sed non minùs excessus luxuriæ in lascivis hominibus, tu enim, ô anima lasciva, & impudica, flagella & catenas, flagellando Salvatori tuo, præparasti, tu obscœnis tuis verbis, desiderijs, & actibus ita crudeliter in Virginalem Christi sponsi tui carnem sæviisti: *supra dorsum meum fabricaverunt peccatores*, & quidem prolongaverunt iniquitatem suam. Aspice (ô peccatrix anima) tincta sanguine divino flagella, ecce strepitantes catenas! quid prolongare non cessas iniquitatem tuam? quid pergis super dolorem vulnerum addere innocenti Dei Filio? Nunquid satis fusum sanguinis? non à vobis denuò conculcandum, sed tanquam efficacissimam medicinam, & præsentissimum contra luxuriam remedium reverenter lambendum. *Iam secure bibite sanguinem* (hortatur Augustinus) *quem fudistis.*

Flagellatio excessus crudelitatis.

Et luxuria.

S. August. Psal. 45.

Verùm

Verùm quidem quòd sæva hæc flagellatio, excessus crudelitatis, & luxuriæ fuerit, sed non minùs, imò maximè fuit excessus amoris, nam immensus amor ex carne & venis Dei Filij tantos sanguinum ebullire fecit torrentes, usque ad deliquium: *O Iesu amor tuus, & iniquitas nostra, sic te imbecillem fecerunt*, (exclamat S. Bonaventura) *Maledicta sit tanta iniquitas, pro qua sic afflixerit.* Maledictus excessus luxuriæ, quæ tantum crudelitatis provocavit excessum. Sed benedictus Amoris excessus, quo peccatorum nostrorum fuit sanatus, & purgatus excessus.

Maximè autem amoris.

S. Bonav. Meditat. Christi. c. 76.

Defuncto Lazaro Christus amarè obitum amici sui defleverat, *Et lachrymatus est Jesus, dixerunt ergo Iudæi, ecce quomodo amabat eum?* Si ex paucis profusis lachrymarum guttulis tantũ Christi, in Lazarum, collegerunt affectum amoris, quantum nos (ex tam abundantibus profusis sanguinum rivis) colligimus fuisse Filij Dei erga genus humanum, amoris excessum? Sistе hîc ergo, ô Theodora, ô peccatrix anima, & non tam iniquitatum tuarum, quàm divini amoris excessum considera; si cor tuum non redamat, vivum mortuum est? si non compatitur, lapideum est, si non peccatorum dolore conteritur, adamantinum, & indomabile est.

Ioan. 11. v. 35.

Amor erga Lazarum colligitur ex lachrymarum guttis.

Quantus ex sanguinũ rivis?

VI. *Tunc milites præsidis suscipientes IESVM in prætorio, congregaverunt ad eum universam cohortem, & exuentes eum, chlamydem coccineam circumdederunt ei, plectentes coronam spineam, posuerunt super caput eius.* Milites enim audito, quòd Christus de affectato regno fuerit apud Præsidem delatus, ut Principum, Sacerdotum, & Seniorum populi efferatis animis pleniùs satisfacerent, nova martyrij inventione, quæ dolori simul & ignominiæ deserviret, plectebant coronam de spinis, sive juncis marinis, qui, teste Lyrano, tam longas, acutas, & duras habent spinas, ut etiam calceos penetrando, pedes offendere valeant. Exutum ergo vestibus Salvatorem, ac lacera induta purpura, lapidi marmoreo insidere faciunt, qui hodiéque Romæ ad S. Crucem asservatur. Capiti deinde sacratissimo coronam spineam pilei instar formatam fustibus furioso impetu, & violentia imprimunt, altè sensibiles capitis partes per forantem.

Matth. 27. v. 27. CORONATIO.

Considera, ô anima, quàm intensum debuit fuisse hic coronæ spineæ tormentum, si enim pedi, aut digito tuo vel levis inhæreat spina, sanguine aut putredine suffusa, quàm angeris? quàm torqueris? quomodo eruendæ spinæ, & mitigando dolori omnia adhibes media? Quartum ergo dolorem benignissimo Salvatori hæc spinea causavit corona,

Quàm fuerit dolorosa?

na, dum spinarum aliquæ sacratissimum caput usq; ad cranium penetrarunt, aliæ ad ipsam cranii duritiē collisæ vel ruptæ sunt, vel inflexæ ex inferiori capitis parte carnē perfoderunt, & sic infinitis puncturis vulneratum caput, tantis æstuabat doloribus, ut non vereatur S. Laurentius Justinianus asserere, impossibile fuisse, ut Dei Filius tantos sustinere potuisset dolores, nisi illi vita, supernaturali virtute, ad reliquum passionis decursum fuisset conservata, quos insuper dolores sævi lictores iteratis baculorum ictibus, & impressionbus duplicarunt. Asseverat etiam apud S. Brigittam beatissima Virgo, coronam spineam durissimè capiti Filij impressam, ad medium usque frontis pertigisse, tam copiosè exundantibus plurimis sanguinum rivis, ut totam omnino faciem, barbam, capillos, oculos, aures que inundarent, atque replerent. Taceo blasphemas cohortis illusiones, cujus aliqui Dei Filium trahebant naso, alij vellebant barbam, alij cædebant in faciem, alij flexo poplite conspuebant, ac illudendō Regē Judæorum salutabant. Et tu ô Theodora, ô anima Deo devota, sed sinceriori affectu & reverentia, saluta, in genua provoluta, sponsum tuum sanguinum, inter spinas roseo liquore perfusum exclama cum Doctore mellifluo. *Iesu Rosa rubens, & ardens! Rubens sanguine passionis, ardens igne charitatis!* Ardens enim charitatis excessus regale Salvatoris caput, velut Rosam, spinis circumsepivit.

l. 4. Revelat. c. 70.

Iesus Rosa rubens sanguine.

S. Bernar. de Pass. Dom. c. 33.

Ardens charitatis.

VII. *ECCE HOMO.*

Finito hoc doloroso Coronationis intermedio milites Jesum Pilato sistunt, qui miratus cruentum viri dolorum spectaculum, eum in loco eminenti productum populo exhibet inspiciendum: clara voce exclamans: *Ecce Homo.* Quasi diceret: Ecce, quem Regem vestrum futurum timebatis, tam miserè coronatum, ac purpuratum, ut vix hominis, nedum Regis speciem referat.

Accurre & tu ô Theodora, ô sponsa Christi, cum afflicta & dolorosa Matre, & miserandam ejus contemplare formam, considera speciosum præ filijs hominum, cui non est amplius neque species, neque decor.

Amnon ex amore infirmatus.

Adamaverat Amnon, Davidis primogenitus, ardentissimè Thamar sororem suam, ipso amoris ardore, non languidus tantùm, sed & infirmus, quem Jonadab intimus eius amicus confidenter interrogat: *Quare sic attenuaris macie filii regis?* cui ille: *Thamar amo.* Excessivus in Thamar, sororem meam, amor sic me extenuavit.

2. Reg. 13. v. 4.

O Mater afflictissima, Ecce Homo, ecce Filius sic macie attenuatus, ut ex ipsis vulneribus ossa appareant, & vix hominis amplius speciem referat, stat attonita

tonita dolorosa Mater cum afflicto suo sodalitio, &, cùm non potest lingua, saltem Filium alloquitur affectu: *Quare sic attenuaris macie, Fili mi, & Fili Regis æterni?* Quid aliud respondere Filius potest, nisi Thamaramo, hominem amo, Excessus amoris me ita deformem fecit, & macilentum. *Ecce Homo*, ô Theodora, ô anima Christiana, Dei Filium ex amoris excessu ita pro te attenuatũ macie, quid ergo amare differs? *Aquam amoris tui fluentem in cloacam, converte ad hortum,* & ad Florem campi, Rosamque ardentem non tam spinis circumseptam, quàm sanguine tinctam.

Sic Dei Filius.

S. August. in Ps. 31.

Sed & vos invidi Judæi, currite ad hoc spectaculum: *Ecce Homo!* tam miserè flagellatus, & ignominiosè coronatus, ut impossibile ducat Pilatus, quin populus Iudæorum ad compassionem motus, eum dimittendum sit rogaturus, abundè tam insolita ejus correptione satiatus. Sed hæc formidanda, & miseranda hominis species, non compassionem, sed magis furorem, ac odium in populo indurato accendit, ut eum, tanquam abjectionem plebis, & opprobrium hominum ex oculis & hominibus tollendum, & in crucem sustollendum clamaret: *Tolle, tolle, Crucifige, crucifige eum.*

Clamat contra eum populus.

O insensate popule: Ecce Homo, quem spiritu videre Pater tuus Abraham in tantum desideravit: Et quidem vidit, & gavisus est. Hic ille, quem multi Patriarchæ & Prophetæ videre optabant (quem vos videtis modò) & non viderunt: Ecce Homo! Ecce Deus! Ecce Messias vester tamdiu desideratus! sed obstinatus, & furore obcæcatus populus constanter inclamat: Tolle, tolle, crucifige. Populе meus, quid feci tibi, aut in quo contristavi te? Responde mihi. Nunquid ægros curavi? cæcos illuminavi? leprosos mundavi? claudos sanavi? mortuos resuscitavi? veritatem, ac regnum cœlorum tibi annuntiavi? Populе meus, quid ergo feci tibi, aut in quo contristavi te? Responde mihi. Sed aliud non obtinet responsum, nisi, Tolle, Crucifige.

IX. *Sic & invidi.*

Quid sentis, ô Anima, de populo isto? quid dicis ad efferatum populi clamorem? non est, quod dicam, nisi quod in populo hoc indurato admirer excessum ingratitudinis, excessũ obstinationis, excessum iræ, odii, rancoris, & invidiæ. Bene sentis, ô anima, quod excessum rancoris, & invidiæ inesse dicis populo clamanti: Tolle, crucifige; sed hũc solumodo clamâsse populum æstimas? Et tu ô anima invida, & tu, ô Christiane iracunde, qui proximo tuo, qui membru Christi est, dorsum & non faciem ostendis, cõtra Christum clamas, Tolle, tolle, crucifige. Et tu ergo, Fili Dei altissime, te ab invidis

Clamant, crucifige.

vidis hisce & mordacibus Christianis averte, ostende eis nõ faciem sed dorsum, qui nec in hoc sacratissimo Passiõis tẽpore rancorem & invidiam deponunt, aut licet se deponere simulent, citò acerbiùs eam exercere publicè, non erubescunt, his ergo dorsũ ostende, quia digni non sunt faciem tuam respicere, qui in proximo suo imaginem tuam nolunt diligere, sed te rursus in fratre suo quærunt crucifigere, & si nõ linguâ, saltem in amaro cordis rancore clamant, Tolle, tolle crucifige.

Sed subsiste in dandâ cõtra innocentem Salvatorem sententiâ Pilate, noli condemnare eum ad invidorum horum hominum clamorem & instantiam, ad tribunal divinum Æterni Patris appello. O Pater cœlestis: *Ecce Homo!* Ecce Filius tuus tibi coæternus, qui in similitudinẽ hominum factus, & habitu inventus ut homo, tam crudeliter ab hominibus tractatur, conspuitur, flagellatur, & ad mortem turpissimã nefandæ Crucis deposcitur, eripe illum è manibus invidorum hominum, & iniqui judicis. Prosternitur ad thronum divinæ majestatis totus cœlitum exercitus, vitam & misericordiam Filio impertiendam supplicans. Sed procedit minax evaginato gladio Justitia, iniquũ esse contestans, ut servo perfido, iniquo misericordia concedatur, & venia, sine Filii Dei, (qui pro homine fidejussit) sanguinis effusione, nec prius se placandam protestatur. Nam, *Homo mortis debitor fuit,* (ait S. Bonaventura) *mori ergo debuit, qui pro homine satisfacere voluit.* Inebriabo sagittas meas sanguine, & gladius meus devorabit carnes, & quidem Filii Dei.

Appellatur ad Patrem

Justitia seponit

S. Bonav. serm. 2. Dom. 2. Adv. ex Bernard.

X.

Forte quidem est, ut fatear, divinæ justitiæ argumentum, sed tamen rigorem Justitiæ teneritudine paterni affectûs, & clementiæ temperari oportet, neque Patrem in condemnando Unico judicem, sed advocatum esse decet. Sic refert Titus Livius de patre Horatio, nam cùm, summâ victoriæ (Romanos inter & Albanos) trium Horatiorum, & Curiatiorum pugnæ commissâ, his omnibus cæsis, unicus restaret victor Horatius, ac triumphali more ante exercitum procedens, portánsque trucidati Curiatii paludamentũ, urbem ingrederetur, obviam habuit sororem, quæ cruentum paludamentum, quod ipsa fecerat, contuita, solvit crines, & flebiliter nomine sponsum mortuum appellavit, hanc nudato transfodit gladio, sic eam affatus: *Abi hinc cum immaturo amore ad sponsum, oblita fratrum mortuorum; sic eat, quæcunq; Romana lugebit hostem.*

Titus Livius dec. 1. l. 1. *Horatius filius occidit sororem.*

Atrox id facinus juvenis victoriâ elati visum est Patribus Conscriptis, ac proinde causa dijudicanda Triumviris tradita; à qui-

quibus, si in causa perduellionis ad populum vano successu provocari contigerat, lex dictabat: *Caput obnubito, infelici arbori reste suspendito, verberato vel intra pomærium, vel extra.* Iam unus duûmvirum sententiam dixerat: *Horati, tibi perduellionem iudico, I lictor colliga manus, &c.* Mox pater unico privandus filio, ad populum exclamat: *Provoco.* Et sic appellans ad populum hæc illi penetrantia verba considerandaproponit: *I, lictor, colliga manus, quæ paulò ante armatæ imperium populo Romano peperérunt. I, caput obnubila, liberatoris urbis hujus. Infelici arbori suspende, modò decoratum, ovanteinq; victoriâ. &c... Non tulit populus, nec patris lacrymas,* ait Livius, *nec ipsius parem in omni periculo animum, absolvérúntque admiratione magis virtutis, quàm iure causæ.*

Provocante Patre,

absolutus à populo.

O pater, Ecce Homo, ecce Filius tuus! cui perduellionem jam judicavit iniquus populus. Tolle, Crucifige. Eripe eum è manibus iniqui populi, & judicis injusti, absolve tu eum, & admiratione virtutis, & jure causæ. Sed ipse Pater non mitiorem pro Filio dat sententiam, sed contra ipsum pronuntiat. *Tibi mortem iudico, Iesu Nazarene, Fili mi. I lictor manus colliga, verberato, infelici arbore suspendito, Tolle, tolle, Crucifige.*

IESVM cõdemnat ipse Pater.

X. *Ob excessum amoris.*

O Pater æterne, quid enim Filius tuus mali fecit? cujus excessus reum ipsum judicas? Excessus amoris. Quia hominem amavit: Quj cùm in forma Dei esset, in similitudinem hominum factus ex amoris excessu, se humanæ naturæ desponsavit, & pro illa fidejussit, qui ergo pro homine, qui mori debuit, fidejussit, aut mori debet, aut amori, & fidejussioni renuntiare.

Ecce innocentissime Fili Dei, mors & vita in manu tua est; tuo jam stabitur arbitrio. Quid ergo decernis, vitam relinquere, aut amorem? Quid eligis, vivere & non amare? vel amare & mori? Ah! Pater cœlestis, quomodo vivere possum, si non amem? vita mea, amor meus est; mors, non amare. Hominem amo, & antequam ejus amori renuntiare velim, vitæ renuntiabo. O excessum amoris!

Videtur itaque respondisse Patri Christus in ea verba, quæ devotus Abbas Popo (alii Odilonem vocant,) Religiosis suis de larga & indiscreta nimis danda eleemosyna (ne damnationis periculum incurreret) ipsum dehortantibus replicavit. *Si damnari debeo, propter nimiam charitatem damnari volo.* Sic respondere videtur Dei Filius: Ob nimiam charitatem, ob excessum amoris damnari volo. Hominem enim amo, & excessivè amo. Et ob excessum amoris mori eligo. *I*, ergo, *lictor, manus colliga, verberato me, infelici arbori me suspendito, Tolle, tolle, crucifige.*

Odilonis vel Poponis charitas.

Christus ex amore mortem eligit.

Hac

Hac itaque Filii factâ declaratione definitivam æternus Pater dat sententiam; Ego, qui sum, principium sine principio, ab æterno Deus, Rex regum, & Dominus dominantium, cœli & terræ Creator, Jesum Nazarenum, Filium meum unicum & dilectissimum, Verbum meum æternum, &, secundùm carnem, Filium Mariæ Virginis, in quo semper complacui, ad infame crucis supplicium & mortem cõdemno, propter nimiam charitatem, & ob excessum amoris, quo hominem amavit, ejus naturam assumpsit, & pro eo fidejussit. *I lictor, manus colliga, verberato, caput obnubito, infelici arbori suspendito; Tolle, tolle, crucifige eum.*

Sententiã nuntiat Pater.

Subscribunt Angeli.

Subscribit sententiæ tota cælestis angelorum curia, si aliter fieri nequeat, ut sedes nostræ redintegrétur, nisi morte Filii Dei, *I lictor, manus colliga, &c. tolle, crucifige.* Assentitur captiva in limbo Patrum turba, si aliter nos liberationem, cœlíque reclusionem, nisi per sanguinem Filii Dei sperare non possumus, *I lictor, manus colliga, infelici arbori suspendito, tolle, crucifige.* Confirmat idem ex Officio pontificatûs prophetans summus Sacerdos: *Melius est, ut unus moriatur pro populo, quàm tota gens pereat. I, lictor, tolle, crucifige.*

Consentiunt Patres in limbo.

Confirmat Synagoga.

XII. Unicum adhuc deest votum, ipsius scilicet afflictæ Matris: Quid tu, ô amaritudine repleta Mater, ad istam, communibus votis latam dicis sententiam? O Pater cœlestis! si possibile est, redemptionem humani generis sine Filii mei morte consummari, eum mihi dona, parce, parce, innocenti sanguini, & dimitte; si verò sine hoc fieri nec potest, nec debet mundi redemptio, eum tibi offero in holocaustum, non attentis excessivis ejus, & meis doloribus. Et ita scias me ardenter animarum salutem desiderare, ut si aliter hæc nequiret fieri, ipsum ego Filium, ad exemplum Patris nostri Abraham sacrificare in holocaustum parata forem. Ut ergo mundi redemptio non retardetur, *I lictor, manus colliga, infelici arbori suspendito, tolle, tolle, crucifige.*

Assentitur Mater.

Subscribit Christus.

Subscribit latam in se unanimi voto sententiam Filius, (ne frustra calamum dextrâ ferre videatur) proprio sanguine. Ego JESUS Nazarenus, Filius Dei secundùm divinitatem, Filius Virginis secundùm carnem; hanc in me latam mortis sententiam, volens accepto, & confirmo, eligens, ob nimiam charitatem, & amoris excessum erga homines, mori. *I lictor, manus colliga, infelici arbori me suspendito, tolle, tolle crucifige.*

Sic demùm divina Justitia fractâ spe vitæ, latam & confirmatam in cœlo sententiam, etiam

à terreno Judice promulgandam, & exequendam mandat.

Sententia Pilati. Formulam sententiæ à Pilato prolatæ, aliqui hanc fuisse asserunt: Ego Pontius Pilatus, Tyberii Cæsaris Romani in Judæa Præses, JESUM Nazaræum hominem malevolum, populi seductorem, qui seipsum regem ac Deum fecit, ad mortem condemno, ut bajulans sibi crucem infami ligno figatur. *I, lictor, manus colliga, infelici arbori suspendito.*

Vix hanc prolatam sententiam Præses funestâ tubâ promulgari fecerat, cùm Principes sacerdotum, & seniores populi, Justitiam Præsidis deprædicantes, qui Iesum tradiderat voluntati eorum, mox eam exequendam urgent.

XIII. *BAIVLATIO.* Revestiti itaque propriis vestibus Salvatoris mansuetissimi humeris feralis trabs injicitur, ac per prætorii scalas partim detrahitur, partim dejicitur. Præcedebant tibicines, qui per primarias urbis plateas, exequendam judicis sententiam, & suspendendi inter duos latrones Filii Dei supplicium proclamabant, sequebantur signa & vexilla Romanæ cohortis militaria, quæ in aëre volantia mortem vitæ Auctori annuntiabant, pars cohortis prætoriæ equo, pars pedes armata manu maleficos partim præibat, partim sequebatur. ipse mundi Redemptor gravi Crucis mole onustus inter quatuor (lumbos ligatus catenâ) carnifices incedebat, post quem duo latrones manibus post terga revinctis ducebantur. Demum cum magna populi multitudine etiam ipsi seniores & principes sacerdotum conscensis equis agmen claudebant, invidos oculos in hoc cruento spectaculo satiaturi. Et siquidem ex me, (devota anima) quæsieris, quisnam sit solemnis iste incessus, & proceſſio, aliud respondere nescio, nisi quod dicam, hunc esse pomposum Amoris triumphum, sicut enim olim Romani Imperatores decreto sibi triumpho, urbem ingressuri, devinctos Reges, captivos ac victos triumphali currui jungebant, sic hodie Amor divinus de Filio Dei triumphans, cum eo (ad Crucis triumphalem currū, juncto ac victo) ad montem Calvariæ, tanquam novum militantis Ecclesiæ Capitolium ascendit, nec erubescit fateri se victum cæli Monarcha,

Quem Amor in Dei Filiū victorinstituit.

De me solus Amor potuit portare triumphum.

Triumphalis pompa.

Baiulatio quam dolorosa. Dolorosa valde Dei Filio hæc erat Crucis bajulatio ex multis capitibus, quia imprimis gravis erat ipsa Crucis moles, quindecim pedes longæ, ac decem latæ: hæc humeris, ac dorso flagris lacerato imposita, altè vulneribus imprimebatur, quæ tanta mole renovata, ac dilatata uberem stillabant sanguinem. Erat quoque totum corpus vigiliis, jeju-

niis,

niis, ac doloribus exhaustum, & tanto oneri portando insufficiens, præsertim cum funibus & catenis, hinc inde à lictoribus traheretur.

Unde communi consensu docent contemplativi, sæpiùs sub Crucis mole durissimè lapsum esse Salvatorem, quod nunquam sine acutissimis doloribus poterat contingere, nam Crucis moles corpori vulnerato incumbens, tanquam torcular tenerrimum botrum Cypri premebat, sed maximè spinea corona gravi Crucis contactu sacratissimo Capiti impressa inexplicabilem causabat dolorem; accedit, quòd vulnerati, & ad lapides collisi pedes vix corpori, nedum crucis oneri ferendo pares erant, & ipsa sacrata facies ad saxa collisa, ita intumuerat, ut non ampliùs (tumore, livore, ac sanguine plena) antiquam sui speciem referret.

Cadit Christus sub Cruce.

XIV. *Maria sequitur.*

Sequebatur Filium etiam benedicta Mater, cruentis ejus insistens vestigiis, & quoniam ob comprimentem turbam non Filij desideratam faciem, sed tantùm vacillantia crucis brachia videre & ictus, clamoresque lictorum audire poterat, idcirco cum dilecto Ioanne, ac tristi sua Societate quendam plateæ angulum, quà Christus erat transiturus, præoccupavit, uti S. Bonaventura piè meditatur. Hîc primos sibi obvios habuit satellites, qui malleos portabant; & clavos &c. Et quoniam hi ex ipsa planctus amaritudine collegerant, matrem eam esse malefici, ex industria & malleos, & clavos concutiendo, ac collidendo exhibebant afflictæ matri, his (inquientes) clavis, infelix mulier, hodie filius tuus maleficus infami cruci figetur. O cor maternum, quàm tunc amara doloris sentiebas vulnera!

Amplectitur Filiũ.

Appropinquante autem ipso dilecto Filio, lictorum manipulum penetrans Mater amplectitur filium, & quantum sua lachrymis & singultibus fracta, voce exprimere poterat, dicebat. *Iesu fili mi, Fili mi Iesu, quis mihi det, ut moriar pro te!* Duo hæc amaritudine repleta, ac amore conglutinata corda ociùs divellebant feri lictores, ut cum gravi crucis onere in unam filius, & mater in alteram laberetur partem semianimis. O ministrantes cœlestis curiæ spiritus, advolate, & Regem vestrum satellitum manibus percussum, calcatum pedibus, tractum capillis ac funibus, erigite, ac cœlesti confortativo semianimem recreate Matrem. Promptos se utique Angeli pacis, amarè flentes exhibuissent, nisi à divina justitia fuissent prohibiti.

Repellitur à lictoribus.

Sic gravi crucis mole defatigatum, ac viribus exhaustum erat Christi corpus tenerrimum, ut vel ipsorum apparitorum judicio, tanto oneri, ferendo par

non

non esset, unde *angariaverunt prætereuntem quendam Simonem Cyrenæum, crucem portare post Iesum.* Ubi es, ô Theodora, ô sponsa Christi, qui sub crucis mole succumbentem deseris sponsum, an nescis hoc tui esse officij, te sociam in ferenda cruce jungere sponso tuo? Erubesce pigritiam, ac tepiditatem tuam, quæ amoris ardore destituta, vel minimã tribulationis ac mortificatiõis crucẽ post Christũ portare gravaris, nec sub sua gementem, & succumbentem vel cogitas, vel juvas, cùm tamen ille pro tua salute indefessè desudans vivacem, inter tot tormentorum genera, memoriam tui habeat, hoc unum à te exoptans, ut si portandæ post eum crucis animum non habeas, saltem sui memoriam non perdas.

O anima, Crucem porta post IESVM.

XV. *Facies Veronica.*

Solent Amantes, ad conservandam inter se invicem memoriam, vivacem sui tradere imaginem, seu effigiem, cujus aspectu & memoria & affectus continuò excitetur, idem tibi præstitit cœlestis sponsus, ô anima dilecta, nam domum devotæ cujusdam viduæ præteriens cum cruce Christus linteo seu sudario ad detergenda sputa & sanguinem sibi ab ea porrecto, perfectam sacratissimæ suæ faciei impressit effigiem, hanc ergo à cœlesti sponso morituro accipe memorialis thesseram, & mirare in Filio Dei erga te excessum amoris: Quid est homo, quòd (etiam inter summos dolorum excessus) memor es ejus? At nunquam hæc lamentabilis effigies ab oculis, & à mẽnte tua recedat.

Sequere, ô sponsa, & insiste sanguineis modò sponsi vestigijs, ipsum Calvariæ montem ascendentis, qui vulneribus, laboribus, ac doloribus confectus penè gradum ampliùs movere non valebat, unde, satellites nunc impetuosè impellendo, nunc funibus sursum trahendo eum ad supplicij locum pertraxerunt, ubi Dei Filius in faciem procidens omnia crucifixionis instrumenta contuitus ingemiscebat. Exinde lictores avulsa è capite corona spinea, etiam ipsam de corpore tunicam vulneribus jam cum sanguine conglutinatam, simulq; cum tunica pellem cruentam detrahunt, renovato rursus vulnerum dolore, ex quibus abundans promanabat sanguis, postea in genua super crucem procidens, seipsum Patri pro totius mundi peccatis offerebat sacrificium. *CRVCIFIXIO.*

Et crucifixerunt eum. Inhorruerunt quasi manus & calami Evangelistarum in describendo crucifixionis tremendo spectaculo, ut mente suspensi ac attoniti, plura exprimere non potuerint. Ipsum verò crucifixionis modum, sic ipsa dolorosa Mater apud S. Birgittam describit. Quòd lictores cruce in foramine petræ

petræ erecta, & consolidata, aliquod ex asseribus erectum theatrum cum mansuetissimo Agno conscenderint, hîc Dei Filius sponte in sacrificiũ se offerens, mox manum dexteram affigendam extendit, tui sævi lictores clavum infigendo vehementissimis malleorum ictibus, ubi os maximè robustum est, manum affigunt. *Ego* (ait benedicta Mater) *ad primum ictum conturbata, cecidi quasi mortua, oculis obscuratis, manibus trementibus, pedibus nutantibus, & non respexi præ amaritudine, antequam ex toto affixus erat.* Revel l. 1. c. 10.

Crucifixionis dolores. Ineffabilis fuit iste crucifixionis dolor, quem aggravare omni industria efferati lictores studuerunt, dum clavos non acutos, sed obtusos adhibuerunt, qui magna violentia os penetrantes, simul carnem & nervos in foramen trahebant. Quantum autem hæc dolorem causauerint benedicto Salvatori, vel ex hoc colligere licet, quòd ita nervi sint sensibiles, ut nunquam sine magno dolore, levi, ac subtili tela, aut penna contingi valeant, quàm intensum igitur, & ineffabilem dolorem grossi, duri, & asperi clavi in nervis ac arteriis violenter contractis, & in foramen, trahendo, affixo benignissimo Salvatori pepererunt? Addit S. Birgitta, foraminibus longè nimis inter se distantibus, ita lictores membra, ac brachia Filij Dei trahendo extendisse, ut etiam venæ, & nervi rumperentur, imò ipsas etiam juncturas ab invicem sejunctas fuisse affirmat devotus noster P. Matthias Bellintanus, ut facilè afflicta Mater crepitantes juncturas audire posset.

Affixio manuum.

XVI. *Affixio pedum.* Affixis manibus asseres pedibus subtraxerunt, & toto pondere corpus subito motu depressum, de novo ruptis juncturis, ac manuum vulneribus dilatatis, & tanquam ex duabus fontium venis profluente per totum corpus sanguine. Demum extentos rursus ad foramina pedes, eadem ferocia & crudelitate affigunt, non desunt, qui triginta sex omnino mallei ictibus cruci affixos fuisse sacratos pedes scribant. Quoniam autem violenta tractione omnes pene juncturæ corporis suo loco motæ, ac vulnera dispersa in unum quasi vulnus continuum, rupta cute, coaluerunt, benignissimus Salvator, non ampliùs humani corporis, sed cruentæ, & excoriatæ in macello pendentis, carnis speciem referebat, ad compassionem nos per Jeremiam excitans: *O vos omnes, qui transitis, attendite, & videte, si est dolor, sicut dolor meus.* Excessus enim fuit dolorum. Land-sperg. hom. 41. de Pass. Domini. Thren. 1. v. 12.

Ignominia certat cum dolore. Sed cum excessu dolorum, certat excessus ignominiæ; hinc sponsum alloquitur Doctor Seraphicus: *Adhuc intuere sponsi tui ignominiam* (inter latrones pendentis) *qui aëri deputatus est, & inter cœlum & terram suspensus, ac si*

Cum utroque amor. S. Bonav. de effect. Vitæ c. 6.

non esset dignus mori in terra, aut vivere. ô digna indignatio, & iniuria! Domino orbis, totus negatus est orbi, vilius in mundo nihil æstimatum est Domino mundi! Sed ignominiæ excessum adhuc superat Excessus Amoris, quo animante, ac stimulante tantos dolores, & ignominias pati voluit Dei Filius: Egregiè S. Th. de Villan: *Dilexisti me Domine supra modum, dilexisti me sine modo, & qui omnia in numero, pondere & mensura fecisti, in diligendo me, modum, pondus, & mensuram excessisti.*

Amor sine pondere numero, & mensura.

S. Thoma de Villanova Dom. 2. Advent.

Ad hunc amoris excessum cõtemplandum invitat nos D. Seraphicus, quasi Præco Excessûs amoris divini. *Currite gentes undiq, & miramini erga vos charitatem Dei,* quæ ipsum Deum triumphans, triumphalem hodie Arcum in monte Calvariæ erexit. *Tetendit arcum suum, & posuit me quasi signum ad sagittam.* Tetendit arcum, *id est Crucem*, glossatur Hug. Card. Et posuit me, *Deus Pater, dicit Christus*, quasi signum ad sagittam, vel aliter potest exponi, ut Arcus extensus & curvatus sit ipse Christus in Cruce extensus & curvatus, ut Idem notat Expositor, & posuit me *Dominus Ecclesiam, vel animam fidelem*, quasi signum ad sagittam, *Vt sagittis amoris ex hoc arcu emissis vulneraret eam.* O anima, tam acutæ & igneæ, sunt hæ amoris sagittæ, & tam fortiter tensus arcus, ut si cor tuum penetrare non valeant, durius id esse saxo fatearis.

Crux Arcus triumphalis. Thr. 3. v. 12.

Hugo hic *Vel Arcus est Crucifixus.*

Signum, anima, vel cor peccatoris Sagitta, amor.

Præterea arcus iste non tam ad vuleranda corda, quàm pacificanda in nubibus est positus: *Ponam arcum meum in nubibus, & erit signum fœderis inter me, & inter terram.* Arcus iste, Christus est, ait Hugo, quem posuit Deus in nubibus, inter cœlum & terram, ut esset renovator pacis ac fœderis, ac mediator inter Deum & hominem. XVII. Gen. 9. 13

Narrat Titus Livius, à Carthaginensibus olim Romam propetenda pace missam fuisse legationem, licet vano successu, cùm minùs, quàm par erat, dignitatis in legatione esset, quapropter trajectis in Aphricam copiis Scipio bellum Carthaginense prosecutus est, cui cum exercitu obviam quidem processit Hannibal famosissimus, ac nobilissimus Carthaginensium Dux, cæterùm se Romanorum potentiæ imparem suspicatus, ad singulare colloquium provocato Scipioni, pacem hisce efflagitavit verbis. *Vestri Patres, quia parum dignitatis in legatione erat, negaverunt pacem: Hannibal peto pacem.* Nec jam conquerendi vobis causa & occasio, quòd parum dignitatis in legatione sit, cùm ipse ego, nobilissimus Carthaginensiu eques pro pace rogem.

T. Livius dec. 3. l. 19

Hannibal ipse à Romanis pacem petit.

Moverat omnipotenti Deo bellum, rebelle humanum genus: *Peccatores intenderunt Arcum, paraverunt sagittas suas in pharetra:* verùm cum potenti Divinæ Majesta-

Isa. 61. v. 2

Christus à Patre pro peccatoribus.

statis brachio vires suas longè inferiores, damno suo experirétur, rogantes ea, quæ pacis sunt, multos ablegaverunt Patriarchas, & Prophetas, pacis internuncios, sed vano semper effectu, *quia parum dignitatis in legatione erat.* Divinæ itaque justitiæ vindicta in genus humanum acriter desæviente, ipse hodie Dei Filius terram inter, & cœlum fatali ligno suspensus pro peccatoribus à Patre pacem deprecatur. *Pater, dimitte illis, quia nesciunt, quid faciunt.* Commendat planè charitatem suam, Dei Filius in nobis, quòd non solum pro nobis passus, sed etiam pro crucifixoribus suis, imò peccatoribus omnibus, licet inimicis suis, deprecator, ac pacis internuncius factus est: *Pater dimitte illis.* O magnum charitatis excessum!

Neque hunc pacis mediatorem recusare Pater cœlestis potuit, eò quòd parum in legatione esset; Ego Hannibal, ego verus Dei Filius, Verbum Patris, Deus de Deo, lumen de lumine, Deus verus de Deo vero, Ego Iesus Nazarenus, peto pacem: Pater dimitte illis. Non potuit tam nobilem, tam ardentem, tam vulneratum, cum clamore valido & lachrymis clamantem oratorem rejicere Pater cœlestis: Et *exauditus est pro sua reverentia.*

XVIII. *A peccatoribus.* Non autem solùm à Patre, sed etiam ab ipsis peccatoribus, inimicis suis, pacem petere constituit Dei Filius, crucifixus, tam graviter ab illis offensus. Ablegaverat quidem ad eos in Testamento veteri Prophetas, & sapientes & scribas, sed ex illis flagellarunt, & occiderunt, & nullum ex eis non persecuti sunt, *quia parum dignitatis in legatione erat.* Sed hodie ipse Dei Filius pacem petit: Hannibal peto pacem: Ego Iesus Nazarenus, verus Dei Filius secundùm divinitatem, Filius Virginis purissimæ ex stirpe regia Davidis, secundùm humanitatem; sed parum Dei Filius apud exacerbatum populum suum, & Synagogam Iudaicam effecit, quæ hodieque à Filio Dei persequendo, & debellando non desistit. *A populo Iudaico.*

Cùm ergo frustra pacem à populo suo petierit, ad Ecclesiam ex gentibus convertitur, & à nobis Christianis in admirabile lumen suum vocatis pacem petit, in quem finem Apostolos, & Prædicatores Legatos misit: *Posuit in nobis verbum reconciliationis. Pro Christo ergo legatione fungimur, tanquã Deo exhortante per nos; obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo.* *A Christianis.* 2. Corint. 5. v. 19.

Sed per totum annum in Confessionalibus & Cathedris, clamantibus; & pacem à peccatoribus pro Christo deprecantibus Concionatoribus vix aures præbent iniqui & obdurati peccatores, intendentes arcum, acuentes anna, & gladios contra Filium Dei, est enim *lingua eorum gladius* *Concionatores Legati pacem petunt pro Christo.* Ps. 56. v. 5

acutus, & dentes eorum, arma, & sagittæ, quibus blasphemando offendunt Deum, detrahendo, & susurrando lacerant proximum, implacabiles. Sed, ô peccatores obstinati, qui per totum annum, clamantes nos Dei Legatos, contempsistis, quia parum dignitatis in legatione erat, nosque homines, similes vobis, peccatores judicastis. Ecce hodie ipsum Dei Filium, è crucis cathedra perorantem, & à vobis petentem pacem: Ego Jesus Nazarenus, Dei Filius hodie peto pacem, ecce vulnera mea, ecce sanguis meus, ecce coronatum caput meum, conclavatæ manus & pedes pacem petunt. Cessa, cessa ô peccator obstinatè, ulteriùs oppugnare, & vulnerare me; cessa blasphemâ, linguâ tuâ conspuere me; cessa superbe, spinis coronare me: cessa avare, Judæis vendere me; cessa luxuriose, flagellare me: cessa invide, crucifigere me; cessa gulose, felle & aceto potare me. Nolite hodie roganti pacem denegare, quia satis dignitatis in legatione est: Ego Hannibal, ego Dei Filius pacem peto, & licet offensus, offensores vos deprecor.

Hodie ipse pacem peti è cruce perorans.

O peccatores indurati, qui nobis internuncijs & legatis pacem petentibus obduratis aures & corda vestra, saltem, *Hodie si vocem Domini audieritis, nolite obdurare corda vestra.* Audite exhortantem Augustinum: *Per præconem locutus est, quando obdurastis corda vestra; per se nunc loquitur, molescant corda vestra.* Psal. 94. v. 8.

Hodie nolite obdurare corda.

Quid obsecro benignas Regi pacifico aures præbere tardatis, tam plausibiles vobis pacis conditiones offerenti? Nam non offensas solùm omnes vobis condonare, sed etiam regnum suum vobis donare paratus est. Exemplũ vobis hodie sit latro, cui pacem acceptanti condicit: *Hodie mecum eris in Paradyso.* *Plausibiles pacis conditiones.*

A peccatoribus ad Matrem se convertens Dei Filius, tertium ad istam ex cruce protulit verbum: *Ecce mater tua: Mulier ecce filius tuus.* Stabat autem juxta crucem Mater Iesu, quæ ad primum mallei ictum concidens, non ampliùs, amaritudine repleta, se erexit, aut suspexit, donec ex toto esset affixus, postea lachrymantibus oculis Filium suum cruenti, & informis frusti carnis speciem referentem aspexit, cui unus obtrudebat, filium ejus esse latronem, alius objiciebat, esse illum hominem mendacem, impostorem, & morte omnium dignissimum, quod de novo vulneratum ejus cor afflixit, uti ipsamet apud S. Birgittam testatur, & addit, tunc Filium ejus dilectum compassivo affectu, ad se suos convertisse oculos, utque se filiali affectu posset respicere, moviisse, & subtraxisse superfusa

XIX.

Maria iuxta crucem.

fusa sanguine supercilia, ac miserabili aspectu se intuentem dixisse: *Mulier ecce filius tuus*, oculis Ioannem innuendo, Ioanni autem dixisse: *Ecce mater tua.* Ipsa ergo filium, & filio de cruce ipsam respiciente, lachrymas ex utroque oculo suo, haud secus, quàm ex duabus aquarum venis, aut fontibus emanâsse testatur, nullúmque sibi imaginari debere, quòd aut capere, aut verbis exprimere valeat dolorem tunc ab illa perpessum, sic bene cum regio Propheta Christus dicere poterat: *Factum est cor meum tanquam cera liquescens in medio ventris mei.* Psal. 21. 15. *Nam potest hic versus* (teste Hugone) *exponi de B. Virgine: ipsa enim dicitur cor Christi, quia eam summè dilexit, & ipsa intima fuit in corpore Christi mystico: ipsa liquefacta est per dolorem, & amorem ad ignem passionis Christi.* Hug Cardin hic. Maria Cor Christi fuit. Ac juxta revelationem ab Angelo eidem S. Birgittæ factam, nisi peculiari Dei gratia, atq; cœlesti virtute fuisset conservata afflicta mater, præ dolore sub cruce animam emisisset, neque cor maternum tantam doloris vim naturali virtute, in se concludere, & sustinere potuisset.

Cordi enim matris cruci astantis, ex amore & compassione quasi liquefacto omnia Christi vulnera fuerunt impressa, atque in anima & corde ejus tanquam purissimo & limpidissimo speculo repræsentata fuêre, ita, ut si quis Virgineum cor & animam inspicere potuisset, vivum totius Dominicæ Passionis simulachrum vidisset expressum, & compendiatum.

XX. *Cor eius compendium dolorum.*

Et sic piè argumentari licet, quòd ex parte cor virginis magis fuerit doloroſum, quàm ipsũ cor Christi crucifixi, quia *virtus unita fortior*, & passiones in corde Mariæ unitæ majorem dolorum imprimendorum vim ac virtutem habebant, *singula* enim *vulnera in corpore ejus* (Christi) *dispersa* (ait Seraphicus) *in tuo corde generaliter sunt unita.* S. Bonav. stim amoris. c. 4. *Quæro Matrem Dei, & invenio spinas, clavos, sputa, ludibria, flagella & vulnera.* Unde dulcissimum cor Marię in tantum amaritudinis mare fuit conversum, ut in omnes creaturas abundè de sua amaritudine effundere potuisset, ita quidem, ut mortis periculum participatâ sua amaritudine illæ contraxissent, & tamen dolorosæ Matri abundantia amaritudinis superfuisset. Itaque ô Mater dolorosa, in Joanne totius generis humani à Christo designata Mater, tu verè illa Rachel, quæ amisso primogenito tuo Joseph, Christo Jesu, nos secundo genitos, tanquam Benoni, id est, doloris filios sub Cruce genuisti, adesto nobis, ô Mater propitia, ut veri simus Benoni, id est doloris filii, tuos, ac Christi dolores assiduè contemplando; *Tui nati vulnerati, tam dignati pro*

Maria Mater nostra effecta.

me pati, pœnas mecum divide. Fac me verè tecum flere, crucifixo condolere, donec ego vixero. Ut sic ex Benoni, id est, doloris filiis, evadere valeamus electi Beniamini, id est, filii dexteræ.

O anima dilecta, quid consolabiliùs, quàm quòd Dei Filius propriam matrem suam tibi legaverit: *Ecce Mater tua.* O Amoris excessum! dum Deus Pater Filium, Filius non solùm sanguinem, sed & Matrem suam nobis donavit. Te itaque supplico, ô JESU crucifixe, ut sicut in cruce discipulum commendasti Matri tuæ: Ecce Mater tua! Ita me quoque hodie Matri tuæ ardenter cõmendes: Et tu, ô Mater dolorosa, sicuti Filio tuo in Cruce pendenti usque ad ultimum astitisti halitum, ita mihi in hora mortis meæ assistere non dedigneris. Ecce enim, ô Mater, ego filius tuus. O benedicta Mater, quæ Dei Filium nobis fecit fratrem; benedictus frater, qui suam nobis cõmunicavit Matrem.

O Maria! etiam nobis morientibus astiste.

Plena mysteriis cœlestibus fuerunt etiam reliqua Salvatoris in Cruce prolata verba, quibus exponendis, ac declarandis tempus deficit. Sufficiat dicere, quòd etiam ex illis immensus Amoris eniteat Excessus, dum nullam, ut alii SS. Martyres, à Patre confortativam consolationem accepit, mitigandis doloribus, unde exclamavit ad Patrem: *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?*

Quare me dereliquisti?

Quamvis alii Contemplativi hæc verba intelligant à Christo dicta, quasi conquereretur, à Patre sibi ulteriores ad diutiùs patiendũ vires fuerint denegatæ, unde etiam clamavit: *Sitio:* nempe, ex S. Bernardi interpretatione; Non sitio humores, sed sitio dolores. Et ex Hugonis Cardinalis expositione: Sitio, *salutem scilicet peccatorum.* Ex accensо intus amoris calore hæc sitis provenit, & ab Excessu Amoris. Sitit sitiri Deus, sic dilexit mundum.

Sitio.

Hugo Cardin.

XXI.

Sitienti Domino obtulerunt impii lictores spongiam plenam aceto, quo accepto dixit: *Consummatum est.* O spiritus angelici, annuntiate Patri cœlesti, omnem ejus voluntatem, omnẽ justitiam, & omnem scripturam à Filio suo esse consummatam & impletam. Annuntiate captivis in limbo patribus, consummatum esse Redemptionis opus, & illorum jam instare liberationem: Consummatum est. Quare omnibus consummatis voce magna ad cœlestem se Patrem convertens exclamavit: *Pater, in manus tuas commendo Spiritum meum.* Et hæc dicens (& quidem inclinato capite) tradidit spiritum.

Consummatum est.

In manus tuas, &c.

Dolorosam Christi mortem in hunc modum apud S. Brigittam describit benedicta Mater. Quòd nempe dilatatis manuum sacrarũ vulneribus, & ita à corporis pondere tractis, ut mirum non fuisset, si ruptis, nervis & ossibus

Revel. l. c. 10.

Mors Christi dolorosissima.

ipsum

ipsum corpus decidisset, genua fuerint incurvata, quæ cum corpore propendebant, & sic clavis pedum innitebantur; sic, ut demum pedes clavis duris, & acutis innixi totum corporis pondus sustentarent, propter dolorum igitur acerbitatem se libenter Dominus in Cruce sublevâsset, erigendo, pedes, & extendendo, vel ad latus se convertendo, sed ulla quantumvis leviſſima, commotio sine excessivis doloribus fieri nequibat: sed nec sacrum coronatum caput reclinare poterat, nam reclinatum ad duram crucem, spinarum punctûris molestabatur, reclinatum verò ad pectus, aut humeros, spinarum aculeis lacerabat, & exacerbabat vulnerum dolores.

Movere se non poterat.

Demum cùm sic per tres horas integras, (à sexta scil. usque ad nonam) in doloribus ineffabilibus pependisset in Cruce, dolore ex vulneratis membris, & nervis ad ipsum Cor penetrante, & incredibili angustiâ affligente, & subinde à corde iterum ad exteriora vulnera & nervos doloribus repulsis, summâque amaritudine mortem prolongantibus, denique Cor ipsum dolorum vehementiâ occupatum crepuit, omnibusque membris præ dolore concussis & trementibus, anima benedicta à corpore fuit separata. O benedicte JESU, per mortem tuam amarissimam, & extremam derelictionem, ne derelinquas me, nunc & in hora mortis meæ.

Revelat. Extrav. ag S. Brig. c. 15.

Cor ex dolore crepuit.

Ecce cõsummatum (ô Theodora, ô sponsa Christi) divini Amoris excessum, cùm enim dilexisset suos, in finem, id est, in finem vitæ dilexit eos. Et consummati sunt etiam cum vita Excessus doloris. Verum quidem est, quòd consummati in morte fuerint dolores Christi, non tamen (si bene perpendo) in Filio Dei consummatus fuit excessus amoris, nec in Matre Excessûs doloris.

Consummatis doloribus Filii.

Nam præterquam, quòd ipsa dolorosæ Mortis Filii spectatrix Mater dolorem indicibilem conceperit, illóque orbata, quem solum diligebat, dolores identidem fuerint cumulati, novis maximè dolorum angustiis maternum cor vulnerarunt advolantes cum furore satellites, & ossa latronum confringentes, tunc enim tremens, & eandem in filium exercendam crudelitatem verita, pro filio mortuo deprecabatur, quæ tamen precibus suis impedire non potuit, quin saltem unus militum lancea latus ejus aperiret, quæ per latus dextrum ad usque sinistri costas penetravit, scisso per medium corde, ex quo confestim sanguis & aqua ebullire cœpit.

Non consummati in Matre.

XXII.

Renovatî per lanceam.

Quò minùs autem emortuum cor Filij lanceæ hujus feritatem sensit, eò vivaciùs lancea cor virginis vulneravit, ita

ut

ut crudelis lancea maximè in cor virginis directa videretur, &quoniam apud S. Birgittam testabatur olim benedicta Virgo, quòd Filiũ pariendo dimidium cordis cum eo se emisisse sibi videretur, adeoque Matris & Filij conglutinatum cor unum erat, ideò hoc lanceæ vulnus cordi Christi infixum, cor etiam ipsius virginis tangebat: uti ipsamet apud eandem testatur:

Revel l. 1. c. 27. *Tunc mihi videbatur, quod cor meum, quasi perforaretur, cùm vidissem cor filij mei perforatum.*

Sed sicut cor lanceâ vulneratum Matri impressit excessum doloris, sic nobis expressit excessum amoris. Mortuis personis insignibus pectus quandoque scindunt anatomici, ut scrutando viscera, causam morbi, ac mortis agnoscant. Anatomicum egit lanceâ suâ Longinus, & latus & cor Christi aperiens, ut causam morbi, & mortis inspiceremus. Quam ergo in eo mortis causam deprehendimus? Verè piè & patheticè S. Franciscus Salesianus Geneuensium olim Antistes sic concludit, inspectis Christi visceribus.

Anatomici corpora aperiunt,

aperitur Corpus Christi,

Apud Cornelium in cap. 27. Matth.

Aut amor, aut furor est, quite, bone Christe, peremit;
Est amor, & furor est: hic meus, ille tuus.

Et deprehenditur causa mortis, excess

Furor ergo sive iniquitas mea, & amor tuus, ô Iesu, te occiderunt: tota infirmitas, tota mors tua, Amor fuit, & Excessus Amoris: *Amor immortalem fecit mortalem*, testatur Innocentius Papa Tertius.

sui amoris.

Aperto latere, ac corde, sanguini mixta exivit aqua, ut nihil rancoris aut iræ erga hominem peccatorem, in corde amoroso Christi latuisse sciamus. Ira enim est inflammatio sanguinis circa cor, ut ergo cor Christi ab omni Colerica passione liberum, mansuetum ac placidum, & mansuetũ nutrivisse phlegma noscere-mus, cor suum Christus anatomicè aperii post mortem voluit, ut emanans aqua, mansuetudinis, & amoris affectum, & excessum testaretur.

Aqua testatur, eum alienum fuisse ab ira.

Insuper cor suum scindi Christus voluit, illud cum sponsa sua dimidiaturus, ut anima Deo dilecta se dimidium cordis sponsi sui esse non dubitaret. En inauditum (ô Theodora, ô anima & sponsa Christi) amoris excessum! Et tamen cùm ille tam amorosè cor suum tecum dividat, tu illi tuum præbere tam obstinatè retardas? O anima præbe illi cor tuum, & frigidum illud & obduratum, in apertum, & ardens Christi cor immitte.

Cor cum sponsa dividit.

XXIII.

Adeste corda frigida, corda dura, corda inimicitijs, & odijs indurata, adeste amici, cives & conjuges discordes, in istam amoris flamma ardentem fornacem, corda vestra odijs scissa injicite: nam teste S. Bonaventura:

ftionv. B.m.p.1. c.1.

tura: *Quid mirabilius, quàm quòd apertio lateris cor cordi conjungat?* Currite, currite gentes undique & miramini erga vos charitatem Dei.

Quid tardas, ô anima, unire te dilecto tuo? Audi Doctorem

S. Bonav. apud Bonar. Solil. c. 1.

mellifluum: *O quanto tempore tuum adventum expectavit! Heu quanto tempore te in peccatis tuis toleravit! O quot & quantos ante tuam conversionem in peccatis damnavit! Et te semper, peccantem, misericorditer expectavit? Revertere adhuc* (non te deterreant peccata tua, quantumvis multa, & enormia) *Revertere ô anima, Christus in cruce te expectans, habet caput inclinatum ad te peccatricem, & immundam deosculandum, brachia extensa, ad amplexandum, manus apertas ad remittendum, latus apertum ad te in illud intromittendum. Esto ergo ô anima, iam columba, nidificans in foraminibus Petræ, in cavernamaceriæ, pervola manus, pervola pedes, involà lateri, ibi tua requies, ibi secura quies.*

Averte te igitur ab omni inordinato creaturarum amore, & convertere ad Dominum Deum tuum, ô anima peccatrix, per ardentem charitatis & contritionis actum: Hodie, hodie nolite obdurare corda vestra, dum per semetipsum è cruce ad pœnitentiam nos invitat Christus, molleſcant corda vestra. Non credo Domine, in tanto populi confluxu vel unum fore, qui non ex corde ad te conversus, amaris lachrymis, & tunsione pectoris, de peccatis suis conteratur. Effunde igitur super nos, & universam patriam sanguinem ac benedictionem tuam, sanguis tuus super nos, & super animas nostras. Contritos itaque, & veram vitæ emendationem promittentes

Benedicat nos Dominus noster IESUS Christus,
Qui pro nobis fuit flagellatus & crucifixus, Amen.

Submitto & remitto me in omnibus iudicio S. Romanæ Ecclesiæ.

FINIS.

INDEX CONCIONATORIUS

Seu

Exordia.

Pro omnibus Dominicis per annum, ad quas Discursus de planctu Ecclesiæ, & animæ applicari possunt.

DOMINICA I. ADVENTVS.

Thema.

Arescentibus hominibus præ timore, & expectatione, quæ supervenient universo orbi. *Luc.21.v.26.*

PROPOSITIO.

Nunquam de auxilio Dei diffidendum, qui succurrit in casibus desperatis, & se ad extrema reservat, quando de omni humano auxilio conclamatum est.

PErituri mundi signa partim in lectione huius sancti Evangelij, partim in verbis immediatè antecedentibus à Domino memorata fuisse, notat S Gregor. hom. 1. in Evang. Magnus Gregorius, cùmque ex ijs aliqua jàm facta, alia verò in proximo eventura agnosceret, desperatum iam mundi statum, & proximè periturum ominabatur. Sed si modernam mundi faciem contemplemur eam planè multò magis periculosam deprehendemus; nam præter pestilentias, fames terræmotus, & ignitorum cometarum comminantes caudas, & virgas, non solùm gens contra gentem, sed omnes Christiani populi, & magnates per universum orbem cruentis prælijs in se invicem insurgunt, *arescentibus* pene *hominibus præ timore, & expectatione, quæ supervenient universo orbi*, cui in tanto principum & magnatum confusione & discordia, nihil nisi interitum, & funesti finis præludia ominari possumus, cùm nulla suppetant humana auxilia, quibus mundi in maligno positi, & perversi salus restitui possit.

Desperatus mundi status.

His tamen omnibus non attentis, *Respicite, & levate capita vestra*, in Deum scilicet spem & fiduciam vestram collocando, de cuius auxilio nunquam diffidendum, ipse enim desperatis adest casibus, ad extrema se reservans pericula, quando de omni humano auxilio iam penitus fuerit conclamatum, uti in decursu huius concionis probabo. *Disc.47.* *A Deo restituitur esse*

Item, Deus etiam levia peccata graviter punit *Disc.30.inf.in Dom.3.Fent.*

DOMINICA II. ADVENTVS.

Thema.

Cùm audisset Ioannes in vinculis opera Christi. *Matth.c.11. v.2.*

PROPOSITIO.

Tribulatio schola.

LIbertatem corporis æquè, ac animi requirit discendi studium, unde & antiqui Philosophi in publicis plerumque Academijs (& quidem peripatetici liberè

liberè deambulando) sapientiam edocti, & professi sunt. Sed sanctus Christi præcursor in carcere & vinculis (dum adire divinam Sapientiam ipse vinctus non potest) cœlestis scientiæ doctrinam per internuncios discipulos haurire studet, quasi Academiam inter vincula erecturus: *cùm audisset Ioannes in vinculis.* nempe (uti Hugo Cardin. ad hunc passum notat ex Isaia) *Sola vexatio intellectum dabit auditui,* & maximè ad divina studia ingenium acuitur in vinculis, nempe in vinculis *tribulationum*, adeò, ut dicere non verear, tribulationem scholam, & Academiam esse, in qua boni à malis in omni scientiarum genere exerceantur, & erudiantur. *Disc. 26,* item arundines vento agitatæ sunt ambitiosi. *Disc. 29. Infra Dom. 4. Quadr.*

Hugo Cardin. Is. 28. v. 19 Hugo hic

DOMINICA III. ADVENTVS.

Thema.

Ego vox clamantis in deserto. *Ioan. 1. v. 23.*

PROPOSITIO.

Cor peccatoris, est horridum desertum, in quo avidè venatur Deus.

UT Isaiæ Prophetiam impleret Præcursor Christi, se vocem nominat clamantem in deserto: *Ego vox clamantis in deserto.* Sunt, qui hæc verba aliter interpungant, ita scilicet, ut *vox clamantis,* simul ponatur, deinde (in deserto parate viam Domini) per hoc quidem desertum, intelligit Hugo Cardin. *Peccatores desertos à gratia,* vel ipsum cor peccatoris, desertum à Deo, ac vitiorum spinis ac tribulis horridum, hoc ergo horridum desertum, in quo ipsum divinum verbum, ejusque vox, divini scilicet verbi præcones viam parant, & avidè venantur, in præsenti concione ob oculos ponam. *Disc. 44.*

Vide Cornel. Isa. c. 40. Hugo in Luc. c. 3.

Item, miserunt Iudæi sacerdotes & Levitas &c. Ex mala pastorum vita, non est rejicienda eorum doctrina. *Disc. 25. Infrà Dom. Sexagesimæ.*

DOMINICA IV. ADVENTVS.

Thema.

Vox clamantis in deserto. *Luc. 3. v. 4.*

PROPOSITIO.

Mundus totus, quasi horridum desertum est.

ARridet excæcatis mundanis, ac vanis mortalibus compta mundanæ vanitatis facies, dumque eximia ac superba contemplantur ædificia, regumque turres & palatia, hortorum ordinata arborum ac plantarum serie consitorum delitias, artificiosos salientium aquarum lusus, splendentem in auro, argento, ac gemmis, vestium luxum, cœleste aliquid ac sydereum sibi imaginantur, iamque se versari in paradyso æstimant, ab hominibus tam comptè ornatis, tanquam Angelis inhabitato. Sed si bene cum S. Augustino rem perpendimus: *Agnoscimus nos iter agere in eremo: Quid est in eremo? In deserto, Quare in deserto? Quia in isto mundo.* Est namque eodem Doctore teste, *seculum istud, malum desertum, horribile & timendum.* Hoc ergo desertum perscrutando in illo vocem præconis cum præcursore Domini agam *Disc. 43.*

S. Augustin. Tract. 28. in Ioann.

S. Augustin. in ps 62.

Item, *Baptismum, Pœnitentiæ* &c. de efficacia contritionis & pœnitentiæ. *Disc. 38. Infrà Dom. 10. Pentec.*

DOMINICA I. EPIPHANIÆ.

Thema.

Ecce Pater tuus & ego, dolentes quærebamus te. *Luc. 2. v. 48.*

PROPOSITIO.

Anima amisso Deo, etiam in multitudine creaturarum, sola est, & quasi vidua.

DOlens cum S. Ioseph o quærebat Filium solicita Mater eò magis dolore concussa, quòd hunc haberet unicum, in quo tamen possidebat omnia: ipse enim

enim erat Deus eius, & omnia, & sic eo uno deperdito, amisit omnia. Nec consolari eam poterant creaturæ omnes, Creatore amisso, sine hoc enim unico, omnia nihil sunt & tamquam accidentia subtracta substantia, evanescunt. Circa vana hæc creata entia & accidentia versantur plerumque vani mortales, & cum Martha solliciti sunt circa plurima, cùm tamen unum sit necessarium, nempe *Deo iugiter inhærere*. uti interlinearis glossatur. Hinc magnus ille contemplativus F. Ægidius dicebat: *Vna uni*. Vna scilicet anima, uni Deo adhæreat, huic enim uni, & soli copulata possidet omnia: è contra anima ab uno & solo Deo separata, in multitudine omnium creaturarum, sola est, & infelix vidua. *Disc. 2.*

Luc. 10. v. 41.

Glossa interlin.

Item, nemo viam perfectionis ad quærendum Iesum vult ingredi. *Disc. 7. infrà Dom. Septuag.*

DOMINICA II. EPIPHANIÆ.

Thema.

Deficiente vino, dicit Mater Iesu ad eum: Vinum non habent. *Ioan. 2. v. 3.*

PROPOSITIO.

In necessitate ille adeundus, qui iuvare potest, nempe Deus, non mundus, non dæmon &c.

DEficiente in nuptiis vino interpellatur, Mater Iesu, quam *paupertas coniugum movit* (ait Hugo) *ut defectum vini indicaret filio suo, quem sciebat posse supplere omnem defectum*: prout ipse effectus feliciter docuit. In multis subinde defectum patimur miseri mortales, jam deficit sustentatio necessaria, jam pecuniarum subsidium, jam corporis valetudo. In his necessitatibus subinde recurrunt homines ad amicos carnales, subinde ad aniolos, & superstitiones, ipsumque consequenter dæmonem. Sed malo, & irrito conatu, in necessitatibus enim ille adeundus, ad illum extendendæ manus, qui juvare

Hugo Cardin.

potest, nempe ad Iesum, & sacratissimam Matrem ejus. *Vide Disc. 36.*

Item, per vinum consolatio spiritualis, per aquam verò turbidam Ægypti, lætitiæ, & delitiæ carnales intelliguntur; convertit igitur Christus aquam in vinum, non autem aquæ miscuit vinum, aut vino aquam, volens nos docere, consolationes carnales, & terrenas in cœlestes, & spirituales converti debere, non autem has illis posse misceri, quæ simul stare, & se invicem compati non possunt. *Disc. 12. Infrà Dominic. infrà Octav Ascensionis.*

DOMINICA III. EPIPHANIÆ.

Thema.

Nam & ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites. *Matth. c. 8. v. 9.*

PROPOSITIO.

Gemit Ecclesia, quod magnifici sui punctum honoris non in generosis, & virtuosis, sed vitiosis actibus, & vanitatibus ponant.

GEnerosum militiæ nomen, & exercitium est, ac summæ nobilitatis seminarium, quo gloriari etiam videbatur Centurio noster Evangelicus, de sua in milites potestate gloriosus: *Dico huic vade & vadit, fac hoc & facit.* Non tamen ita in sua potestate erat elatus, ut in ea punctum sui honoris, sed magis in virtuosis quæreret actibus, ex summa humilitate indignum se contestatus, cujus tectum intraret Christus, & ex maxima compassione erga servum suum ægrotum, ipse cœlestem conveniens Medicum, ita viva fide in hujus confisus potentia, ut ipse contestaretur Dei Filius, *Amen dico vobis, non inveni tantam fidem in Israel.* Rara hoc virtuosi herois exempla uti miratur Ecclesia, sic gemit, quod hodie magnifici sui & antesignani, virtutum parum studiosi, in vitiosis tantùm actibus, & vanitatibus punctum hono-

ris vanissimè, & falsissimè quærant. *Disc.* 1.

Item, *Puer paralyticus* &c. Fideles à primævo fervore recesserunt, languidi, & quasi paralytici. *Disc.* 15. *infrà Dom.* 14. *Pentec.*

DOMINICA IV. EPIPHANIÆ.

Thema.

Et ecce motus magnus factus est in mari. *Matth. c.* 8. *v.* 24.

PROPOSITIO.

Anima à Deo, tamquam firma terra recedens instabilis est, sicut navis in mari.

QVi in domo supra petram firmata habitat, aut terræ firmæ ac littori insistit, immotus instabiles spectat fluctuantis maris procellas, at qui in navi quantumvis sollicitè se recondit, inconstantes maris fluctuationes non effugiet, in hanc modò, modò in illam jactandus partem. Qui Deo adhæret, firmo quasi littori, ac terræ affixus, non movebitur in æternum. At mundus mare est, omnesque creaturæ, quasi aquæ fluidæ & inconstantes, his ergo qui animum credit, & à littore divinæ firmitatis recedit instabilis semper est, & inquietus. *Disc.* 47.

Item Deus extremis periculis se auxiliatorem reservat. *Disc.* 47.

DOMINICA V. EPIPHANIÆ.

Thema.

Venit inimicus homo, & superseminavit zizania. *Matth.* 13. *v.* 25.

PROPOSITIO.

Ecclesia olim in concordia crescens, per discordiam modò decrescit.

AGer Ecclesiæ, manu Christi plantatus, ejusque sanguine rigatus, uberem messem in primis tulit temporibus, erat enim credentium cor unum, & anima una. Sed post hæc venit inimicus humani generis, qui superseminavit zizania discordiarum, quibus non tantùm semen bonæ doctrinæ suffocatum, sed messorum maximè concepta spes fuit imminuta, dum Ecclesia, & cum ea fidelium numerus, sicut in concordia crevit, ita zizaniorum (discordiarum dico) dilatatione decrevit. *Vide Disc.* 45.

Item, *Cùm dormirent homines*, id est Prælati, qui non pascendo gregi, sed sibiipsis attendunt. *Discurs.* 11. *infrà Dom.* 2. *Paschæ.*

DOMINICA VI EPIPHANIÆ.

Thema.

Simile est regnum cœlorum grano sinapis. *Matth.* 13. *v.* 31.

PROPOSITIO.

Contritio pœnitentis animæ, qualis esse debeat, & quantæ sit efficaciæ.

GRanum sinapis *quantò plus teritur, tantò plus redolet*, uti Glossa Interlinearis notat: Præterea granum hoc licet parvum, tamen tantæ est efficaciæ, & virtutis, ut forti suo odore, & acrimonia ex oculis aquam eliciat. Per granum sinapis Glossa ordinaria *fervorem fidei*, moralis *humilitatem*, Hugo verò intelligit *charitatem, quæ calefacit, venenum peccati expellit, purgat caput.* Quod maximè de charitate, actui contritionis juncta, intellectum velim, quæ quasi granum sinapis contritum, lacrymas elicit, purgat caput, ac venenum peccati expellit: de magna ergo grani hujus scilicet contritionis, efficacia, in præsenti. *Vide Disc.* 24. Glossa interlin. Hugo hic.

Item mala societas est fermentum, totam massam corrumpens. *Disc.* 37. *infrà in Dom.* 13. *Pent.*

DOMINICA SEPTVAGESIMÆ.

Thema.

Quid hìc statis tota die otiosi? *Matth.* 20. *v.* 6.

PRO-

PROPOSITIO.

Luget Ecclesia, quòd tam pauci per viam virtutis ad perfectionem tendant.

IN foro otiosos cœlestis Paterfamilias increpat; *Quid hic statis tota die otiosi?* nempe, *quia à principio mundi, usque hunc laborare in bonis moribus neglexerant, quasi tota die otiosi stabant,* Lyranus hic. ait Lyranus. Excusare se tamen poterant in Veteri Testamento, *quia nemo nos conduxit*, & viam perfectionis Evangelicæ nobis monstravit. In Novo autem Testamento excusare se fideles non possunt quibus tritam Evangelicæ perfectionis viam ipse Dei Filius aperuit, & eos conduxit. Plangit autem non immeritò Mater Ecclesia, quòd etiamnum multi stent in foro otiosi, in bonis moribus & sanctitate laborare negligentes, adeoque deplorat, quòd quidem *multi sunt vocati ad gratiam & ad observationem mandatorum*, juxta expositionem Cornelij, Cornelius hic. *sed pauci electi ad gratiam eximiam, & observationem Consiliorum Evangelicorum*, cùm pauci admodum sint, qui per viam virtutis ad sanctitatem & perfectionem acquirendam se applicent. *Vide Disc. 7.*

Item, Vinea Domini, hodie quasi horridum desertum. *Disc. 43 Vide supra Dom. 4. Adv.*

DOMINICA SEXAGESIMÆ.

Thema.

Exiit, qui seminat, seminare semen suum. *Luc. 8. v. 5.*

PROPOSITIO.

Ex mala pastorum vita, non est rejicienda eorum doctrina.

PArabolam seminantis punctatim explicat Christus. Notat verò Haymon: *Tamen quis esset seminator non expressit, quia non quis dicat, sed quid* Haymon. *dicatur, attendendum est.* Hucetiam S. August. tr. 6. in Io. facit illud Augustini: *Si pro diversitate meritorum baptisma sanctum est, quia diversa sunt merita, diversa fuerunt baptismata: & tantò quisque melius putatur accipere, quantò à meliore videtur accepisse.* Ex quo colligitur nec Sacramenti valorem, nec verbi Dei, & doctrinæ veritatem, à vita pastorum dependere, & consequenter ob malam horum vitam, non esse eorum doctrinam, ac potestatem reiiciendam. *Vide Disc. 25.*

Item deplorandum, quòd tam multis regionibus semen verbi Dei, & panis Eucharisticus fuerit subtractus *Disc. 21. infrà Dom. infrà Octav. Corporis Christi.*

DOMINICA QUINQUAGES.

Thema.

Cæcus quidam sedebat secus viam mendicans. *Luc. 18. v. 35.*

PROPOSITIO.

Deploranda cæcitas & nox animæ peccatricis.

CÆcus propriè dicitur aptus videre, nec tamen videns, unde lapis non dicitur cæcus, quia non est privatio nisi subjecto apto. Cæcus sedens juxta Jericho, & mendicans, est (teste Hugone) *peccator quilibet, veræ cognitionis lumine carens*, quod tamen aptus esse habere; & sic sedet, *terrenis amore inhærens*, quo scilicet (tanquam alter Tobias stercore hirundinum) excæcatus est, nec lumen cœli videre potest, suasque proprias miserias agnoscere. Quam ergo deploranda hæc sit animæ cæcitas & nox, in præsenti *Vide Disc. 4.*

Item, horrendæ tenebræ, nox & cæcitas hæresum, quas summè deplorat Ecclesia. *Dis. 3. infrà Feria 2. Pentecost.*

DOMINICA I. QUADRAGES.

Thema.

Mitte te deorsum. *Mat. 4. v. 6.*

PROPOSITIO.

Anima peccatrix rarò in primo peccato sistit, sed cadere incipiens, de peccato in peccatum præcipitatur.

HOrret quisque subitum per præcipitia casum, ipsiusque præcipitij horror cautum reddit. Si peccatori præcipitem in malorum abyssos casum hostis malignus proponeret, horreret utiq; incipiens, à casu caveret; ut ergo dolosus serpens ad interitum citiùs eum trahat, leviores tantum lapsus persuadet ad vitia: *Mitte te deorsum.* Quasi non suæ foret intentionis in profundum vitiorum illum præcipitare. At ubi semel à justitiæ via homo declinans labitur in peccatum natura in malum proclivis, in primo non sistit peccato sed de peccato in peccatum labitur, donec in profundum præcipitetur. *Vide Discurs 6.*

Item cor peccatoris horridum desertum. *Disc.44 suprà Dom.3. Adv.*

DOMINICA II. QVADRAGES.

Thema.

Domine, bonum est, nos hîc esse; si vis faciamus hîc tria tabernacula. *Matth. 17. v.4.*

PROPOSITIO.

Animæ peccatrici, non datur sabbatum, quies, aut sessio in hoc mundo.

TRansfiguranti Salvatoris speciem gloriosam in monte Thabor contemplatus Petrus sessionem ibidem, ac sedem figere parabat; *Domine, bonum est, nos hic esse, faciamus tria tabernacula.* Sed præceps, & immaturum erat hoc Petri desiderium: *non enim sciebat, quid diceret*, uti S. Marcus testatur. Nam sedere, & quiescere jam volebat cum Christo transfigurato, quem laborando & patiendo in montem Calvariæ sequi debebat; ad laborem enim, non ad quietem natus est homo, cui in hoc mundo, sabbatum, quies, aut sessio non conceditur. *Disc. 14.*

Item, animæ, quamdiu cum Christo est, bonum est illi, sine Christo autem, est quasi sola & desolata vidua. *Disc.2. suprà Dom. 2. Epiph.*

Item, quæ motiva hominem Christianum ad ascendendum montem Thabor, Religiosæ vitæ movere debeant? *Disc.5. infrà in Dom. 4. Pent.*

DOMINICA III QVADRAG.

Thema.

Erat Jesus ejiciens dæmonium, & illud erat mutum. *Luc. 11. v. 14.*

PROPOSITIO.

Pœnitentia & Confessio Sacramentalis frequentata, roborat animam, & debilitat inimicos, passiones, consuetudines malas &c.

DÆmonium mutum ejecit Christus, non quòd ipsum formaliter, sed efficienter mutum esset: sic Glossa Interlinearis ait: mutum, id est *mutos faciens.* Mysticè (Eugone teste.) *Dæmonium est peccatum, primò à dæmone inventum: mutum, id est, faciens mutum à confessione fidei, & peccati. Hoc dæmonium ejcit Jesus, & ora tacentia ad confessionem relaxat.* Quomodo autem hæc confessio (præsertim si frequens sit) animam roboret, & inimicos, malasque consuetudines & passiones debilitet, in præsenti. *Vide Disc. 48.* Glossa interlin. Hugo Card. hic.

Item, *omne regnum divisum.* Ecclesia per concordiam ædificata per discordiam destruitur. *Disc.45. Domin. 3. Epiph.*

DOMINICA IV. QVADRAGES.

Thema.

Jesus ergo cùm cognovisset, quia venturi essent, ut raperent eum, & facerent eum Regem,

fugit

fugit iterum in montem ipse solus. *Ioan. 6. v. 15.*

PROPOSITIO.

Plangit Ecclesia, se tumultuosis per ambitionem excitatis tempestatibus turbari, & periclitari.

PAtrato in panum multiplicatione miraculo ad montem solus confugit Christus, ne à turba raptus, Rex ab ijs proclamaretur. Fugit itaque Christus, & ad exemplum nostrum fugit *erudiens nos* (inquit S. Chrysost.) *mundanas contemnere dignitates*, & omnem ambitionis tumultum fugere, quo modernis temporibus Ecclesia tam periculosè jactatur, ac tanquam sæva tempestate turbatur. *Disc 29. Vide inf. Fer. 3 Pent.*

Apud Hugonem hic.

Item, *Erat autem proximum Pascha, dies festus Iudæorum* &c. Festa, & Sabbata Christianorum hostibus fiunt contemptibilia, quia ut plurimum otio, & petulantia insumuntur. *Disc. 13. Infrà in Dom. 16. Pentec.*

DOMINICA V. QVADRAGES.

Thema.

Tulerunt ergo lapides, ut jacerent in eum. *Ioan. c. 8. v. 59.*

PROPOSITIO.

Prædicatores veritatem annuntiantes mundus persequitur.

MEdicum sanæ mentis æger honorat, & præscripta reveretur media, sed phræneticus in ipsum insurgit medicum, illi intentans mortem, à quo accipit vitam. Venit cœlestis medicus sanare infirmitates nostras, verbo ac doctrina sua, de qua Sapiens: *Etenim neque herba, neque malagma sanavit eos, sed tuus Domine sermo, qui sanat omnia* Quod & Psaltes regius insinuat: *Misit verbum suum, & sanavit eos.* At Principes Sacerdotum tanquam multa febre phrænetici, in ipsum medicum insurgendo, *tulerunt lapides, ut iacerent in eum.* Et hac phrænesi totus pene modernus, & in maligno positus laborat mundus, qui Prædicatores, omnesque veritatem sibi annuntiantes sævissimè persequitur *Disc. 39.*

Sap. c. 16. v. 12.

Psal. 106. v. 20.

Item, *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Christiani jam non amplius erubescunt de sordibus peccatorum. *Disc. 7. infrà Dom. 4 Paschæ.*

DOMINICA PALMARVM.

Thema.

Plurima autem turba straverunt vestimenta sua. *Matth. 21. v. 8.*

PROPOSITIO.

Ingemiscens cum Christo, & flens Ecclesia timet, ne flagellis à Deo immissis non emendata, adhuc gravioribus opprimatur, de quibus non possit surgere.

TRiumphali hodie pompa sanctam civitatem Christus ingreditur, vestimenta populo, ipsi substernente, & Osanna Filio David &c acclamante. Addit tamen S. Lucas Evangelista: *Vt appropinquavit civitati, flevit super illam*, futurum urbis exterminium deplorans, quæ non cognovit tempus visitationis suæ, nec ordinariis emendata flagellis, tam crudeli manui fuit tradita, de qua surgere protinus non potuit. Idem moderno tempore cum Christo deplorare videtur S. Mater Ecclesia, cuius fideles & benefaciendo, & puniendo à Deo visitati, nec tamen emendati, tam sæva & gravia timere debent vindicantis justitiæ divinæ imminentia flagella, & mala, de quibus surgere amplius non possint *Vide Disc. 27.*

Luc. 19. v. 41.

Item de fuga ambitionis. *Disc. 29. suprà Dom 4 Quad.*

DOMINICA PASCHÆ.

Thema.

Hæc dies, quam fecit Dominus,

nus, exultemus & lætemur in ea. *Psal. 117. v. 24.*

PROPOSITIO.

Quantum gaudium animæ beatæ de superatis periculis habebunt?

QVò gratius fuit certamen cum proeliis, eò glorioſior victoria, & lætior eſt triumphus; grave & cruentum cum humani generis hoſte, & morte certamen habuit Dei Filius, ſed eò glorioſior eſt triumphus, hodie in gloriosa ejuſdem Reſurrectione adornatus qui & mortis & inferni periculis finem impoſuit. Vbi eſt mors victoria tua? ubi morſus tuus inferne? jucunda non minùs dies illa erit animabus beatis, quæ ſuperatis mortis & inferni periculis, & è periculis hujus mundi & peccatorum tenebris ereptæ, diem claritatis æternæ attigerunt, ubi in ſecuritate poſitæ tantò plus de portu feliciter adepto cum Chriſto exultant, quantò magis ferè maris, è quo evaſerunt, pericula contemplantur. *Vide Diſc 31.*

FERIA II PASCHÆ.

Thema.

Qui fuit vir propheta, potens in opere, & ſermone. *Luc. 24. v. 19.*

PROPOSITIO.

Parvuli, id eſt, ſubditi, magnatum maximè, & præpoſitorum ſcandalis in ruinam trahuntur.

BEnedictionem primogenituræ accepturus Iacob, ex inſtinctu matris hœdinis pellibus contexit manus, quas contingens cæcutiens Pater: *Vox quidem, ait, vox Iacob eſt, ſed manus, manus ſunt Eſau.* Per manus opera, per vocem ſignificatur doctrina quæ invicem correſpondere ſibi debent, ita ut præpoſiti quique potentes ſint in opere & ſermone. Sed plangit Eccleſia, Magnates, Doctores, ac Magnificos ſuos, licet ſubinde potentes in ſermone, & vocem labi repræſentantes non tamen eſſe potentes in opere, ſed manus ita habere pilioſas, ac inſtar hircorum fœtidas, ut manibus hiſce piloſis, ac ſcandaloſis operibus, parvulos ac ſubditos in ruinam trahant. *Diſc. 9.*

Genes. 27. v. 22.

Item, *Oculi eorum tenebantur. Cæcitas animæ. Diſc. 4. ſuprà Dom. Quinquageſimæ.*

FERIA III. PASCHÆ.

Thema.

Et dicit eis, Pax vobis. *Luc. 24. v. 36.*

PROPOSITIO.

Eccleſia per concordiam ædificata, per diſcordiam deſtruitur. Iuprà Dom. 5. Epiph. ex Diſc. 45.

DOMINICA IN ALBIS.

Thema.

Oſtendit eis manus, & latus. *Ioan. 20. v. 20.*

PROPOSITIO.

Chriſtus fons aquæ vivæ ad nos lavandos & ſanandos, quo tamen neglecto recurrimus ad ciſternas mundi diſſipatas.

SOlent hortorum delicias non tam exornare, quàm recreare vivæ ac ſalientes fontium aquæ. Floridiſſimo Eccleſiæ horto, ſe fontem præbuit dulciſſimus Salvator, & ſicut olim in cruce confixus, è manibus, pedibuſque quatuor quaſi paradyſi fontes ad irrigandum Eccleſiæ hortum, & inſuper ex aperto latere novum gratiæ flumen effudit, ita etiamnum ſervatis in glorioſo corpore vulnerum foraminibus, ex iis, tanquam, foraminibus petræ, gratiarum aquas uberrimè effundit, unde etiam hodie oſtendit manus & pedes ad ſanativas has gratiarum aquas nos invitans, ſed deplorandum, quòd fideles plerumque hoc vivo fonte relicto, ad diſſi-

dissipatas mundi cisternas confugiant. *Disc. 33.*

Item, Thomas in multa lapsus peccata, vide Cornelium. Peccator rarò in primo peccato sistit. *Disc. 6. suprà Dom. 1 Quadrag.*

DOMINICA II. PASCHÆ.

Thema.

Ego sum Pastor bonus: bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis. *Ioan. 10. v. 11.*

PROPOSITIO.

Pastores tam sæculares, quàm spirituales subinde parum suæ professioni, & pascendis ovibus, sed tantùm pascendis sibiipsis attendunt.

MAximè Pastoris proprio & suavissimo titulo gaudet Christus, hinc olim ut plurimum pingebatur, ut pastor, humeris suis ovem bajulans, uti etiamnum videre est in picturis antiquissimis quæ extant in Romanæ urbis Ecclesiis. Pastorum porrò nomine omnes tam spirituales, quam sæculares Rectores veniunt, unde & regem Agamemnonem Homerus, pastorem populorum vocat. Interest autem plurimùm, ut non tantùm pastor, sed bonus Pastor quis inveniatur, plures siquidem Ecclesia nutrit pastores, qui non ovium, sed semetipsorum tantùm pascendorum curam habent, non ovibus, ut boni pastores, sed proprio lucro, ut mercenarii, invigilantes. *Disc. 11.*

Item, Ex mala pastorum vita, non est reiicienda eorum doctrina. *Disc. 25. suprà Dom. Sexagesimæ.*

DOMINICA III. PASCHÆ.

Thema.

Mundus gaudebit, vos autem contristabimini, sed tristitia vestra vertetur in gaudium. *Ioan. 16. v. 21.*

PROPOSITIO.

Magna mundi insipientia, qui annuntiata sibi mala non præcavens, accepta demum damna (serò cum Phrygibus sapiens) deplorat.

EX eo, quòd Salvator asserit: plorabitis & flebitis vos, mundus autem gaudebit, sed tristitia vestra vertetur in gaudium, subinfert Rupertus Abbas, quòd vicissim mundi gaudium vertetur in tristitiam & luctum, non tantùm in futuro, sed etiam in hoc sæculo per vindicantem divinæ justitiæ manum. Quare de imminentibus hisce pœnis ac malis seriò per verbi divini præcones mundus, licet frustrà, prænonetur: siquidem ergo annuntiata sibi mala præcavere renuat, demum damna immissa serò cum Phrygibus deplorabit. *Disc. 40.* Item, anima pro vilissima consolationis refectione, pretiosa quæque largitur *Disc. 22. Dom 6. Pentecost.*

DOMINICA IV. PASCHÆ.

Thema.

Et cùm venerit ille, arguet mundum de peccato, & de justitia, & de judicio. *Ioan. 16. v. 8.*

PROPOSITIO.

Christiani non amplius erubescunt de sordibus peccatorum.

MVstelam ita puritatis amantem aiunt, ut insequentium vi fugata ad locum lutosum, fœtidámve cloacam, opprimi priùs eligat ac capi, quàm foedatis pedibus ac pelle, vitam fugasavare. Hinc optimè mustelæ, tanquam puritatis typo, inscribitur: *Malo mori, quàm fœdari.* Cùm è contra sues non in pura aqua, aut prato, sed in luto maximè, & volutabro delectentur. Sues, Paganos optimè dixeris, qui in voluptatibus & aliis vitiorum sordibus, volutari non erubescunt. Mustelas, Christianos, corporis & animæ puritati studiosos mori olim,

quàm fædari elígentes; sed eò hodie Christianorum status delapsus est, ut de sordibus peccatorum non amplius erubescant. *Vide Disc. 17.*

Item, Christiani flagellis à Deo immissis non emendati, graviora timeant, de quibus non possint surgere. *Disc. 27. suprà in Dom. Palmarum.*

DOMINICA V. PASCHÆ. & Feria Rogationum.

Thema.

Amen, amen dico vobis: si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. *Ioan. 16. v. 23.*

PROPOSITIO.

Quare populus Christianus petit, & non accipit, clamat, & non exauditur?

MAgnas sæpe promissiones, & quæ nescio servitia, & beneficia offerunt hominis ad modernum mundi fallacis genium facti: sed sicut plumas, ita & hæc verba, & promissiones ventus portat, & asportat. Magnas, ac serias promissiones orantibus Deus facit, *Amen, amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Attamen docet experientia, quòd sæpe petimus, multa à Deo oramus, & non accipimus, nec exaudimur: Quid ergo? an fortè ad fallacium hominum genium factus Deus, ut multa promittat, & parum præstet? Absit. Fidelis enim in promissionibus suis Deus: *Iuravit Dominus, & non pœnitebit eum.* Quæ autem causæ & obstacula sint, quòd Deus in orationibus nostris nos non exaudiat, in præsenti exponam. *Disc. 35*

Item, in necessitate non ad mundum, aut dæmonem, sed ad Deum nobis est recurrendum, qui juvare potest. *Disc 36.*

IN ASCENSIONE DOMINI.

Thema.

Viri Galilæi quid statis aspicientes in cœlum? *Act. 1. v. 11.*

PROPOSITIO.

Animæ in hoc mundo non datur quieta statio, aut sessio. ut suprà Dom. 2. Quadrag.

POst exantlatos triginta trium annorum gravissimos labores, ac superatos sævissimæ passionis ac mortis dolores, demum Christus ad cœlum ascendit, quietam sessionem, & regni cœlestis possessionem ad dexteram Patris acceptaturus. Aderat spectator gloriosæ hujus ascensionis pusillus credentium grex, fixis in cœlum oculis, ad eandem cum Dei Filio sessionem, & stationem suspirantes, quibus Angeli in albis vestibus assistentes dixerunt: *Viri Galilæi, quid statis aspicientes in cœlum.* Quasi dicerent, non esse modò in hac vita faciendam stationem, nec firmæ mansionis, aut quietæ sessionis locum esse, sed laborandum, pugnandum, si ad Christi in cœlo sessionem admitti velimus. *Vide Disc. 14.*

Item, quantum gaudium habeant animæ beatæ superatis mundi periculis? *Disc. 52.*

DOMINICA INFRA ASCENSIONEM.

Thema.

Cùm venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis à Patre. *Ioan. 15. v. 26.*

PROPOSITIO.

Terrenis inhians, non potest gaudere consolationibus cœlestibus. Vide Dom. 2. Epiph.

PAraclitus idem est, ac Consolator; dicitur autem Consolator Spiritus sanctus, quia interna consolatione influit in animam, eamque confortat. Hunc quidem Paraclitum cum cœlesti con-

consolatione omnes expectamus, non tamen ad omnes venit, nec in omnes cœlestem suam consolationem effundit, quia scilicet eos non reperit vacuos terrenis deliciis & consolationibus, quamdiu enim ab his evacuata non fuerit anima, cœlestes consolationes infundi nequeunt, quæ terrenis jungi ac misceri se non patiuntur. *Disc. 12.*

N B. *Eadem Concio applicabilis pro Festo Pentecostes.*

FERIA II. PENTECOSTES.

Thema.

Hoc est autem judicium, quia lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quàm lucem. *Joan. 3. v. 10.*

PROPOSITIO.

Deplorat Ecclesia horrendas hæresum exortas tenebras.

Vide supra Dom. Quinquages.

QVid homini acceptabilius, ac consolabilius luce? Quid gravius & molestius tenebris? At perversa hominum ingenia arguit æterna Veritas, qui *dilexerunt magis tenebras, quàm lucem*, nempe *tenebras infidelitatis*, & hæresum, uti Lyranus exponit; has tenebras exortas maximè deplorat, & abhorret Ecclesia *&c Vide Disc 3.*

Lyranus hic.

Beda.

Item, Ven: Beda (citatus à Glossa morali in hunc locum) ait: *Illi magis tenebras, quàm lucem diligunt, qui suos prædicatores bene docentes odiis, & detractionibus insequuntur. Vide suprà Dom. 5. Quadrag. ex Disc. 39.*

FERIA III. PENTECOSTES.

Thema.

Qui non intrat per ostium in ovile ovium, sed aliunde ascendit, ille fur est, & latro: Qui autem intrat per ostium, pastor est ovium. *Joan. 10. v. 1.*

PROPOSITIO.

Ecclesia per ambitiosum & tumultosum ad dignitates ascensum per magnates turbatur, & pervertitur.

Vide Dom 4. Quadr.

NOtat Hugo Cardinalis, quòd *duplex est ingressus in ovile Domini, sive in Ecclesiam: Unus est ovis, ut scilicet sit de Ecclesia, alter est pastoris, ad culmen prælationis & regiminis.* De hoc posteriori ingressu maximè loquitur Christus, dum ait: Qui non intrat per ostium in ovile, ad dignitates, sed aliunde ascendit, ambitiosè se intrudens, vel uti Hugo ait, *aliunde, non propter Christum, neque à Christo vocatus. Et quem non introduxit mea charitas, sed propria cupiditas:* Ille fur est, & latro, quia sua ambitione alienum honorem surripiens, periculosissimè Ecclesiam, & ovile Dei perturbat, & mactat. *Disc. 29. & suprà Dom. 4. Quadrag.*

Hugo hic.

Aliter Hugo. Qui autem intrat per ostium, pastor est ovium *ab officio pascendi oves, contra illos, qui se, non oves pascunt. Vide suprà Dom. 2. Paschæ ex Disc. 11.*

DOMINICA I. PENTECOSTES.

Thema.

Estote misericordes, sicut & Pater vester misericors est. *Luc. 6. v. 36.*

PROPOSITIO.

Deus misericors omnibus, quantumvis enormibus peccatoribus misericordiam exhibere paratissimus est.

AD misericordiam etiam inimicis exhibendam, Patris cœlestis exemplo movere nos conatur Dei Filius, *Estote misericordes, sicut & Pater vester misericors est.* Est autem cœlestis Pater (sicut Hugo observat) *misericors in expectando*, dissimulans peccata hominum. *Item in recipiendo*: Cùm autem

Hugo Card hic. Sap. 11 v. 24.

tem longè esset, vidit eum Pater ejus, & occurrens cecidit super collum ejus. *Item in condonando.* Non habentibus illis unde redderent, donavit utrisque. Et plane misericors, & benignus est, ait Hugo, *quia peccatores longanimiter expectat ad pœnitentiam, ut fiant filij ejus, & revertentes clementer suscipit ad veniam.* De hac ergo Dei misericordia in præsenti. *Vide Disc. 50.*

Luc. 15. v. 20. Luc. 7. v. 42.

Item, alter alterius onera portare debet, & supportare infirmitates. *Disc. 49. infrà Dom. 3. Pentec.*

DOMINICA II. PENTECOSTES.

Thema.

Homo quidam fecit cœnam magnam, & vocavit multos. *Luc. 14. v. 16.*

PROPOSITIO.

Deplorat Ecclesia multis parvulis tam panem SS. Eucharistiæ, quàm verbi Dei fuisse subtractum.

PEr cœnam hanc aliqui Verbi divini incarnationem, alij paratam fidelibus (per verbi Dei prædicationem) refectionem, sanctus verò Cyrillus, & Glossa moralis sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum intelligunt, unde etiam hæc parabola infra Octavam sanctissimi Corporis legitur ab Ecclesia, & huic Venerabili Sacramento adaptatur. Sed post hanc magnam & publicam institutam à Christo cœnam, ad quam omnes mortales vocavit, tamen deplorandum est quòd tam multis parvulis, & simplicibus ex perversa ministrorum infidelitate, panis hic Eucharisticus, æquè, ac panis verbi Dei subtrahatur. *Disc 21.*

Item, Homo quidam fecit cœnam magnam. Glossa Interl. *Verè beati qui comedunt, sed ditati terrenis, vel curiositati, vel voluptatibus huius mundi, non comedent. Vide Dom. 1. Epiph. & Dom. infrà Ascensionem ex Disc. 22.*

DOMINICA III. PENTECOSTES.

Thema.

Cùm invenerit eam, imponit humeris suis gaudens. *Luc. 15. v. 5.*

PROPOSITIO.

Qualiter invicem portare, & supportare debeamus?

PAstor tam solicitè deperditam, ac reinventam ovem humeris suis portans, est ipse benignissimus Dei Filius, qui languores, & infirmitates nostras portans, atque supportans, non tantùm insigne misericordiæ suę specimen ovibus suis dedit, sed etiam præclarum omnibus fidelibus suis se præbuit exemplum, qualiter quisque proximum suum compatienter supportare, & alter alterius onera portare debeat. *Vide Disc. 49.* Item, Quàm Deus sit misericors etiam erga maximos peccatores. *Supra Dom. 1 Pent. ex Disc. 50.*

DOMINICA IV. PENTECOSTES.

Thema.

Relictis omnibus secuti sunt eum. *Luc. 5. v. 11.*

PROPOSITIO.

Motiva, quare insignes quivis homines relictis omnibus, in voluntaria paupertate, ac Religionis austeritate vivere eligant.

VErum quidem est, quod Petrus *multum reliquit, qui sibi nihil retinuit, qui quantumlibet parum, totum deseruit*, ut confidenter dicere potuerit: *Reliquimus omnia*, id est, *voluntatem habendi* (juxta Glossæ Interl. expositionem) quæ voluntas habendi, vel non habendi in paupere æquè ac divite magna esse potest. Tamen ordinariè loquendo, major in illis voluntatis fervor enitet, & in is, qui nobili, ac copioso loco nati sponte omnibus relictis

Gregor. hom. 1. in Evang. Matth 19. v. 27.

in voluntaria paupertate, Religionis votis se astringunt, quod mundus insipiens capere non potest, præsertim autem acatholici; quare in præsenti eas rationes exponam, quæ tales ad omnia relinquenda, & mundi pompis renuntiandum movent, & movere debent. *Vide Disc. 5.*

Item, *per totam noctem laborantes.* in hoc mundo non datur quies, aut sessio. *Disc. 14. supra Dom. 2. Quadrag.*

DOMINICA V. PENTECOSTES.

Thema.

Ego autem dico vobis, quia omnis, qui iratscitur fratri suo, reus erit judicio. *Matth. 5. v. 22.*

PROPOSITIO.

Graviter punit Deus etiam levia peccata, ut gravia eò magis horreamus.

MVltum in justitia sua confidebant Pharisæi, quam tamen non approbat Christus, utpotè quæ in declinandis peccatis tantùm gravibus & externis consistebat; neque multùm de levioribus aut etiam gravibus internis angebantur. Contra hanc ergo harisæorum justitiam insurgit æterna Veritas, & nisi justitia nostra abundaverit plùs, quàm Pharisæorum & scribarum, non intraturos nos regnum cœlorum comminatur. Non enim Deus judicio suo subjicit tantùm actus consummatos, & peccata gravia & mortalia, homicidij, adulterij, sed etiam internos inordinatos animi motus, ac passiones, non sufficienter suppressas, & peccata venialia eáque quandoque graviter punit, ut eò magis graviora horreamus *Vide Disc. 30.*

Item, *Nisi abundaverit justitia vestra plùs quàm scribarum & Pharisæorum.* Parvuli, magnatum & principum scandalis in ruinam trahuntur. *Disc 9. infrà Dom 17. Pentecost.*

DOMINICA VI. PENTECOSTES.

Thema.

Cùm turba multa esset cum Iesu, nec haberent, quod manducarent, ait: misereor super turbam. *Marci 8. v. 1.*

PROPOSITIO.

Anima peccatrix pro vilissimo terrenæ consolationis cibo, pretiosissima sua largitur.

TVrbæ se sequenti miseretur Christus, eámque sponte non tam corporalis alimenti quàm spiritualis consolationis pane reficit, hunc qui esurit, beatus est; sed infelix ille, qui vilissimos tantùm terrenæ consolationis cibos esurit, ijsque fruendis non tantùm vitiorum desertum ingreditur, sed etiam pretiosa quæque pro vilissimo hoc cibo largitur. *Vide Disc. 22.*

Item in summa necessitate subvenit Deus. *Disc. 47. supra Dom. 2 Epiph.*

DOMINICA VII. PENTECOST.

Thema.

Veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. *Matth. 7. v. 15.*

PROPOSITIO

Deploranda falsitas amicorum, qui & proximo, & Ecclesiæ illudunt.

LVpos ovina pelle contectos communiter hæreticos intelligunt Expositores, qui simulata pietate, & larvata mansuetudine, lupinam indolem, & malitiam contegunt Sed non minùs per lupos istos, ovina pelle contectos, amicos falsos intelligi velim, qui verbis mansuetis, gestibus per humanis, promissionibus charitativis, se oves candidissimas & sincerissimas simulant, sed intus, tanquam sævissimi lupi; dentes in asiorum ruinam acuunt, & ficta amicitia & proximo & Ecclesiæ Dei illudunt. *Vide Disc. 41.*

Item, Magnates punctum honoris non in generosis & virtuosis, sed vitiosis actibus, vanitatibus, & fallacijs ponunt. *Disc. 31. Vide supra Domin. 3. Epiph.*

DOMINICA VIII. PENTECOST.

Thema.

Facite vobis amicos de Mammona iniquitatis, ut cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula. *Luc. 16. v. 9.*

PROPOSITIO.

Peccator amicos sibi deligit mundi delitias, divitias, & honores, quos in morte sibi gravissimos sentiet esse inimicos.

PEr Mammonam, id est divitias amicos sibi faciendos Christi pauperes, ac Sanctos suadet æterna Sapientia ut, cùm defeceritis, nempe *à præsenti vita* (uti Lyranus glossatur) recipiant vos in æterna tabernacula. Sed hos amicos parum curat anima peccatrix, & vanitatibus immersa, quæ suam amicitiam cum deliti s, divitijs, & honoribus facit, sed cùm incipiet deficere, & migrare à præsenti vita, tum primùm experietur, hos sibi gravissimos fore inimicos, à quibus angustetur. *Vide Disc. 42.*

Lyranus hic.

Item, Tribulatio est schola. *Scio quid faciam* &c. *Disc. 26. supra Domin. 2. Adv.*

DOMINICA IX. PENTECOSTES.

Thema.

Videns civitatem flevit super illam. *Luc. 19. v. 41.*

PROPOSITIO.

Ex quibus causis nobis flendum sit, quæ quidem sunt gravissimæ.

VAni parentes vanis filijs magistros constituuut vanitatis, qui eos & saltare, & cantare doceant. Se quoque Magistrum nobis præbuit Dei Filius, & erudiendis nobis de cœlo descendit: Non autem nos aut saltare, aut choreas agere, aut sonare cytharam & organum, aut vanos cantare modulos, sed flere docuit, suo exemplo: *videns civitatem flevit super illam.* Discamus ergo à cœlesti hoc Magistro fletum, & imprimis, quibus ex causis, (quæ quidem gravissimæ sunt) nobis flendum sit, investigemus. *Disc 34.*

Item, *coangustabunt te* &c. Delitiæ, divitiæ, honores, quos amicos habuimus in vita, tanquam inimici in morte circumdabunt nos. *Disc. 42.*

DOMINICA X. PENTECOSTES.

Thema.

Descendit hic justificatus in domum suam. *Luc. 18. v. 14.*

PROPOSITIO.

Anima per peccatum fœdata, per pœnitentiam pristinæ restituitur pulchritudini.

UTi nihil pulchrius anima, gratia sanctificante, vestita & ornata, ita nihil fœdius anima peccatis immortua, & gratiæ ornamento privata. Magnum autem hac in parte animæ peccatrici contulit beneficium, dum remedium illi contulit pœnitentiæ, qua anima (peccatorum prius fœtore fœdata) justificatur, & per gratiam sanctificantem, & habitualem pristinæ rursus restituitur pulchritudini. *Disc 38.*

Item, Contritio quantæ sit efficaciæ, & quomodo elicienda. *Disc. 24.*

DOMINICA XI. PENTECOSTES.

Thema.

Et apprehendens eum de turba seorsum, misit digitos suos in auriculas ejus. *Marci 7. v. 33.*

PROPOSITIO.

Anima in iuventute in captivitatem à vitijs redacta, vix, & non nisi

nisi potenti Dei manu liberari potest.

Mirum, quòd Christus, cœlestis ille Protomedicus, qui non solùm cæcos & claudos, ægros ac paralyticos uno verbo sanavit, sed etiam mortuos suscitavit, tantam violentiam in surdo & muto hoc homine adhibeat, digitos mittendo in auriculas, expuendo, sputo linguam tangendo, in cœlum suspiciendo, ingemiscendo, & clamando Ephphetha, quod est, adaperire? Nempe surdus & mutus iste peccatricem animam in malo inveteratam significat, quæ à vitijs à juventute in captivitate redacta vix & non nisi magna violentia, & potenti Dei manu liberari potest.

Item, Pœnitentia & conversio dilata, semper est difficilior. *Dis.* 28 *Vide infrà Dom.* 23. *Pentecost.*

DOMINICA XII. PENTECOST.

Thema.

Samaritanus autem quidam iter faciens, venit secus eum, & videns eum misericordia motus est. *Luc.* 10. *v.* 33.

PROPOSITIO.

Jacet Ecclesia vulnerata, sed tamen transeunt omnes status, nec est, qui munus Samaritani obire velit.

PErsonam miserè à latronibus vulneratam, ac spoliatam, plerumque intelligunt humanam naturam per peccatum originale miserè læsam, ac justitia originali spoliatam, cui nemo miseratus est, donec cœlestis Samaritanus infuso vulneribus, non tantùm vino & oleo, proprio sanguine eam curandam suscepit. Sed & per eandem vulneratam personam, Ecclesiam Dei & à Paganis, & ab hæreticis fævè nimis spoliatam ac vulneratam intelligere mihi liceat, cui tamen nemo Samaritani officium exhibere sustinet, sed transeunt & Sacerdotes & Levitæ, Magnates sæculares & Ecclesiastici, nec afflictam consolari, aut juvare curant. *Vide Disc.* 23.

Item, Quibus bonis anima per peccatum spolietur? *Disc.* 20. *infrà Dom.* 21. *Pentec.*

DOMINICA XIII. PENTECOST.

Thema.

Occurrerunt ei decem viri leprosi, qui steterunt à longè. *Luc.* 17. *v.* 12.

PROPOSITIO.

Quàm periculosa sit societas malorum, maximè hæreticorum.

LEpra peccatum, maximè autem hæresim denotat: steterunt autem decem leprosi à longè, *tum propter Christi reverentiam* (teste Lyrano) *tum quia non debebant appropinquare sanis hominibus, ne eos inficerent*; Nihil enim sanæ menti ita periculosum, ac societas malorum, maximè autem hæreticorum, qui sanie sua facilè sibi appropinquantes inficiant. *Vide Disc.* 37. Lyranus hic.

Item, *mundati sunt.* Anima per pœnitentiam, pristinam recuperat pulchritudinem. *Disc.* 38. *suprà Domin.* 10. *Pentec.*

DOMINICA XIV. PENTECOST.

Thema.

Nemo potest duobus dominis servire. *Matth.* 6. *v.* 24.

PROPOSITIO.

Deplorat Ecclesia fideles suos, in bono instabiles, à primævo, serviendi Deo, fervore recessisse.

TOto corde Christiani primitivæ Ecclesiæ adhærebant Deo, in quibus ne Mammona partem haberet, haud gravanter omnes divitias, tanquam lutum calcabant, & relinquebant: sed modò Christiani ita Deo servire cupientes, ne tamen Mammonæ renuntiare debeant, divitijs scilicet, imò & delici-

ci,s,

tijs, & vanitatibus, fluctuant quasi, & instabiles sunt in bono, & sic à primo fervore primitivæ Ecclesiæ multùm recesserunt. *Disc. 15.*

Item, Mammonam, id est, pecuniam, divitias, Deum suum constituunt mortales, in quo in necessitate sua confidunt, sed in morte se deceptos sentient. *Disc. 42.*

DOMINICA XV. PENTECOST.

Thema.

Defunctus efferebatur filius unicus matris suæ. *Luc. 7. v. 12.*

PROPOSITIO.

Fuit misericordiæ, quòd Deus hominem fecit mortalem.

SVmmum vindictæ divinæ genus æstimant homines, quòd Deus se fecerit mortales & celerandæ mortis necessitate obnoxios; sed supposito jam statu lapso, & iustitiæ originalis privatione si vitæ nostræ miserias proximiùs inspiciamus, divinæ fuisse misericordiæ intelligemus, quòd Deus hominem fecit mortalem. *Disc. 32.*

Item, *Noli flere.* Ex quibus causis flendum sit? *Disc. 34. suprà Dom. 9. Pentecost.*

DOMINICA XVI. PENTECOST.

Thema.

Si licet Sabbatho curare? *Luc. 14. v. 3.*

PROPOSITIO.

Sabbatha & Festa Christianorum hostibus fiunt contemptibilia, eò quòd Christiani in ijs otio, lusibus, & petulantijs vacent.

UTi pueriles magis, quàm zelosi, aut scrupulosi in observatione Sabbathi fuerunt Iudæi, ita dissoluti nimis, & laxi in celebrandis Festis & Sabbathis sunt moderni Christiani, & hoc non tam in operibus servilibus, quàm etiam in operibus malis, & lascivis, quibus dum quàm maximè in diebus Festivis, & Sabbathis vacant, deridere incipiunt infideles Festa & Sabbatha nostra. *Disc. 13.*

Item, *Cùm invitatus fueris, non discumbas in primo loco.* De ambitione, quam ea sit tumultuosa & periculosa. *Disc. 29. suprà Dom. 4. Quadrag. & Feria 3. Pentec.*

DOMINICA XVII. PENTECOST.

Thema.

Accesserunt ad Iesum Pharisæi, & interrogavit eum unus, tentans eum. *Matth. 22. v. 35.*

PROPOSITIO.

Plangit Ecclesia parvulos, maximè magnatum ac præpositorum scandalis, in ruinam trahi.

PHarisæi, Scribæ, ac Principes populi non tam verbis, quàm exemplis populum ad Dei, veriqueMessiæ agnitionem trahere debebant, sed hi maximè à Christo populum avertere, tentando, & dolosè interrogando, sinistrè loquendo, & traducendo conabantur, & sic verbo & exemplo ad ruinam parvulos trahebant; quod hodiéque de magnatibus ac præpositis suis deplorat Ecclesia, qui verbis & scandalosis exemplis ad interitum parvulos trahunt, quibus ad Dei agnitionem, & vitæ puritatem, duces esse deberent. *Vide Disc. 9.* Glossa interlin.

Item, *Magister, quod est mandatum magnum in lege?* &c. Viam perfectionis hic legis Doctor inquirit, tentans eum, quæ tentatio (juxta glossæ expositionem) *non est mala, sed cauta volentis amplius experiri ignotum.* Adeóque perfectionis avidum se monstravit, cùm hodie deploret Ecclesia, paucos per viam perfectionis incedere, aut eam inquirere. *Disc. 7. suprà Dom. Septuag.*

DOMI-

DOMINICA XVIII. PENTEC.

Thema.

Confide fili, remittuntur tibi peccata tua. *Matth. 9. v. 2.*

PROPOSITIO.

Pœnitentia avertit pœnas temporales.

Mirabantur hanc in curando Paralytico methodum Iudæi, dum Christus priùs de dimissis peccatis assecuratum, deinde surgere, & tollere lectum jubet. Sed aptissimus iste fuit curandi modus, ait Glossa, nam *priùs dimittit peccata, causam morbi, post curat corpus.* Quoniam enim, ex mente Lyrani, *infirmitas hæc fuerit inflicta paralytico propter peccatum illius*, non nisi contrito & post dimissum peccatū, pœna infirmitatis auferri poterat: nam sicut peccatum pœnas temporales attrahit, ita eas contritio, & pœnitentia avertit. *Disc. 51.*

Gloss. Ordin.

Lyranus. Vide Cornelium hic.

Item, *Offerebant ei paralyticum* &c. In necessitatibus, non ad mundum, aut dæmonem, sed ad Deum, qui juvare potest, recurrendum est. *Disc. 36.*

DOMINICA XIX. PENTEC.

Thema.

Simile factum est regnum cœlorum Regi, qui fecit nuptias filio suo. *Matth. 22. v. 2.*

PROPOSITIO.

Ecclesia Christo desponsata, & magno populorum concursu fœcundata, nunc sedet quasi sola, & vidua.

NVptias cum humana natura celebravit Christus in sua Incarnatione: item, quotidie celebrat nuptias cum anima in conversione peccatorum, & denuò solemnes celebravit nuptias cum Ecclesia. De posterioribus istis nuptijs asserit Hugo Cardinal. quòd *fuerunt initiatæ per Moysis sponsionem, ratificatæ per Angeli salutationem, & consummatæ per Verbi Incarnationem.* Ad regales has nuptias cum muneribus accurrerunt Magi, primitiæ gentium, post quos magnus confluxit populorum ex toto orbe concursus ad nuptias, & nuptiale convivium implendum. *Leva in circuitu oculos tuos & vide, omnes isti congregati sunt, venerũt tibi.* Sed modò sponsa Ecclesia, olim plena populo, sedet quasi sola, & quasi vidua. *Vide Disc. 1.*

Hug. Cardinal. in Ioan. c. 2. v. 1.

Isa. 49. v. 18.

Item, *Vidit ibi hominem, non vestitum veste nuptiali* &c. *mittite in tenebras* &c. Deus etiam peccata, quæ nobis levia parent, graviter punit. *Disc. 30. suprà Dom. 5. Pent.*

DOMINICA XX. PENTECOST.

Thema.

Incipiebat enim mori. *Joan. c. 4. v. 47.*

PROPOSITIO.

Amaritudo mortis per Christi passionem, & alia pia exercitia mitigatur & dulcoratur.

MOrs omnium terribilium terribilissimum à Philosopho proclamatur, éstque omnium amaritudinum compendium, & quinta essentia, quam homo mori incipiens meritò horret. Quare operæ pretium est, ut quivis de tali sibi provideat remedio temperativo, quo excessiva illa amaritudo dulceretur, hoc autem est ipsa amara Christi mors & passio, quæ sua amaritudine mortis nostræ amaritudinem temperat, & eam dulcem nobis reddit, prout per pia exercitia in sequenti demonstrabo. *Vide Disc. 46.*

Item, *Rogabat eum, ut descenderet & sanaret filium eius, incipiebat enim mori.* Pœnitentia dilata semper evadit difficilior. *Disc. 28.*

DOMINICA XXI. PENTECOST.

Thema.

Jussit eum Dominus ejus venundari, & uxorem, & filios,

& omnia, quæ habebat. *Matth. c. 18. v. 25.*

PROPOSITIO.

Quibus anima bonis per peccatum spolietur?

SErvus nequam est, juxta expositionem Glossæ moralis, *quilibet peccator*, qui Deo debitor est decem millium talentorum *Debitum valde magnum*, (addit præfata Glossa) *quia tanta est offensa, quantus est ille, qui offenditur.* In istum ergo justo judicio animadvertit Deus, & uxorem, & filios illi auferendo. Per uxorem intelligit eadem Glossa delectationem pravam, per filios autem actus malos inde procedentes. Verùm S. Gregorius (de Sedeciæ Regis infelicissimi captivitate loquens) per filios præcedentia opera bona, & collectos meritorum thesauros intelligit, quibus omnibus peccator unà cum aliis bonis possessis spoliatur. *Disc. 20.*

Glossa Moralis.

Item *Misertus autem Dominus servi illius dimisit eum, & debitum dimisit illi.* Quàm misericors in peccatores sit Deus. *Disc. 30. suprà Dom. 1. Pent.*

DOMINICA XXII. PENTEC.

Thema.

Cujus est imago hæc, & superscriptio? *Matth. 22. v. 20.*

PROPOSITIO.

Finis ultimus animæ rationalis est Deus, diligendus & fruendus, à quo fine si anima declinat, toto cælo aberrat.

NVmisma census exhiberi sibi à fraudulentis Pharisæis petijt Christus, imagine cæsaris insignitum. Moraliter (ait Doctor Seraphicus) *Nummus iste est anima ad imaginem Dei facta.* Cui Deus imaginem suam impressit, ut sciret anima & agnoscere, quòd ipse Deus, non tantùm sit causa illius efficiens, & exemplaris, sed etiam finalis, facta scilicet non tantùm à Deo, & ad imaginem Dei, sed etiam ad diligendum & fruendum Deum, tanquam ultimum suum finem: Vti Augustinus exclamat: *Inquietum cor meum Deus, inquietum cor meum, donec veniam ad te, qui factus sum ad te.* Iste ergo est ultimus finis impressus animæ nostræ, cujus recordari semper debemus, à quo si anima declinat, toto cœlo aberrat. *Vide Disc. 18.*

S. Bonav. se. 2 Dom 22 Pentec.

Item *Cognita Jesus nequitia eorum*, id est, *dolositate*, juxta Glossam interlinear. De amicorum falsitate. *Disc 42. suprà Dom. 17.*

DOMINICA XXIII. PENTEC.

Thema.

Domine, filia mea modò defuncta est. *Matth. 9. v. 18.*

PROPOSITIO.

Anima pœnitentiam differens, eam semper reperit difficiliorem.

S. Matthæus (uti Glossa, Cornelius, & alij observant) brevitati studens, ac rei substantiam potiùs, quam historiæ seriem attingens, puellam jam defunctam scribit, quam tamen S. Marcus & Lucas nondum scripsere mortuam, cùm primùm nuncij in via eam defunctam retulerint. Sentit S. Chrysost. & Theophilactus, filiam à morte dictam fuisse mortuam, id est, morti proximam, solent enim miseri æruminas suas augere, ut facilius opem impetrent. Sed ut ut sit saltem in hoc summa apparet patris in procuranda salute filiæ solicitudo, & accelerata cœlestis medici vocatio. Puella defuncta est anima peccatrix, cui per pœnitentiam suscitandæ omnis mora periculosa, quo diutiùs enim pœnitentia differtur, eò difficilior redditur animæ peccatricis salus. *Vide Disc 28.*

Vide Cor. Maldonatum hic.

Item, *Cùm vidisset tibicines & turbam tumultuantem, dicebat: Recedite.* Hugo *Turbam amicorum carnalium, vel turbam reproborum, item hæresium*

sum &c. Mala societas nociva, & ejicienda. *Vide Disc. 37. & supra Dom. 13. Pentecost.*

Item, in domo moritur puella: domus est corpus, filia anima quam mors peccati necat. Sed quomodo ad eam mors intrat? Per domum: at ubi? Per senestras, & portas sensuum externorum. *Vide Disc. 8.*

DOMINICA XXIV. PENTEC.

Thema.

Cùm videritis abominationem desolationis (quæ dicta à Daniele Propheta) stantem in loco sancto. *Matth. 24. v. 15.*

PROPOSITIO.

Deplorandum, quòd nulla Ecclesiis habeatur reverentia, in quas immundæ gentes, id est, concupiscentiæ, & carnales sensus ingrediuntur.

MVltis & quidem gravissimis scelebus oneratus erat Iudæorum populus, maximè fuso innocente Christi sanguine reus; hæc tamen omnia enormia licet crimina nondum iram Dei ad excidium urbis ac templi faciendum compleverunt, donec abominatio in loco sancto templum irreverentur dehonestavit. Hanc abominationem, (quo templum fuit violatum) putant aliqui fuisse imaginem cæsaris à Pilato in templo collocatam, vel statuam Adriani, alij idolum, alij peccata Sacerdotum in templo commissa, item profanationem per homicidia & scelera à seditiosis Iudæis perpetrata in templo *&c.* Quæ quasi complementum fuerunt iræ divinæ ad templum, & urbem sanctam penitus evertendam.

Nunquid in templis nostris Christianis hodiéque talia desunt idola, imagines profanæ, & scelerum abominationes, quæ devastandæ Ecclesiæ nobis comminantur excidium? *Vide Disc. 19.*

Item, Mundus flagellis non emendatus, gravioribus à Deo pœnis animadvertitur, de quibus non possit surgere. *Disc. 27. supra in Dom. Palmarum.*

Exordia

Pro omnibus Festis per annum, ad quæ Discursus de planctu Ecclesiæ & animæ applicari possunt.

IN FESTO S. ANDREÆ.

Thema.

Illi autem, statim relictis retibus, & patre, secuti sunt eum. *Matth. 4. v. 20.*

PROPOSITIO.

Ex quibus motivis Catholici nostri plurimi, etiam potentes, relictis omnibus Christum sequantur in statu Religioso?

AQuila ætate gravis, juventutem suam renovatura, versus solis rotam volans, se accendit, ac postmodum in fonte se refrigerans, abjectis plumis vetustis renovatur, cui appositè hæc inscribas verba: ABIECISSE IVVAT. Sic & Andreas Apostolus cum fratre antiquam abjecturus vitam, divino accensus amore, relictis & abjectis omnibus terrenis, secutus est Christum; non minus etiam hodie terrena omnia abjecisse juvat illos, qui spretis mundi divitijs & delitijs, religiosam & Apostolicam aggrediuntur vitam, stupente mundo & maximè Acatholicis; ex quibus motivis tales impellantur, & impelli debeant, in præsenti. *Disc. 5.*

S. NICOLAI EPISCOPI.

Thema.

Venit Dominus servorum illorum, & posuit rationem cum eis. *Matth. 25. v. 19.*

PROPOSITIO.

Præpositi tam Ecclesiastici, quàm sæculares magis sibipsis, quàm pascendo gregi invigilant.

APis solicito labore, collecto ex floribus rore, ac succo mel conficit, non ad se solùm pascendam, sed ut in communem illud usum, & utilitatem conferat: hinc de illa: VT PROSIM. Apes argumentosæ, sunt primates quique tam Ecclesiastici, quam sæculares, qui in colligendo melle nullam non habent industriam, & solicitudinem, sed ut semetipsos tantùm pascant, qui tamen à Deo ad hoc constituti sunt, *Ut prosint*, subditis suis, & istorum, non suæ attendant saluti, & utilitati. *Vide Disc. 11.*

S. THOMÆ APOSTOLI.

Thema.

Nisi videro in manibus ejus fixuram clavorum, non credam. *Joan. 20. v. 25.*

PROPOSITIO.

Peccator cadere incipiens, rarò in primo peccato sistit.

PIla in terram semel ubi fuerit projecta, NON CASV SISTITVR VNO, sed licet à terra resiliens, iteratum tamen toties repetit casum, donec omnino cadendo quiescat. Haud secus peccator. si semel maligni hostis impetu fuerit prostratus, quasi pila repetit casum, nec in uno sistitur lapsu: sic Thomas in incredulitatem lapsus, hinc Vide Cornelium hic.

cecidit in ſuperbiam, de ſuperbia in irreverentiam, de irreverentia in præſumptionem, de præſumptione in obſtinatam pertinaciam &c. Peccator enim *Non caſu ſiſtitur uno. Vide Diſc. 6.*

S. STEPHANI PROTOMART.

Thema.

Jeruſalem, Jeruſalem, quæ occidis Prophetas, & lapidas eos, qui ad te miſſi ſunt. *Matth. 23. v. 37.*

PROPOSITIO.

Prædicatores veritatem annuntiantes mundus perſequitur.

SAxorum impetuoſo tactus imbre S. Protomartyr Stephanus primus Martyris coronam poſt glorioſam Chriſti paſſionem adeptus eſt, cui ſe duriſſima ſaxa exhibuerunt Iudæi, nam ſicut ſaxa PERCVSSA SCINTILLANT, ſic Iudæi Prophetarum ac poſtea Apoſtolorum exhortationibus tacti, ſcintillare, & excandeſcere viſi ſunt, occidendo prophetas, & lapidando eos, qui ad ipſos miſſi erant; obſtinata Iudæorum corda, etiam moderna imitatur Chriſtianorum turba, quæ veritatis ictibus *Percuſſa ſcintillat*, & in veritatis præcones perſecutionibus exardeſcit. *Vide Diſc. 39.*

S. IOANNIS EVANGELISTÆ.

Thema.

Vidit illum diſcipulum, quem diligebat Jeſus. *Joan. 21. v. 20.*

PROPOSITIO

Chriſtiani non ampliùs de ſordibus peccatorum erubeſcunt.

AGnellus externo corporis, interaum quaſi animi candorem ſocians, inſcriptionem meretur: INTVS & EXTRA. Agnellus intus & extra puritate candidiſſimus erat Dei Filius, qui ſimili gaudens, ſupra alios diſcipulos diligebat Ioannem, ſcilicet Virgo virginem, Agnus agnum puritatis ſuæ æmulum. Tales quoque agnos Chriſtus deſiderat eſſe omnes fideles eóſque Petro commendans ait: *Paſce agnos meos*, qui intus & extra puri, omnem horreant turpitudinis fœtorem; ſed prô dolor, videas hodie agnos & oves Chriſti, haud ſecus quàm porcos in peccatorum, ac turpitudinum ſordibus volutari, de quibus ne quidem ampliùs erubeſcunt. *Vide Diſc. 17.*

SS. INNOCENTIVM.

Thema.

Occidit omnes pueros, qui erant in Bethlehem, à bimatu, & infrà. *Matth. 2. v. 16.*

PROPOSITIO.

Ambitio tumultuoſa omnia perturbat.

QVadrupedia ex utero matris egreſſa non ſtatim tamen repunt, ne dicam ambulant, aut currunt. Aviculæ rupto ovo inducias requirunt pro volatu. At piſces VIX NATI NATANT, adeóque ipſis coëvum eſt, vivere, & natare. Piſces dixeris SS. Innocentulos martyres, qui vix nati, jam in proprio natabant ſanguine. Et quis cruentam hanc Natatoriam paravit Innocentulis, niſi tumultuoſa, & inquieta regnandi libido, & ambitio? nam perdendi regni metu, conturbatus Herodes, natum Regem ſceptro ſuo æmulum delere in incunabulis tentabat, hac ambitionis, & regnandi libidine, quaſi ſæva tempeſtate etiamnum Dei Eccleſia perturbatur. *Vide Diſc. 29.*

S. AGATHÆ VIRG. & MART.

Thema.

Si licet homini dimittere uxorem ſuam, quacunque ex cauſa. *Matth. 19. v. 3.*

PROPOSITIO.

Anima à Deo ſeparata, eſt quaſi vidua.

HEdera ut semel firmam amplexa est plantam, inseparabilis, etiam arida, inhæret, ut merito inscribatur hederæ: NUNQUAM DIVELLAR, vel etiam, ET ARIDA TECUM. Hederam dixeris animam amantem, hederam virentem S. Agatham virginem quæ inseparabiliter Deo suo adhærens, cum Apostolo gloriari videbatur: Quis nos separabit à charitate Christi? neque mors, neque vita, neque gladius neque persecutio. *Nunquam divellar*, etiam *Arida tecum*, nec separari me patiar *quacunque ex causa*. Sic Deo suo, & sponso quævis adhæret anima Christiana, ut tanquam hedera, nunquam divelli, aut separari se patiatur, quid enim hac separatione formidolosius, dum anima à Deo separata, licet aliarum creaturarum suffulta præsidio, in earum tamen multitudine, sola erit, atque desolata vidua. *Vide Disc. 2.*

S. MATHIÆ APOSTOLI.

Thema.

Venite ad me omnes, & ego reficiam vos. *Matth. 11. v. 29.*

PROPOSITIO.

Devitiæ, delitiæ, honores refectionem spondent animæ peccatrici, à quibus tamen in morte derelicta, eos sibi experietur inimicos.

SOlare horologium exorto sole monstrandis inservit horis, & migrante ad occasum sole tota versum in umbram, monstrare desinit, de quo appositè: OCCIDENTE DESINO. Invitat nos ad reficiendum divina bonitas. *Veni e ad me omnes, & ego reficiam vos.* Sed sublevantis divinæ bonitatis consolationem, & amicitiam recusat peccator, sub vanis potiùs devitis delitijs & honoribus umbram quærens, refectionem & amicitia, sed quamdiu hæc durabunt? Quamdiu hac luce mortalis vitæ fruimur, nam *occidente desinit*, & expirante vita, ac morte appropinquante omnis evanescit amica consolatio, quæ in mortalem umbram, & formidandam vertetur inimicitiam.

S. GEORGII MARTYRIS.

Thema.

Si quis in me non manserit, mittetur foras, sicut palmes, & arescet, & colligent eum, & in ignem mittent, & ardet. *Joan. 15. v. 6.*

PROPOSITIO.

Magnates & nobiles punctum honoris, non in generosis & virtuosis, sed vitiosis actibus & vanitatibus ponunt.

VErmiculos de nocte subinde videmus lucidos, qui ita falsa sua luce hominum oculis de longè affulgent, ut verum lumen, aut lampadem æstiment, cùm autem propriùs res inspicitur, contemptibilis solùm vermiculus esse deprehenditur, qui inane post terga jubar habet, de quo verissimè dicas: SPLENDORE ILLVDIT INANI. Fictum plerumque splendorem, & ementitum virtutis jubar vitia gerunt, ac mundi vanitates, in quo mundani quique nobiles, ac magnates suum splendorem, ac punctum honoris ponunt: sed quid hæc sunt, nisi lucidi vermiculi, imò subinde igni vomi dracones, quos cum sancto & Christiano equite Georgio prosternere, ac in vero virtutis lumine punctum veri honoris quærere deberent. *Vide Disc. 31.*

S. MARCI EVANGELISTÆ

Thema.

In processione solemni.

Petite, & dabitur vobis. *Luc. 11. v. 9.*

PROPOSITIO.

In necessitatibus ille adeundus, qui juvare

juvare potest, nempe Deus, non mundus, non diabolus.

DVlcter quidem sonat fistula, etiam sola, sed longè dulcius ac suavius multæ fistulæ simul in uno conjunctæ sonant organo, quippe CONIVNCTÆ SVAVIVS. Suavis quidem in auribus Divinæ majestatis est oratio, quam quis solus, in occulto, & clauso ad Deum emittit ostio, sed suavior longè, & ad divinam clementiam movendam efficacior, si conjunctæ multorum supplices ad cælum intonent voces, *Conjunctæ suavius*, & efficacius. Conjunctis igitur ad Deum recurramus vocibus, ac orationibus, hic est enim ille, qui juvare & vult, & potest: non autem divisis & vijs, & animis recurrendum ad alios vanos auxiliatores, mundum scilicet, aut ipsum etiam subinde dæmonem, qui juvare non potest. *Vide Disc 36.*

Item causæ, quare non exaudiantur orantes. *Disc. 35*

SS. PHILIPPI ET IACOBI Apostoli.

Thema.

Domine ostende nobis Patrem, & sufficit nobis. *Joan. 14. v. 8.*

PROPOSITIO.

Pauci viam virtutis, & perfectionis ingrediuntur.

S. Augustin. tract. 26. in Ioan.

PRæclarè notat S. Augustinus: *Ramum viridem ostendis ovi, & trahu illam.* Sed si ostenso ramo ovi, trahitur, cur non ostenso & cognito Deo trahatur potiùs anima, ad quem innatam habet sympathiam & inclinationem? Hinc tam ardenter à Magistro suo divino Philippus efflagitat: *Domine ostende nobis Patrem & sufficit nobis*: Nam OSTENDERE SVFFICIT, & ovis ramum insequitur ostendere, & cognoscere sufficit Deum, & anima trahitur sed conqueritur meritò Christus erga Christianos quod post tantam Patri sui ostensionem atque cognitionem, vix tamen reperiatur, qui illius sequi perfectionem velit, & perfectus esse, sicut Pater cœlestis perfectus est, cùm pauci viam perfectionis ac sanctitatis, moderno tempore, ingredi, atque aggredi sustineant.

INVENTIONIS SS. CRVCIS.

Thema.

Tu es Magister in Israël, & hæc ignoras? *Joan. 3. v. 10.*

PROPOSITIO.

Tribulatio & crux, est schola.

ESt homo in sua pueritia quasi tabula rasa, omni scientiæ decore privatus, habilis tamen ad omnes virtutum ac scientiarũ species recipiendas quem in finem scholas erigere, & gymnasia perneccssarium fuit, in quibus tamen nec sine labore nec sine virga addiscitur sapientia: de virga enim bene Salomon: TRIBVIT SAPIENTIAM. Erudiendis nobis publicam etiam Deus erexit Academiam, nempe scholam Tribulationis, in qua moderandis discipulis adhibet Deus virgam crucis. Hanc nec virgam, nec scholam abhorreamus, *Tribuit* enim *Sapientiam*, & in omnibus nos instruit artibus, & scientijs. *Vide Disc 26.* Prov. 13. v. 10.

S. IOANNIS BAPTISTÆ.

Thema.

Quis putas puer iste erit. *Luc. 1. v. 66.*

PROPOSITIO.

Non possunt consolationes cœlestes stare cum terrenis, & carnalibus.

FVit inter modernos militiæ duces, qui suæ imagini publicis typis datæ hanc inscriberet tesseram militarem: NON BENE CONVENIVNT ARS MILITARIS ET LVXVS. Supervenit

ait quidam, qui seriò jocaturus, paucis adjectis & mutatis literis, pro luxu, luxuriam poneret. Et non absque fundamento. Non enim bene conveniunt Ars militaris & luxuria, licet plurimi eas simul jungere conentur. Deo militaturus in eremum secessit S. Ioannes, duris indutus camelorum pilis: *Non enim bene conveniunt ars militaris & luxus*, sed multò minùs luxuria, aut quævis voluptuosa mundi consolatio ijs convenit, qui Deo militare statuerunt, imò nec fieri potest, ut ars militaris Christiana, atque cœlestis gratiæ influxus & consolatio, cum voluptuosa consolatione, aut stare, aut misceri possit. *Vide Disc. 12.*

SS. PETRI ET PAVLI APOSTOlorum.

Thema.

Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. *Matth. 16. v. 18.*

PROPOSITIO.

Ex defectuosa Pastorum vita, non est eorum reijcienda doctrina.

COngruè Fridericus Imperator pro suo gessit symbolo librum cum gladio hac inscriptione: HIC REGIT, ILLE TVRTVR. Gladius Ecclesiæ, ad faciendum vindictam in nationibus, fuit Paulus Apostolus liber, ex quo Ecclesia solidam Christianæ fidei doctrinam hausit, fuit S. Petrus, sed etiam in hoc libro aliquot contra bonos mores (ante Spiritus sancti adventum) deprehensi fuerunt errores, vanæ gloriæ, & trinæ negationis, per quam Ecclesiæ Petra fuerat concussa: hoc tamen non obstante de Ecclesiæ & Pastoratus principatu à Christo non fuit rejectus Petrus, non enim defectuosa Pastorum vita, sanæ eorum præjudicat doctrinæ. *Vide Disc. 25.*

S. MARIÆ MAGDALENÆ.

Thema.

Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. *Luc. 7. v. 47.*

PROPOSITIO.

Pœnitentia animæ peccatrici pristinam restituit pulchritudinem.

TEla cruda & obscura, solaribus radijs exposita, necdum tamen albescit, donec accedat affusio aquæ, nec sola sufficit aqua, si solares desint radij. tela quippe ALBESCIT VTROQVE. Tela cruda, & peccatorum maculis obscura, erat Magdalena, sed respiciente eam Christo oculis suæ misericordiæ, & decurrente ex ejus oculis pœnitentiæ flumine, & lacrymarum imbre, ejus anima *Albescit utroque*, & taliter albescit, ut multorum primorum sanctorum nitorem, ac pulchritudinem excedat, ut noverit mundus pœnitentiæ effectum, quæ pristinam animæ restituit pulchritudinem. *Disc. 38.*

Item, de effectu contritionis. *Disc 24.*

S. *IACOBI APOSTOLI.*

Thema.

Dic, ut sedeant hi duo filij mei. *Matth. 20. v. 21.*

PROPOSITIO.

Non datur sessio, & quies in hoc mundo.

BOvi durum cervice jugum portanti inscripsit celeberrimus Aresius, NASCITVR AD LABOREM; sed quod de bove Aresius, hoc etiam de homine scribit patiens Propheta *Homo nascitur ad laborem, & avis ad volatum.* Iob. 5. v. 7. Malè ergo vitam omni labore expertem pro filijs rogat mater, *Dic ut sedeant, hi duo filij mei.* Cùm enim homo ad laborem natus sit, non in hac vita requies, aut sessio datur. *Vide Disc. 14.*

S. *LAV-*

S. LAVRENTII MARTYRIS.

Thema.

Igne me examinasti, & non est inventa in me iniquitas. *Psal. 16. v. 3.*

PROPOSITIO.

Fideles in bono instabiles, à primævæ Ecclesiæ fervore multum recesserunt.

CAndela accensa simul atque ardentibus solis radijs exposita, hanc sibi inscriptionem vendicat: GEMINO CONSVMOR AB IGNE. Examinatus, & ustus fuit igne S. Martyr Laurentius, & gemino quidem exteriùs scilicet tormento flammæ sævissimo, interius autem igne divini amoris, & sic *gemino fuit ustus ab igne*; licet Magno Leone teste, *segnior fuit ignis, qui foris ussit, quàm qui intus accendit.* Flagrabat enim tunc in primitivæ Ecclesiæ membris ardentissimè inter persecutionum flammas, intensus charitatis ignis, ac fervor, à quo moderni fideles recesserunt: ideoque in fide, ac virtute sunt instabiles *Vide Disc. 15.*

S. Leo sermon de S. Laurentio.

Item, *Mea nox obscurum non habet.* De nocte hæresum *Disc. 3.*

Item, Deus in extremis casibus & necessitatibus assistit *Disc. 47.*

S. BARTHOLOMÆI APOSTOLI.

Thema.

Pellem pro pelle, & cuncta quæ habet homo, dabit pro anima sua. *Iob. 2. v. 4.*

PROPOSITIO.

Anima quæ à juventute pellem malæ consuetudinis induit, vix liberari potest amplius.

SErpens pellem suam renovaturus, eam penitus abstrahere & quasi excoriando se renovari debet. Hinc bene de eo dicitur: EXCORIANDO REVESTIOR S. Bartholomæo Apostolo *P. Franc. Iosephi. Op. IV.* non sufficiebat bona sua relinquere, & abjectis etiam vestibus nudum sequi, nisi & ipsam relinqueret pellem. Operatos aliquos esse iniquitate, testatur Psalmista regius, & tamen de ijs notat Hugo Card. *Nec tantùm sicut tela operti sunt, sed etiam sicut cute*, nempe *prava consuetudine. ut illam dediscere, vel desuescere, non tam expoliari sit, quàm excoriari.* Et sic tales consuetudinarij, Excoriando (instar Bartholomæi) revestiri debent, quia magna violentia opus, ut quis contractam à juventute malam consuetudinem exuat. *Vide Discurs. 10.* Hugo in in Ps. 72.

S. MATTHÆI APOSTOLI.

Thema.

Quare cum publicanis & peccatoribus manducat Magister vester. *Matth. 9. v. 11.*

PROPOSITIO.

Deus omnibus, etiam enormissimis peccatoribus misericordiam præstat.

CAlidissimus struthionis stomachus tantæ concoctionis est, ut etiam durum concoquat ferrum. Hinc de struthione: DEVORAT, ET CONCOQVIT. Indignabantur Pharisæi, quòd cum publicanis & peccatoribus manducaret Christus, inde illum hominem voracem proclamantes *Ecce homo vorax* &c. Sed nec ego hunc voracem, negaverim, quippe qui per nimiam erga peccatores sympathiam, ita eorum esuriat salutem, ut ferrea etiam & indurata eorum vitia & peccata devorare, & per calorem suæ misericordiæ consumere non detrectet, ita enim amore calidum, Dei Filius, stomachum habet, ut etiam duriſſima peccata, ac peccatores induratos devoret & per misericordiam decoquat. *Vide Disc. 50.* Matth. 11. v. 19.

S. MICHAELIS ARCHANGELI.

Thema.

Væ mũdo à scandalis. *Mat. 18. v. 7*

PROPOSITIO.

Parvuli magnatum maximè scandalis in ruinam trahuntur.

HEliotropium solis aspectu, & influxu in omnes flectitur partes: ideo non incongruè de Heliotropio dicitur: CIRCVMMOVEOR TECVM. Si Panormitano fidem damus, idem de subditis (respectu Principum) dicere solebat sapientissimus Aragoniæ Rex, Alphonsus: *Veluti heliotropium ad solis motum, ita populares semper in Principum mores versi, atque formari.* Et siquidem experientia docuit hoc ipsum inter angelos, quorum tertiam partem superbus draco, sua in abyssum per superbiam cauda, traxit, multò magis inter homines locum habet, ut superiorum ac magnatum scandalis ad malum trahantur parvuli, & subditi. *Vide Discurs. 9.*

Panorm. l. 2. c. 44.

SS. SIMONIS ET IVDÆ *Apostolorum.*

Thema.

Hæc mando vobis, ut diligatis invicem. *Ioan. 15. v. 24.*

PROPOSITIO.

Alter alterum portare, & supportare debet.

CAstorem & Pollucem geminos, unicè se invicem amantes, inter sidera excæcati retulerunt antiqui, qui ita alternis sese sublevarent laboribus, ut uno exoriente, occideret alter, & quasi quiesceret, ut alterius iterum laboribus, & cursui succedere valeret. De his appositè dixerim. AMOR ALTERNAVIT EVNTES. Duos nobis quasi cælestes Castores hodie proponit sancta Mater Ecclesia, utque eorum exemplo nobis mutuam imprimeret charitatem, ea Christi nobis proponit verba: *Hæc mando vobis, ut diligatis invicem.* Vt scilicet Castorum more alter alterius succedere laboribus, ac infirmitates & onera portare, atque supportare non detrectet. *Vide Disc. 49.*

OMNIVM SANCTORVM.

Thema.

Quoniam ipsorũ est regnum cœlorum. *Matth. 5. v. 3.*

PROPOSITIO.

Quantum gaudium inter Sanctos in cœlo, de superatis periculis?

TImidissima quadrupedum est dama, quæ tamen consensis altissimis, & humano corpori inaccessis rupibus, omne evadit periculum, & sic conscendit: ALTISSIMA TVTE. Tot casibus & periculis eruditus homo, est timidissimus, & meritò paratam ab infernali hoste ruinam undique pertimescit, at ubi semel ad montes æternos & altissimos Paradysi conscendit, tum verò altissima tute inhabitat: *Altissimum posuisti refugium tuum, non accedet ad te malum.* Quantum ergo animæ de superatis æterni interitus periculis in cœlo conjubilent, in præsenti exponam. *Vide Disc. 52.*

Ps. 90. v. 9.

IN COMMEMORATIONE OMNIUM *Fidelium defunctorum.*

Thema.

Non intrabit in eam aliquid coinquinatum. *Apoc. 21. v. 27.*

PROPOSITIO.

Deus etiam levia graviter punit.

EXimiam in extenuandis & expoliendis filis ferreis dexteritatem adinvenit humanum ingenium, dum ferrum per angustiora semper trahendo foramina, ita successivè extenuat, & expolit, ut nitidissimum ac subtilissimum filum repræsentet, traductum scili. et: PER ANGVSTA AD ANGVSTIORA. Vult Deus Sanctos suos omni carere inquinamento, & ab omni macula, ac nodositate vitiorum extenuatos, ac expurgatos in conspectu suo comparere: Vnde etiam levia quæque peccata in hoc mundo per severas & arctas traducit pœnæ & castigationis angustias,

stias, ut vel hinc discamus, quòd per angusta adhuc ad angusticra trahantur in altero mundo, in angusto scilicet purgatorij foramine, donec anima ab omni nævo, & rubigine extenuata sit, & expurgata. *Vide Disc.30.*

S. MARTINI EPISCOPI.

Thema.

Lucerna corporis tui, est oculus tuus. *Luc. 11.v.34.*

PROPOSITIO.

Finis ultimus hominis, Deus est, quo neglecto, homo toto cœlo aberrat.

SOlaribus radijs exposita coquitur in vite uva, quam parum juvat inconstantis lunæ jubar de hac enim NON MATVRESCIT. Sol justitiæ Christus est, luna inconstans, mundus. Ab hoc oculos suos meritò avertit S. Martinus, eosque ad solem justitiæ constanter convertit: unde *Oculis ac manibus in cœlum semper intentus, invictum ab oratione spiritum non relaxabat*, suo nos instruens exemplo, etiam nobis oculos semper ad cœlestia, & solem justitiæ, tanquam ultimum finem nostrum dirigendos, quò cœlo maturi evadamus, qui enim ad inconstantem & lunarem mundi lucem intentos habet oculos & mentem, cœlo non maturescet. *Vide Disc. 18.*

S. CATHARINÆ VIRG. & M.

Thema.

Quinque autem ex eis erant fatuæ, & quinque prudentes. *Matth.25.v.2.*

PROPOSITIO.

Magna animæ fatuitas, quæ mala sibi toties annuntiata non præcavens, accepta demum deplorat, serò cum Phrygibus sapiens.

OBscuratus originali peccato, mentis oculus, nescit inter objecta maximè moralia distinguere, & imminentia mala præcavere, quare optico tubo, vel perspicilijs prudentiæ juvari debet, hæc enim videre facit, ROCVL ET PERSPICVE. His perspicilliis optimæ provisæ erant virgines prudentes, & inter has maximè S. Catharina virg. & mart. quæ sapienter præsentia ac sensibilia contemnens, futura ac novissima prævidebat. Sed multæ inter nos versantur virgines fatuæ, quæ prudentiæ perspicilliis destitutæ & præsentibus tantùm, ac sensibilibus adhærentes, annuntiata sibi mala non præcavent, sed accepta demum deplorantes, serò cum Phrygibus sapiunt. *Vide Disc.40.*

IN DEDICATIONE.

Thema.

Et festinans descendit, & excepit illum gaudens. *Luc.19.v.6.*

PROPOSITIO

Pœnitentia quo magis dilata, eò difficilior.

SOlent bombyces miro à natura indito ingenio ex propriis quasi visceribus educere bombycina sua fila, quibus non solùm se irretire, sed insuper etiam se quasi in ovali pixide concludere, ac tumulare consueverunt, donec ex vermiculo in alitem mutati, carcerem ac sepulchrum à se factum effringant, ac libertate recuperata evolent. Quare bene de bombyce illud jactatur: ET PECI, ET FREGI. Fecerat sibi ipsi injusta divitiarum cumulatione quasi carcerem & sepulchrum, publicanus Zachæus, sed uti instigante humani generis inimico *fecit*, sic divina *fregit* opitulante gratia, *& festinans descendit.* Similem sibi carcerem, & sepulchrum quivis sibi parat peccator, quem frangere, & quidem festinanter necesse est, quò enim diutius, frangere, ac evolare differet, eò difficiliùs factum sibi voluntarium sepulchrum effringet. *Vide Disc.28.* Item, de reverentia Ecclesiarum *Disc.19.*

INDEX SCRIPTURARUM.

In Planctu Ecclesiæ, & Animæ.

Genesis.

CAp.1. Vers 2. *Terra autem erat inanis & vacua, & tenebræ erant super faciem abyssi.* Disc. 4. num 3

c.2. v. 21. *Et ædificavit Dominus Deus costam, quam tulerat de Adam, in mulierem.* Disc. 45. n. 1. & disc 1. n 4.

c.2. v.17. *De ligno autem scientiæ boni & mali ne comedas, in quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris.* Disc. 30. n. 2. item disc. 40. n 2.

c.2. v.18. *Non est bonum hominem esse solum.* Disc. 2. num. 6.

c.3 v.6. *Vidit igitur mulier, quod bonum esset lignum ad vescendum & pulchrum oculis.* Disc. 8. n. 6.

c 3. v. 8. *Cùm audissem vocem Domini Dei deambulantis in paradyso ad auram post meridiem,* Disc. 2 n. 4.

c. 3. v. 20. *Vocavit nomen uxoris Heva, eò quòd esset mater viventium.* Disc. 1. n 4.

c. 4. v. 1. *Adam verò cognovit uxorem suam Hevam* Disc. 12. n. 5.

c. 6. v. 6. *Tactus dolore intrinsecus, delebo, inquit, hominem, quem creavi à facie terræ.* Disc. 51. n. 9.

c. 6. v. 14. *Et bitumine linies intrinsecus & extrinsecus.* Disc. 45 n 7.

c. 8 v. 21. *Sensus enim & cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua.* Disc. 10. n. 2.

c. 9. v. 13. *Ponam arcum meum in nubibus.* Excess. amor. parte 2. n. 17.

c. 10. v 9. *Et erat robustus venator coram Domino.* Disc. 43. n 3.

c. 13. v. 9. *Ecce universa terra coram te est: recede à me, obsecro: si ad sinistram ieris, ego dexteram tenebo, si tu dexteram elegeris, ego ad sinistram pergam.* Disc. 12 n 2.

c. 15. v. 5. *Suspice cœlum & numera stellas, si potes.* Disc. 2. n 3.

c. 19. v. 17. *Noli respicere post tergum.* Disc. 30. n. 4.

c. 21. v. 14. *Cumque consumpta esset aqua in utre, errabat in solitudine Bersabee.* Disc. 21. n. 4. item Disc 44 n. 6

c. 25. v. 29. *Da mihi de cœlicne hac rufa, quia oppidò lassus sum.* Disc. 22. n. 2.

c. 27 v. 1. *Senuit autem Isaac, & caligaverunt oculi eius, & videre non poterat.* Disc. 4. n. 6.

c. 27. v. 3. *Sume arma tua, pharetram & arcum, cumque venatu aliquid apprehenderis, fac mihi inde pulmentum sicut velle me nosti.* Disc. 44. n 8.

c. 27. v. 6. *Pelliculásque hædorum circumdedit manibus.* Excess. am. parte 1 n. 8.

c. 29. v. 12. *Vidit in somnis scalam stantem super terram.* Disc. 9 n 2

c 33. v. 12 *Gradiamur simul, eróque socius itineris tui.* Disc. 37. n. 4

c. 37. v. 17. *perrexit ergo Ioseph post fratres suos & invenit eos in Dothain.* Disc. 15 n. 6.

c. 37. v. 32. *Vide utrum tunica filii tui sit, an non tunica filij mei est.* Disc. 17. n. 2.

Exodus.

Cap. 3. v. 1. *Moyses autem pascebat oves Iethro soceri sui Sacerdotis Madian: cúmque minasset gregem ad interiora deserti* Disc. 11 n 2.

c 9 v. 30. *Novi autem, quod & tu & servi tui, necdum timeatis Dominum Deum* disc. 29. n. 4.

c. 10 v. 17. *Qui flare fecit ventum ab Occidente vehementissimum, & acceptam locustam proiecit in mare rubrum, non remansit &c.* Disc. 24. num. 2.

c. 10. v. 21. *Sint tenebræ super terram Ægypti tam densæ, ut palpari queant.* Disc. 3. n 2.

c. 10. v. 23. *Nemo vidit fratrem suum, nec movit se de loco in quo erat.* Disc. 4. n. 5.

c. 13. v. 8. *Narrabisque filio tuo in die illo, dicens: hoc est quod fecit mihi Dominus, quando egressus sum de Ægypto.* Disc. 13. n. 2.

c. 14 v. 13. *forsitan non erant sepulchra in Ægypto, ideo tulisti nos, ut moreremur in solitudine*

Notetur

Nolite timere: state, & videte magnalia Domini. Disc. 4. n. 1.
c.15. v.1. *Cantemus Domino: gloriosè enim magnificatus est.* Disc. 52 n. 6.
c.15 v. 5. *Abyssi operuerunt eos, descenderunt in profundum quasi lapis.* Disc 28. n. 3.
c.15. v.23. *Ambulaverunt tribus diebus per solitudinem, & non inveniebant aquam.* Disc. 44. num. 6.
c.15. v.23. *Nec poterant bibere aquas de Mara, eò quòd essent amaræ.* Disc. 46 n 4.
c.22 v.22. *Viduæ & pupillo non nocebitis, si læseritis eos, vociferabuntur ad me.* Disc. 31. n. 6.
c.22. v.24. *Et erunt uxores vestræ viduæ, & filij vestri pupilli.* Disc. 2 n. 7.
c.28. v.30. *Pones autem in rationali Iudicij doctrinam & veritatem.* Disc. 25. n. 4.
c.32. v.6. *Sedit populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere.*
c.32. v.32. *Aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo quem scripsisti.* Disc. 11 num. 3.
c.33 v.5. *Iam nunc depone ornatum tuum, ut sciam, quid faciam tibi.* Disc 35 n. 2.

Leviticus.

Cap. 6. v. 12. *Ignis autem in Altari semper ardebit, quem nutriet Sacerdos* Disc. 13. n. 2.
c. 16. v. 7. *Duos hircos stare facies coram Domino, cuius exierit sors, Domino &c.* Disc 2. n. 2.
c. 23. v. 7. *Omne opus servile non facietis in eo.* Disc. 13. n. 4.
c. 25 v. 21. *Dabo benedictionem meam vobis anno sexto & faciet fructus trium annorum.* Disc. 13. num 7.
c. 26. v. 29. *Propter peccata patrum suorum & sua affligenter donec confiteantur iniquitates suas.* Disc. 51. n 6.

Numeri.

Cap. 11. v. 4. *Flagravit desiderio sedens & flens.* Disc. 22. n 3.
c. 13. v. 34 *Ibi vidimus monstra quadam filiorum Enac de genere giganteo: comparati, quasi locustæ videbamur.* Disc. 7. n 4.
c. 15 v. 26. *Cúmque eduxissent eum foras, obruerunt lapidibus & mortuus est.* Disc 13 n. 6.
c. 28. v. 9. *Die autem Sabbati offeretis duos agnos anniculos immaculatos & duas decimas.* Disc. 13. num. 7.
c. 28. v. 25. *Dies quoque septimus celeberrimus, & sanctus erit vobis: omne opus servile non facietis in eo.* Disc 13 n. 7

Deuteronomium.

Cap 1 v. 45. *Cumque reversi plorare coram Domino, non audivit vos, nec vocem vestram voluit acquiescere.* Disc. 38 n. 5.
c. 21. v. 12. *Radet cæsariem & circumcidet ungues.* Disc, 1. n 2
c. 23. v. 3. *Ammonites & moabites non intrabunt in Ecclesiam Domini in æternum* Disc. 9. n 1.
c. 30 v. 19. *Testes invoco hodie cœlum & terram, quod proposuerim vobis vitam & mortem.* ibidem.
Elige ergo vitam, ut & tu vivas, & semen tuum, & diligas Dominum Deum tuum, ipse est enim vita tua.
c. 21. v. 15. *Si habuerit homo uxores duas unam dilectam, & alteram odiosam.* Disc. 1. n. 3.
c. 32. v. 15. *Incrassatus est dilectus, & recalcitravit: incrassatus impinguatus, dilatatus, dereliquit Deum factorem suum.* Disc. 7. n 5
c. 32 v. 27. *Manus nostra excelsa, & non Dominus, fecit hæc omnia.* Disc. 47 n 7
c 32. v 18. *Deum qui te genuit.* Disc. 20 n. 8.
c 32. v 42. *Inebriabo sagittas meas sanguine & gladius meus devorabit carnes.* liber vitæ parte 3. n. 22.

Josue.

Cap. 1. v. 8. *Non recedat volumen legis huius ab ore tuo.* liber vitæ parte 3 n. 16.
c. 2. v. 4. *Tollensque mulier viros, abscondit, & ait: fateor, venerunt ad me, sed nesciebam unde essent.* Disc. 8 n 8.
c. 7. v. 9 *Et quid faciet magno nomini tuo.* Disc. 47 n 7.
c. 7. v. 10. *Surge, cur iaces pronus in terra?*
c. 8. v. 1. *Ne timeas neque formides tolle tecum omnem multitudinem pugnatorum.* Disc 48 n. 2.
c 10. v. 12 *Sol contra Gabaon ne movearis* & v 13. *steterunt que sol & luna, donec ulciscetur se gens de inimicis suis.* Disc 2. n 4.
c 23. v 12. *Quod si volueritis gentium harum, quæ inter vos habitant, erroribus adhærere, & cum eis miscere connubia.* Disc. 7. n 7
c. 23. v. 13. *Erunt vobis in foveam ac laqueum & offendiculum ex latere vestro.* Disc. 42. v. 2.

Judicum.

Cap. 15. v. 14. *Irruit Spiritus Domini in eum.* Disc. 48.

c.16.v.3. *Ad medium noctis consurgens apprehendit ambas portæ fores, cum postibus suis & sera.* Disc. 48.n.3.

c.16.v.21. *Quem cum apprehendissent Philisthijm statim eruerunt oculos, & duxerunt Gazam vinctum catenis.* Disc. 4.n.4. item, disc. 48.n 4.

Ruth.

Cap.1.v 20. *Ne vocetis me Noemi, id est pulchram, sed vocate me Mara.* Disc. 1.n 7.

1. Regum.

Cap.2 v.2. *Neque enim est alius extra te, & non est fortis sicut Deus noster.* Disc. 47.n 9.

c.2 v.5. *Donec sterilis peperit plurimos.* Disc. 44. num.1.

c.4.v.18. *Arca Dei capta est.* Excess. amoris parte 1.n.10.

c.5.v.4. *Manè die altera consurgentes, invenerunt Dagon iacentem super faciem suam.* disc. 19 n.9.

c.13.v 19 *Porro faber ferrarius non inveniebatur in omni terra Israel, caverant enim.* Disc.25. num. 2.

c.14.v.29. *Vidistis ipsi quia illuminati sunt oculi mei, eò quod gustaverim paululum de melle isto.* Disc.22.n.6.

c.15.v.3. *Nunc ergo vade & percute Amalec, & demolire universa eius. Apprehendit Agag Regem Amalec vivum.* Disc.42.n.5.

c.15.v.6. *Abite, recedite, atque descendite ab Amalec, ne fortè involvam te cum eo.* Disc. 37. num.8.

c.28.v.7. *Quærite mihi mulierem habentem pythonem.* Disc 36.n 6.

c.28.v.14. *Vir senex ascendit, & ipse amictus est pallio, & intellexit Saul, quod Samuel esset.* Disc.39.n 4.

c.31.v.4 *Arripuit itaque Saul gladium, & irruit super eum.* Disc.42.n.5.

2. Regum.

Cap.1.v.9 *Sta super me & interfice me: quoniam tenent me angustiæ, & adhuc tota anima mea in me est.* Disc.42.n 5.

c.1.v.21. *Nec ros nec pluvia veniant super vos.* Disc 42.n 6.

c.4.v 6 *Et ostiaria domus purgans triticum obdormivit.* Disc.8.n.5

c.5.v.12. *Et cognovit David, quoniam confirmasset eum Dominus Regem super Israel.* disc. 21.n.5.

c.6.v.3. *Oza autem & Ahio filij Abinadab minabant plaustrum novum.* Disc.30.n 6.

c.8.v 1 *Factum est autem post hæc, percussit David Philisthijm, & humiliavit eos, & tulit David frænum tributi de manu Philisthijm.* Disc.28 n.8.

c.11.v.2. *Dum hæc agerentur; accidit, ut surgeret David de stratu suo post meridiem, & deambularet in solario domus regiæ: vidit que mulierem se lavantem.* Disc.6.n.4. item disc.8 n.3. & num 5.

c.11.v 25. *Non te frangat ista res: varius enim eventus est belli* Disc.48.n.5

c.11.v 11. *Arca Dei & Israel habitant in papilionibus &c & ego comedam & bibam, & dormiam cum uxore mea?* Disc.6 n 10.

c.12.v 5. *Vivit Dominus, quoniam filius mortis est vir qui fecit hæc.* liber vitæ parte 3.n 6.

c.12.v.13. *Et dixit David ad Nathan: peccavi Domino.* Disc.9.n.4.

c.13.v.4. *Quare sic attenuaris macie fili Regis.* Excess. amoris parte 2 n 8.

c.14 v.4. *Heu mulier vidua ego sum.* Disc.2.n.7. & disc.1 num 9.

c.14.v.26 *Ponderabat capillos capitis sui ducentis siclis pondere publico.* Disc.28 n.9.

c.20.v.18. *Dicebatur in veteri proverbio: qui interrogabant, interrogent in Abela, & sic proficiebant.* Disc.51.n 8.

3. Regum.

c.6.v.8. *Per cochleam ascendebant in medium cenaculum & à medio in tertium.* Disc.29.n.8.

c.10.v.8. *Beati servi tui, qui stant coram te semper.* Disc 5 n.11.

c.10 v.21. *Sed & omnia vasa, quibus potabat Rex Salomon, erant aurea: & universa supellex domus saltus Libani de auro purissimo.* disc. 15.n 3.

c.12.v.28. *Et excogitato consilio fecit duos vitulos aureos & dixit eis: nolite ultra ascendere in Ierusalem* Disc.94.

c.13.v.9. *Non comedes panem, neque bibes aquam, nec reverteris per viam, qua venisti.* disc.d.o.n.5

c.4.v.16. *Et tradet Dominus Israel propter peccata Ieroboam, qui peccavit & peccare fecit Israel.* Disc.9 n 4.

c.14 v.25. *In quinto autem anno regni Roboam ascendit Sesac Rex Ægypti in Ierusalem, & tulit thesauros domus Domini & thesauros re-*

gios & universa diripuit. Discurs. 15. num. 3.
c.17 v.3. *Abscondere in torrente Carith, qui est contra Iordanem & ibi de torrente bibes: corvisque præcepi, ut pascant te ibi.* Disc 25.n.5.
c.19.v.5. *Proiecitque se & obdormivit in umbra iuniperi.* Disc.14.n.4.
c.20.v 31. *Ecce quod Reges domus Israel clementes sint.* Disc.51 n 9.

4. Regum.

Cap.1.v.2. *Cecidit Ochozias per cancellos cænaculi sui, quod habebat in Samaria.* Disc.36 n.6.
c.1.v.3. *Nunquid non est Deus in Israel, ut eatis ad consulendum belzebub.*
c.3.v 27 *Arripiens filium suum primogenitum, qui regnaturus erat pro eo, obtulit holocaustum super murum* liber vitæ, parte 3 n.21.
c.5.v.10. *Vade & lavare septies in Iordane.* disc. 48 n.8.
c.6.v.12. *Eliseus Propheta, qui est in Israel, indicat Regi omnia verba, quæcumque locutus fueris in conclavi tuo.* Disc 48.v.6.
c.25.v.3. *Prævaluitque fames in civitate, nec erat panis populo terræ.* Disc,21.n.1.

2. Paralipomenon.

Cap.19.v.2. *Impio præbes auxilium, & his qui oderunt Dominum amicitia iungeris & idcirco iram quidem Domini merebaris.* Disc.37.n.8.
c.20.v.37. *Quia habuisti fœdus cum Ochozia, percussit Dominus opera tua.*
c.21.v.12. *Allatæ sunt autem ei litteræ ab Elia Propheta.* Disc.39.n.3.

1. Esdræ.

Cap 3.v.12. *Plurimi etiam de Sacerdotibus & Levitis, & Principes Patrum & Seniores, qui viderant templum prius cum fundatum esset, & hoc templum in oculis eorum, flebant voce magna.* Disc 7.n.4.

2. Esdræ.

Cap 2.v.17. *Vos nostis afflictionem, in qua sumus, quia Ierusalem deserta est* Disc 4.n.2.
c.4.v.2. *Quid Iudæi faciunt imbecilles.* Disc.45. n.2.
c.7.v.2. *Præcepi Hanani fratri meo & Hananiæ Principi domus de Ierusalem. ipse enim quasi vir verax & timens Deum plus cæteris videbatur.*
c.7.v.3 *Et dixi eis non aperiantur portæ Ierusalem usque ad calorem solis.*

Tobias.

Cap.3.v.3 *Ne reminiscaris Domine delicta nostra vel parentum nostrorum, neque vindictam sumas de peccatis nostris.* liber vitæ, parte tertia. n.23. item disc 51.n.9.

Judith.

Cap 5.v.18. *Quotiescunque autem præter ipsum Deum suum, alterum coluerunt, dati sunt in prædam & ingladium & in opprobrium.* disc. 51.n 7.
c.7 v.18. *Factus est fletus & ululatus magnus in Ecclesia ab omnibus & per multas horas, una voce clamaverunt ad Deum.* Disc. 34. n. 9. item Disc. 47 n 5.
c 7.v.19. *Peccavimus cum patribus nostris, iniustè egimus, iniquitatem fecimus.* liber vitæ, parte tertia, n.23.
c.16 v.8. *Non enim cecidit potens eorum à iuvenibus.* Ibidem.

Esther.

Cap 3.v.13. *Vt occiderent atque delerent omnes Iudæos* Disc. 47.n 6.
c.7.v.8. *Etiam Reginam vult opprimere.* Disc.29. n.7.
c.13.v.8. *Mardochæus autem deprecatus est Dominum.*
c.14.v.1 *Esther quoque Regina confugit ad Dominum.* 36.n.2

Job.

Cap 3.v.1. *Et maledixit diei suo, pereat dies in qua natus sum &c. quare exceptus genibus, cur lactatus uberibus.* Disc.10.n.4.
c.3.v.7. *Sit nox illa solitaria nec laude digna.* Disc.4 n.1.
c.3.v.22. *Gaudentque vehementer cum invenerint sepulchrum.* Disc.14 n.3.
c.4.v.19. *Quanto magis hi, qui habitant domos luteas, qui terrenum habent fundamentum.* Disc. 16.n.7.
c.5 v.7. *Homo nascitur ad laborem & avis ad volatum.* disc 14.n.7.
c.5.v.23. *Et bestiæ terræ pacificæ erunt tibi.* Disc. 26.n 9.
c.6 v.5. *Nunquid rugiet onager cum habuerit herbam.* disc.22.n.5.
c.6 v.11. *Quis finis meus, ut patienter agam.* disc. 18.n.8.
c.6.v.18. *Involutæ sunt semitæ gressuum eorum.* disc,6.n.3.

E.9.v.13. *Deus cuius iræ nemo resistere potest, & sub quo curuantur, qui portant orbem.* Disc.11. n.6.

E.11.v.12. *Vir vanus in superbiam erigitur, & tanquam pullum onagri se liberum natum putat.* Disc.21.n.6. item disc.3.n.1.

E.12.v.15. *Si continuerit aquas, omnia siccabuntur, & si emiserit eas, subvertent terram.* disc. 33.n.8.

E.13.v.1. *Homo natus de muliere brevi vivens tempore.* Disc.32.n.4.

E.14.v.3. *Et dignum ducis super huiuscemodi aperire oculos tuos.* Excessus am. parte 2.n.2.

E.17.v.1. *Et solum mihi superest sepulchrum.* Disc.14.n.3.

E.19.v.10. *Destruxit me undique & pereo.*

E.19.v.21. *Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos amici mei.* Disc.41.n.2.

E.20.v.11. *Ossa eius implebuntur vitiis adolescentiæ eius.* Disc.10.n.3.

E.24.v.19. *Ad nimium calorem transeat ab aquis nivium.* Disc.16.n.4.

E.26.v.5. *Ecce gigantes gemunt sub aquis.* Disc. 7.n.5.

E.28.v.13. *Nescit homo pretium eius.* Disc. 22. num.1.

E.29.v.13. *Cor viduæ consolatus sum, oculus fui cæco & pes claudo.* Disc.31.n.6.

E.30.v.4. *Et manducabant herbas.*

E.30.v.7. *Et esse sub sentibus delicias computabant.* Disc.22.n.5.

E.30.v.14. *Quasi rupto muro & aperta ianua irruerunt super me.*

E.31.v.1. *Pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine.* Disc.8.n.2.

E.38.v.11. *Vsque huc venies & non procedes amplius & hic confringes tumentes fluctus tuos.* Disc.21.n.6.

E.39.v.5. *Quis dimisit onagrum liberum & vincula eius quis solvit.* Disc.5.n.1.

E.39.v.27. *Numquid ad præceptum tuum elevabitur aquila & in arduis ponet nidum suum, in petris manet & in præruptis silicibus commoratur atque inaccessis rupibus* Disc.10.n.7.

E.40.v.20. *An extrahere poteris Leviathan hamo.* liber vitæ, Pars 1. n.2.

E.41.v.22. *Fervescere faciet quasi ollam profundum mare, & ponet quasi cum unguenta bulliunt.* Disc.16.n.3.

E.42.v.12. *Dominus autem benedixit novissimis Iob magis quam principio eius.* Disc. 47. n. 3.

Psalmi.

Psal.2.v.1. *Convenerunt in unum adversus Dominum & adversus Christum eius.* num.21.

Ps.2.v.3. *Dirumpamus vincula eorum.* Disc.48. n.5.

Ps.4.3. *Filij hominum usquequo gravi corde, ut quid diligitis vanitatem?* Disc.26.n.6.

Ps.6.v.7. *Lavabo per singulas noctes lectum meum, lachrymis meis stratum meum rigabo.* Disc.34.n.2.

Ps.9.v.12. *Psallite Domino qui habitat in Sion: annuntiate inter gentes studia eius.* Disc. 44. num.8.

Ps.9.v.21. *Constitue Domine legislatorem super eos ut sciant gentes, quoniam homines sunt.* Disc.26.n.5.

Ps.10.v.2. *Intenderunt arcum, paraverunt sagittas suas in pharetra, ut sagittent in obscuro rectos corde.* Disc.25.n.2. item disc.15.n.7.

Ps.10.v.9. *Secundum Hebr: Insidiatur in abscondito, quasi leo in spelunca sua:* Disc.43.n.8.

Ps.11.v.9. *In circuitu impy ambulant:* Disc. 4. num.4.

Ps.13.v.3. *Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt: non est qui faciat bonum, non est usque ad unum.* Disc.7.

Ps.15.v.3. *Mirificavit omnes voluntates meas in eis.*

Ps.16.v.7. *Mirifica misericordias tuas.* Disc.50. num.6.

Ps.17.v.1. *Diligam te Domine fortitudo mea, Dominus firmamentum meum & liberator meus.* Disc.16.n.2. item Disc.47.n.9.

Ps.17.v.36. *Et disciplina tua correxit me in finem.* Disc.26.n.5.

Ps.17.v.38. *Persequar inimicos meos & comprehendam illos: & non convertar, donec deficiant.* Disc.48.n.4.

Ps.21.v.8. *Omnes videntes me, diriserunt me: locuti sunt labys, & moverunt caput.* Disc.23. num.1.

Ps.21. .8. *Foderunt manus meas & pedes meos, dinumeraverunt omnia ossa mea.* liber vitæ. parte tertia n.6.& 14.

Ps.22.v.1. *Dominus regit me, & nihil mihi deerit in loco pascuæ ibi me collocavit.* Disc.12. num.2.

Ps.24.v.11. *Propitiaberis peccato meo: multum est enim.* Disc.30.n.6.

Ps.26.v.3. *Si consistant adversum me castra non timebit cor meum.* Disc.8.n.3.
Ps.26.v.10. *Quoniam Pater meus & Mater mea dereliquerunt me: Dominus autem assumpsit me.* Disc.44.n.6.
Ps.28.v.8. *Vox Domini concutientis desertum: & commovebit Dominus desertum Cades.* disc. 44.n.2.
Ps.29.v.6. *Ad vesperum demorabitur fletus: & ad matutinum laetitia.* Disc.1.n.3.
Ps.31.v.9. *Nolite fieri sicut equus & mulus, quibus non est intellectus.* Disc.21.n.6.
Ps.33. v.5. *Exquisivi Dominum & exaudivit me.* disc.35.n.5.
Ps.33.v.9. *Gustate & videte quoniam suavis est Dominus* disc. 12. n. 9. in fine. item disc. 22. num.6.
Ps.34.v.12. *Retribuant mihi mala pro bonis: sterilitatem animæ meæ.* liber vitæ, parte tertia, n.6. item disc.44.n.4.
Ps.35.v.10. *Quoniam apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen.* disc.33.n.4.
Ps.37.v.5. *Quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum: & sicut onus grave gravatæ sunt super me.* disc.28.n.1.
Ps.39.v.7. *Sacrificium & oblationem noluisti, aures autem perfecisti mihi.* ibidem parte.2.n.2.
Ps.39.v.9. *In capite libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam.* ibidem parte 2.n.2.
Ps.41.v.8. *Abyssus abyssum invocat.* disc.6.n.3.
Ps.44.v.2. *Lingua mea calamus scribæ, velociter scribentis.* liber vitæ, parte prima n.1.
Ps.44.v.10. *Astitit regina à dextris tuis.* &c. disc.20.n.2.
Ps.44.v.14. *Omnis gloria eius filiæ regis ab intus.* disc.38.n.2.
Ps.47.v.8. *In spiritu vehementi contéres naves Tharsis.* disc.24.n.2.
Ps.49.v.14. *Et redde Altissimo vota tua.* disc. 5.n.1.
Ps.50.v.6. *Tibi soli peccavi & malum coram te feci: ut justificeris in sermonibus tuis.* disc.50. num.7.
Ps.50.v.9. *Asperges me hyssopo & mundabor: lavabis me & super nivem dealbabor.* disc.24. num.3.
Ps.50.v.19. *Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non despiciet.* disc.1.v.7.
Ps.51.v.1. *Quid gloriaris in malitia, qui potens es in iniquitate.* disc.17.n.5.
Ps.57.v.2. *Etenim in corde iniquitates operamini.* disc.6.n.2.
Ps.57.v.4. *Alienati sunt peccatores à vulva, erraverunt ab utero.* disc.18.v.8.
Ps.62.v.3. *In terra deserta & invia & inaquosa.* disc.12.v.2. item disc.44.n.3.
Ps.63.v.8. *Sagittæ parvulorum factæ sunt plagæ eorum. & infirmatæ sunt contra eos linguæ eorum.* disc.25.n.9.
Ps.64.v.1. *Te decet hymnus Deus in Sion.* disc. 29.n.5.
Ps.65.v.3. *In multitudine virtutis tuæ mentientur tibi inimici tui.* disc.21.n.6.
Ps.66.v.4. *Confiteantur tibi populi Deus.* disc. 48.n.7.
Ps.68.v.1. *Salvum me fac Deus: quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam.* disc.46. num.4.
Ps.68.v.3. *Infixus sum in limo & non est substantia, veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me.* disc.52.n.8. item disc.86.n.1.
Ps.68.v.4. *Laboravi clamans, rauca factæ sunt fauces meæ: defecerunt oculi mei dum spero in Deum meum.* disc.24.n.6.
Ps.71.v.5. *Et permanebit cum sole & ante lunam in generatione & generationem.* disc.15.n.7.
Ps.72.v.2. *Mei autem penè moti sunt pedes, penè effusi sunt gressus mei.* disc.6.n.4.
Ps.72.v.16. *Existimabam, ut cognoscerem hoc, labor est ante me.* disc.30.n.4.
Ps.72.v.25. *Quid enim mihi est in cœlo & à te quid volui super terram.* disc.2.n.2.
Ps.72.v.28. *Mihi autem adhærere Deo bonum est.* disc.16.n.7.
Ps.73. v.13. *Contribulasti capita draconum in aquis.* disc.34.n.6.
Ps.76.v.3. *In die tribulationis meæ Deum exquisivi, manibus meis nocte contra eum.* disc. 31. num.1.
Ps.76.v.4. *Renuit consolari anima mea, memor fui Dei & delectatus sum.* disc.12.n.3.
Ps.77.v.15. *Interrupit petram in eremo & adaquavit eos velut in abysso multa.* disc.34.n.4.
Ps.77.v.65. *Et excitatus est tanquam dormiens Dominus tanquam potens crapulatus à vino.* disc.27.n.6.
Ps.83.v.1. *Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum, concupiscit & deficit anima mea in atria Domini.* disc.32.n.1.

Pſ.81.v.10. *Reſpice in faciem Chriſti tui.* liber vitæ, parte tertia. n 12.
Pſ.86.v.3. *Gloriosa dicta ſunt de te civitas Dei.* Diſc 1.n.5. ibidem v.4. *Ecce alienigenæ & Tyrus & populus Æthiopum hi fuerunt illic.* diſc. 1.num.2.
Pſ.88.v.48. *Nunquid enim vanè conſtituiſti omnes filios hominum.* Diſc.8.n.3.
Pſ.91. tit: Pſalmus cantici in die Sabbathi. Diſc. 14.n.1.
Pſ.91.v.1. *Bonum eſt confiteri Domino & pſallere nomini tuo Altiſſime.* Diſc.38.n.8.
Pſ.93.v.19. *Secundùm multitudinem dolorum meorum in corde meo conſolationes tuæ lætificaverunt animam meam.* Diſc.12.n.9.
Pſ.94. v.8. *Hodie nolite obdurare corda veſtra.* Exceſſus am. parte 2. n.18.
Pſ.95.v.6. *Confeſſio & pulchritudo in conſpectu eius.* Diſc.38.n.2.
Pſ.100 v 3. *Perambulabam in innocentia cordis mei in medio domus meæ.* Diſc.8.n. 4.
Pſ.103. v.2. *Amictus lumine ſicut veſtimento.* Diſc.38.n.5.
Pſ.113.v.2. *Ne quando dicant gentes, ubi eſt Deus eorum.* Diſc.47.n.7.
Pſ.114.v.3. *Pericula inferni invenerunt me.* diſc. 41.n.2. item diſc.52.n.9.
Pſ.117.v.1. *Confitemini Domino quoniam bonus.* Diſc.50.n.3. item, diſc. 27.n.10.
Pſ.117.v.6. *Dominus mihi adiutor non timebo* Diſc.36.n 9.
Pſ.117.v.13. *Et Dominus ſuſcepit me. Fortitudo mea & laus mea Dominus: & factus eſt mihi in ſalutem, dextera Domini fecit virtutem.* diſc.52. n.3.
Pſ.117.v.18. *Caſtigans caſtigavit me Dominus: & morti non tradidit me.* Diſc.26.n.4.
Pſ.117.v.24. *Hæc eſt dies, quam fecit Dominus: exultemus & lætemur in ea.* Diſc.14.n.6.
Pſ.118.v.25. *Adhæſit pavimento anima mea.* Exceſſus amoris, parte 1 n.4.
pſ.118.v.37. *Averte oculos meos ne videant vanitatem.* Diſc.8.n.6.
pſ.118.v.61. *Funes peccatorum circumplexi ſunt me.* Diſc.50.n.7.
pſ.118.v.136. *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non cuſtodierunt legem tuam.* Diſc. 24.n.3. item diſc.48.n.5.
pſ.118.v.137. *Iuſtus es Domine & rectum iudicium tuum.* Diſc.30.n.4.
pſ.119.v. . *Ad Dominum cum tribularer clamavi.* Diſc.26.n.7
pſ.119.v.5. *Heu mihi Domine, quia incolatus meus prolongatus eſt* Diſc 43.n.10
pſ.121 v.3. *Ieruſalem quæ ædificatur ut civitas.* Diſc.45.n.3.
pſ.123.v.1. *Niſi quia Dominus erat in nobis, dicat nunc Iſrael.* Diſc.52 n 7.
pſ.128.v.1. *Sæpe expugnaverunt me à iuventute mea dicat nunc Iſrael.* Diſc.10.n.2.
pſ.136.v 1 *Super flumina Babylonis: illic ſedimus & flevimus.* Diſc.52 n.9. item, liber vitæ, parte tertia, n. 9.
pſ.138.v.7. *Quo ibo à ſpiritu tuo & quo à facie tua fugiam.* Diſc.40.n.5. *Perſequar inimicos.* Diſc.42.n.4.
pſ.141.v.4. *In via hac qua ambulabam abſconderunt laqueum mihi.* Diſc.9.n.2.
pſ.142. v.3. & 4. *Quia perſecutus eſt inimicus animam meam, humiliavit in terra vitam meam: collocavit me in obſcuris* &c. Diſc.4. num 2.
pſ.143. v.12. *Filiæ eorum compoſitæ: circumornatæ ut ſimilitudo templi.* Diſc.7.n 6.
pſ.144.v.8. *Miſerator & miſericors Dominus: patiens & multum miſericors.* Diſc.50.n.1.
pſ.145.v.2. *Nolite confidere in principibus* &c. Diſc.36.n.3.
pſ.146.v.3. *Qui ſanat contritos corde: & alligat contritiones eorum.* Diſc.27.n.10.
pſ.149.v.9. *Ad faciendam vindictam in nationibus increpationes in populis.* Diſc.45.n.4.

Proverbia.

Cap.1.v.14. *Sortem mitte nobiſcum: marſupium unum ſit omnium noſtrum. Fili mi ne ambulet cum eis*
C.3.v.17. *Viæ eius pulchræ.* Diſc.7.n.8.
C.8.v.31. *Ludens in orbe terrarum, & delitiæ meæ eſſe cum filiis hominum* Diſc.44.n.8.
C.9.v.1. *Sapientia ædificavit ſibi domum, excidit columnas ſeptem: immolavit* Diſc.21.n.5.
C.13.v.20 *Qui cum ſapientibus graditur, ſapiens erit, amicus ſtultorum ſimilis efficietur.* Diſc. 37.n.2.
C.15.v.21 *Longè eſt Dominus ab impiis, & orationes iuſtorum exaudiet.*
C.18.v.3. *Impius cum in profundum venerit peccatorum contemnit.* Diſc.28 n.2.
C.22.v.6. *Proverbium eſt. adoleſcens iuxta viam ſuam.*

suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea Disc.10.n.5.
C.22.v.11. *Qui diligit cordis munditiam, propter gratiam labiorum suorum habebit amicum regem.* Disc.25.n.9.
C.23.v.22. *Ne contemnas, cùm senuerit mater tua.* Disc.15,n.7.
C.24.v.30. *Per agrum hominis pigri transivi, & per vineam viri stulti.* Disc 44.n.4.
C.25.v.19. *Dens putridus & pes lassus, qui sperat super infideli in die angustiæ &c.* Disc.41.n 3.
C.27.v.8. *Sicut avis transmigrans de nido suo, sic vir, qui derelinquit locum suum* Disc.16.n.5.
C.28.v.9. *Qui declinat aures suas, ne audiat legem, oratio eius erit execrabilis.* Disc.35.n.6.

Ecclesiastes.

Cap.1.v.3. *Quid habet amplius homo de universo labore suo, quo laborat sub sole?* Disc.32.n 6.
C.3.v.4. *Tempus flendi & tempus ridendi, tempus plangendi & tempus saltandi.* Disc.2.n.1.
C.4.v.10. *Væ soli, quia cum ceciderit, non habet sublevantem se.* Disc.2.n.5.
C.7 v.3. *Melius est ire ad domum luctus, quàm ad domum convivij.* Disc.26.n.4.

Cantica.

Cap.1.v.6. *Indica mihi quem diligit anima mea, ubi cubes in meridie.* Disc.14.n.6
C.1.v.7. *Egredere & abi post vestigia gregum, & pasce hædos tuos iuxta tabernacula pastorum.* Disc 11 n.4.
C.2.v.8. *Vox dilecti mei, ecce iste veniet saliens in montibus, transiliens colles* Disc.44.n.10.
C.2.v.14. *Veni columba mea in foraminibus petræ, in caverna maceriæ* Disc 16 n.8
C.3.v.11. *Egredimini & videte filiæ Sion Regem Salomonem in diademate, quo coronavit illum mater sua.* liber vitæ, parte tertia, n 7.
C.4.v.4. *Mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.* Disc.1 n.5.
C.5.v.7. *Invenerunt me custodes, qui circumeunt civitatem, percusserunt me.* Disc.23 n.2.
C.6.v.7. *Sexaginta sunt Reginæ.* Disc.20.n.2.
C.8.v.6. *Pone me ut signaculum super cor tuum.* liber vitæ parte prima n 6.
C.8 v.6. *Quia fortis est ut mors dilectio.* Disc.45. num.3.
C.8.v.7 *Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem.* Disc.45 n.7
C.8.v 7 *Si dederit homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione, quasi nihil despiciet, eam.* disc.50.n.7
C.8 v.14. *Fuge dilecte mi, & assimilare capreæ hinnuloque &c* Excessus am. parte prima, n.8.

Liber Sapientiæ.

Cap.2.v.6. *Venite ergo, & fruamur bonis, quæ sunt & utamur creatura.* disc.26 n 5.
C 2.v.11. *Sit autem fortitudo nostra lex iustitiæ.* disc.26.n 5.
C.5.v.3.& 6. *Præ angustia spiritus gementes, ergo erravimus.* disc 18 n.7.
C.5.v.7 *Lassati sumus in via iniquitatis.* disc. 22.n.2.
C.5 v.8 *Quid nobis profuit superbia aut divitiarum iactantia &c.* disc.18.n.7.
C.6.v.7. *Quoniam iudicium durissimum his, qui præsunt fiet, potentes autem potenter tormenta patientur.* disc 11.n 6. & 7.
C.9.v.15 *Corpus enim, quod corrumpitur, aggravat animam.* disc 32 n 9
C.15.v.10. *Luto vilior vita eius.* disc 15 n.5.
C.16.v.20. *Pro quibus Angelorum esca natrinisti populum tuum &c* disc 22 n 3.
C.16 v 28. *Quoniam oportet prævenire solem ad benedictionem tuam, & ad ortum lucis te adorare.* disc 2.n 4.
C.17.v.17. *Vna enim catena tenebrarum omnes erant colligati* disc 3.n.2.

Ecclesiasticus.

Cap 4.v 10. *In iudicando esto pupillis misericors pater & pro viro matri eorum.* disc.31.n 6.
C.6 v 15. *Amico fideli nulli est comparatio & non est digna ponderatio auri & argenti contra bonitatem fidei illius.* disc.41 n.1
C.9 v 10. *Mulier fornicaria, quasi stercus in via* disc 5 n.12.
C.10 v.11. *Languor prolixior gravat medicum.* disc 23 n.3.
C 10.v.15. *Initium omnis peccati est superbia,* disc 29.n 2.
C 13.v.1 *Qui tetigerit picem, inquinabitur.* disc. 37 n 7.
C.23 v.38 *Gloria magna est sequi Dominum,* disc 31.n 1
C.35.v 17 *Non despiciet preces pupilli, nec viduam &c.* disc.1 n.9.
C.38.v.1 *Honora medicum propter necessitatem, etenim illum creavit Altissimus.* disc 25 n.6.
C.38.v 4 *Altissimus creavit de terra medicamento*

menta est, nonne à ligno indulcata aqua amara? Disc. 46. n. 4.

C. 40. v. 1. *Occupatio magna creata est omnibus hominibus & iugum grave super filios Adam.* Disc. 32. n. 11.

C. 51. v. 35. *Videte oculis vestris, quia modicum laboravi & inveni mihi multam requiem.* Disc. 14. n. 7. in fine.

Isaias.

Cap. 1. v. 2. *Filios enutrivi & exaltavi, ipsi autem spreverunt me.* Disc. 21. n. 6.

C. 1. v. 5. *Super quo percutiam vos ultra addentes prævaricationem.* Disc. 27. n. 5.

C. 1. v. 6. *Vulnus & livor & plaga tumens, non est circumligata, nec curata medicamine.* disc. 28. n. 6.

C. 1. v. 14. *Calendas vestras & solemnitates vestras, odivit anima mea. Facta sunt mihi molesta* Disc. 13. n. 5. ibidem *laboravi sustinens.* Disc. 14. n. 6.

C. 1. v. 16. *Lavamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis.* Disc. 17. n. 9. item, 35. n. 8.

C. 1. v. 18. *Si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur.* Disc. 40. n. 8.

C. 3. v. 7. *Non sum medicus, & in domo mea non est panis.* Disc. 23. n. 6.

C. 3. v. 24. *Et erit pro suavi odore fœtor & pro zona funiculus & pro crispanti crine calvitium.* Disc. 38. n. 3.

C. 5. v. 4. *Quid est quod debui ultra facere.* disc. 20. n. 6.

C. 5. v. 18. *Væ qui trahitis iniquitatem in funiculo vanitatis & quasi vinculum plaustri peccatum.* Disc. 28. n. 8.

C. 6. v. 2. *Seraphim stabant super illud, sex alæ uni & sex alæ alteri.* Disc. 19. n. 3.

C. 6. v. 5. *Væ mihi quia tacui, quia vir pollutus labiis ego sum.* Disc. 39. n. 8.

C. 8. v. 3. *Voca nomen eius, avellere spolia, detrahere, festina prædari.* Disc. 23. n. 6.

C. 9. v. 3. *Multiplicasti gentem, non magnificasti lætitiam.* Disc. 7. n. 1.

C. 9. v. 12. *In omnibus his non est aversus furor eius, sed adhuc manus eius extenta.* Disc. 27. num. 9.

C. 9. v. 10. *Lateres ceciderunt, sed quadris lapidibus ædificabimus.* Disc. 25. n. 8.

C. 11. v. 8. *Delectabitur infans ab ubere super foramine aspidis, & in caverna reguli manum suam mittet.* Disc. 28. n. 4.

C. 12. v. 3. *Haurietis aquas in gaudio de fontibus salvatoris.* Disc. 28. n. 5. item, 33. n. 6.

C. 13. v. 21. *Sed requiescent ibi bestiæ & replebuntur domus eorum draconibus: & habitabunt ibi struthiones* Disc. 44. n. 3.

C. 14. v. 2. *Et erunt capientes eos, qui se ceperant.* Disc. 48. n. 1.

C. 14. v. 16. *Nunquid iste est vir, qui conturbavit terram, qui concussit regna.* Disc. 43. n. 4.

C. 14. v. 17. *Qui posuit orbem desertum.* Disc. 43. num. 1.

C. 21. v. 11. *Custodes, quid de nocte? Custodes quid de nocte?* Disc. 3. n. 1.

C. 23. v. 4. *Erubesce Sydon, ait enim mare.* Disc. 17. n. 6.

C. 23. v. 12. *Non adjicies ultra, ut glorieris.* Disc. 17. n. 8.

C. 24. v. 13. *Quomodo si pauca olivæ, quæ remanserunt, excutiantur ex olea, & racemi, cùm fuerit finita vindemia.* Disc. 7. n. 7.

C. 26. v. 1. *Ponetur in ea murus & antemurale.* Disc. 1. n. 5.

C. 26. v. 9. *Anima mea desideravit te in nocte.* Disc. 4. n. 7.

C. 26. v. 13 *Tantùm in te recordemur nominis tui.* Disc. 17. n. 8.

C. 29. v. 11. *Et erit nobis visio omnium, sicut verba libri signati* &c. liber vitæ, parte 1. n. 2.

C. 30. v. 1. & 2. *Væ filij desertores sperantes auxilium in fortitudine Pharaonis.* Disc. 36. n. 3. item, Disc. 42. n. 9.

C. 33. v. 20. *Respice Sion civitatem solemnitatis nostræ.* Disc. 7. n. 8.

C. 34. v. 13. *Orientur in domibus eius spina & urticæ & paliurus in mansionibus eius.* disc. 43. num. 4.

C. 34. v. 13. & 14. *Et erit cubile draconum & pascua struthionum, & occurrent dæmonia, onocentaurus & pilosus clamabit alter ad alterum.* Disc. 6. n. 3.

C. 35. v. 1. *Lætabitur deserta & invia & exultabit solitudo, & florebit quasi lilium.*

C. 35. v. 7. *In cubilibus, in quibus prius dracones habitabant, orietur viror calami & iunci.* Disc. 43. n. 7.

C. 38. v. 17. *Ecce in pace amaritudo mea amarissima.* Disc. 46. n. 1.

C. 40. v. 3. *Vox clamantis in deserto, parate viam Domini.* Disc. 44. n. 2.

C. 41. v. 14. *Noli timere vermis Iacob.* Disc. 49. num. 8
c. 42. v. 18. *Surdi audite & cæci induemini ad videndum.* Disc. 3. n. 3 in fine.
c. 47. v. 8. *Non sedebo vidua & ignorabo sterilitatem.* Disc. 44. n. 3.
c. 49. v. 16. *Ecce in manibus meis descripsi te.* liber vitæ, parte tertia, n 15.
c. 49. v. 21. *Et dies in corde tuo, quis genuit mihi istos, ego sterilis &c.* Disc. 44. n. 3.
c. 51. v. 3. *Consolabitur ergo Dominus Sion & consolabitur omnes ruinas eius.* Disc. 12. n. 9.
c. 52. v. 1. *Consurge, consurge induere fortitudine Sion, induere vestimentis gloriæ tuæ.* Disc. 2. num. 10.
c. 53. v. 53. *Verè languores nostros ipse tulit & dolores nostros ipse portavit.* Disc. 46. n. 2.
c. 53. v 8. *Propter scelus populi mei percussi eum.* liber vitæ, parte tertia. n. 3.
c. 55. v. 31. *Omnes sitientes venite ad aquas, & qui non habetis argentum properate, emite & comedite: emite absque argento, & absque ulla commutatione.* Disc. 22 n. 7. item, disc. 33. n. 3.
c. 55. v. 7 *Derelinquat impius viam suam & vir iniquus cogitationes suas.* Disc. 50. n 9.
c. 55. v. 8. *Non enim cogitationes meæ, cogitationes vestræ.* Disc. 50 n. 10.
c. 57. v. 20. *Impij autem quasi mare fervens, quod quiescere non potest, & redundant fluctus eius in conculcationem & lutum.*
c. 58. v. 1. *Clamare non cesses, quasi tuba exalta vocem tuam.* Disc. 48. n. 7.
c. 59. v. 1. *Ecce non est abbreviata manus Domini ut salvare nequeat, neque aggravata est auris eius, ut non exaudiat.*
c. 59. v. 5. *Ova aspidum ruperunt, qui comederit de ovis eorum, morietur.* Disc 37 n. 6.
c. 59. v. 17. *Indutus est iustitia ut lorica, indutus est vestimentis ultionis.* Disc. 10 n 2.
c. 60. v. 3. 4. & 5. *Et ambulabunt gentes in lumine tuo & reges in splendore ortus tui. Leva in circuitu oculos tuos & vide, omnes isti congregati sunt venerunt tibi: filij tui de longè venient, & filiæ tuæ de latere surgent. Tunc videbis & afflues, & dilatabitur cor tuum.* disc. 2. n. 5. & disc 7. n. 1.
c. 62. v. 6. *Super muros tuos Ierusalem constitui custodes.* Disc. 1. n. 5.
c. 63. v. 1. *Quis est iste, qui venit de Edom tinctis vestibus &c. quare ergo rubrum est indumentum tuum.* Disc. 32. n. 4.
c. 63. v. 2. *Et vestimenta tua sicut calcantium in torculari.* parte 2. n. 8.
c. 63. v. 3. *Torcular calcavi solus & de gentibus non est vir mecum.* Disc 14. n. 6.
c. 63. v. 15. *Ubi est zelus tuus & fortitudo tua.* ibidem.
c. 65. v. 25. *Lupus & agnus pascentur simul, leo & bos comedent paleas &c* Disc. 43. n. 7.

Ieremias.

Cap. 1. v. 11. *Quid tu vides Ieremia? Virgam vigilantem ego video.* Disc. 27 n. 1.
c. 1. v. 18. *Ego quippe dedi te hodie civitatem munitam.* Disc. 2 n. 1.
c. 2. v. 6. *Qui traduxit nos per desertum, per terram inhabitabilem & in viam, per terram sitis & imaginem mortis.* Disc 44. n. 6.
c. 2. v. 12. *Obstupescite cœli super hoc & portæ eius desolamini vehementer, dicit Dominus, duo enim mala fecit populus meus: me dereliquerunt fontem aquæ vivæ &c.* Disc. 35. n. 9
c. 2. v. 18. *Et nunquid tibi vis in via Ægypti, ut bibas aquam turbidam.* Disc. 7. n 8.
c. 2. v. 20. *In omni enim colle sublimi, & sub omni ligno frondoso prosternebaris meretrix.* Disc 42. n. 3. item, disc. 16 n 7.
c. 2. v. 22. *Si laveris te nitro, & multiplicaveris tibi herbam borith, maculata es iniquitate tua &c* disc 38. n. 8.
c. 2. v. 27. *Verterunt ad me tergum & non faciem.* Disc. 29 n. 6.
c. 3. v. 1. *Tu autem fornicata es cum amatoribus multis, tamen revertere &c.* Disc 4. n. 8.
c. 3. v. 3. *Frons mulieris meretricis facta est tibi, noluisti erubescere.* Disc. 17 n 4. item, disc 38. num. 8.
c. 4. v. 4. *Novate vobis novale, & nolite serere super spinas.* Disc. 10. n. 7.
c. 4 v. 23. *Aspexi terram, & ecce vacua erat, & nihil.* Disc. 2 n. 2.
c. 5. v 3 *Percussisti eos & non doluerunt, attrivisti eos & renuunt accipere disciplinam.* Disc. 27 n 2
c. 5. v 3 *Induraverunt facies suas supra petram & noluerunt reverti.* Disc 34 n 5
c. 5. v. 6 *Idcirco percussit eos leo de silva, lupus ad vesperam vastavit eos.* Disc 43. n 4.
c. 5. v. 16. *Quia inventi sunt in populo meo impij insidiantes, quasi aucupes, laqueos ponentes.* Disc. 41. n. 7.

C.7.v.18. *Filij colligunt ligna & patres succendunt ignem, & mulieres conspergunt adipem, ut faciant placentas Reginæ cæli.* Disc.13. n.6.
C.7 v.34 *Quiescere faciam vocem sponsi, & vocem sponsæ.* Disc 1.n.8
C.8.v.22. *Nunquid resina non est in Galaad, aut medicus non est ibi? quare igitur* Disc. 23 n.3.
C.9.v.1. *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum, & plorabo die ac nocte.* Disc 33.n 1.
C.9.v.4. *Vnusquisque se à proximo suo custodiat, & in omni fratri suo non habeat fiduciam, & omnis amicus fraudulenter incedit.* Disc. 41. n.10. & 41.n 3
C.9.v.20. *Docete filias vestras lamentum, & unaquæque proximam suam planctum.* Disc. 34. num. 1.
C.9.v.20 *Quia ascendit mors per fenestras nostras.* Disc.2.n.5,
C.11.v 15. *Quid est, quod dilectus meus in domo mea fecit scelera multa.* Disc.19.n.6.
C.14.v.1. *Factum est verbum Domini ad Ieremiam de sermonibus siccitatis.* Disc.33.n.8.
C.15.v.19. *Si separaveris pretiosum à vili.* Disc. 39.n.3.
C.16 v.16. *Post hæc mittam eis multos venatores.* Disc 44.n.8.
C.17 v.14. *Sana me Domine & sanabor, salvum me fac & salvus ero.* Disc.23.n.10.
C.17.v.21 *Custodite animas vestras, & nolite portare pondera in die Sabbathi.* Disc.13 n 6.
C.18.v.8 *Si pœnitentiam egerit gens illa à malo suo, agam & ego pœnitentiam super malo* disc. 51.n.6.
C.18 20. *Foderunt foveam animæ meæ.* Disc 40. num 2.
C.23.v 4 *Et suscitabo super eos pastores, & pascent eos.* Disc.11 n 2.
C.31 v 18. *Castigasti me, & eruditus sum, quasi iuvenculus indomitus.* Disc.26.n 5.
C.31.v.29 *Patres comederunt uvam acerbam, & dentes filiorum obstupuerunt.* Disc 11.n 5.
C.38 v.6 *Tulerunt Ieremiam & proiecerunt eum in lacum in quo non erat aqua sed lutum: descendit itaque Ieremias in cœnum.* Disc. 17. num 7.
C.39 v.5 *Et locutus est ad eum iudicia &c. occidit Rex Babylonis.* Disc 20.n.2.
C.39 v.6. *Et occidit Rex Nabuchodonosor &c.* Disc.20.n.4.
C.42.v.14. *Non habitabimus in terra ista, sed ad terram Ægypti pergemus &c* Disc.37 n.6.
C.52.v.6. *Obtinuit fames civitatem.* Disc.21.n 1.

Threni.

Cap.1.v 1. *Quomodo sedet sola civitas plena populo, facta est quasi vidua Domina gentiũ &c,* per totum Disc.1.& 2.
C 1.v 2. *Ploran ploravit in nocte &c.* per totum. Disc.3 & 4.
C 1.v.2. *Non est qui consoletur eam ex omnibus charis eius, omnes amici eius &c.* Disc.3 n3.
C.1.v.2. *Omnes amici eius spreverunt eam, & facti sunt ei inimici* Disc.23.n 9.
C.1.v.3. *Migravit Iudas propter afflictionem & multitudinem servitutis* per totum. Disc.36.
C 1 v.3. *Nec invenit requiem: omnes persecutores eius apprehenderunt eam inter angustias* disc. 42 n.2
C.1.v.4 *Viæ Sion lugent, eò quòd non sint, qui veniant ad solemnitatem.* Disc.7. per totum.
C.1.v.4. *Omnes portæ eius destructæ.* Disc 8. per totum.
C 1.v.4. *Sacerdotes eius gementes,* Disc 7 n.5.
C.1.v.4. *Virgines eius squalidæ,* disc 7.n 6.
C.1.v.5. *Inimici eius locupletati sunt* disc.7 n.8.
C.1.v.5. *Parvuli eius ducti sunt in captivitatem,* disc.9 per totum.
C.1.v.6. *Et egressus est à filia Sion omnis decor eius.* disc 20.n 3. item 38.n 1.
C.1.v.6. *Facti sunt Principes eius velut arietes non invenientes pascua,* per totũ. disc.11 & 12.
C.1.v.7. *Viderunt eam hostes & deriserunt sabbatha eius.* per totum disc 13 & 14.
C.1.v.8. *Peccatum peccavit Ierusalem, propterea instabilis facta est.* per totum. disc 15 & 16.
C 1 v.9. *Sordes eius in pedibus eius, nec recordata est finis sui.* disc.17 per totum.
C.1.v.10. *Manum suam misit hostis ad omnia desiderabilia eius.* disc 20. per totum.
C.1. v.10. *Quia vidit gentes ingressas sanctuarium suum, de quibus præceperas, ne intrarent in Ecclesiam tuam* disc 19. per totum.
C.1.v 11. *Omnis populus eius gemens & quærens panem.* disc 21 per totum.
C.1.v 11 *Dederunt pretiosa quæque pro cibo ad refocillandam animam.* disc 22 per totum.
C.1.v.11. *Vide Domine & considera, quoniam facta sum vilis.* disc 20 n.3. item disc.21.n.6.
C.1.v.12. *O vos omnes, qui transitis per viam, attendite & videte, si est dolor sicut dolor meus.* disc.

disc 23 & 24. & 25 per totum.
c.1.v.13 *De excelso misit ignem in ossibus meis, & erudivit me.* disc 25 & 26 per totum.
c.1.v.14. *Vigilavit iugum iniquitatum mearum, in manu eius convoluta sunt, & imposita collo meo, infirmitas est virtus mea.* disc. 27. per totum.
c.1.v.14. *Dedit me Dominus in manu, de qua non potero surgere.* disc. 28. per totum.
c.1.v.15. *Abstulit omnes magnificos meos Dominus de medio mei.* disc. 29. & 31. per totum.
c.1.v.15. *Torcular calcavit Dominus virgini filiæ Sion.* disc. 30. item 32. per totum.
c.1.v.16. *Idcirco ego plorans & oculus meus deducens aquas, quia longè factus est à me consolator.* disc. 33 & disc. 34 per totum
c.1.v.17. *Expandit Sion manus suas, non est qui consoletur eam.* disc 35. & 36 per totum.
c.2.v.17. *Facta est Ierusalem, quasi polluta menstruis inter eos.* disc 37. & 38. per totum.
c.1.v.18. *Iustus est Dominus, quia os eius ad iracundiam provocavi* disc. 39. & 40 per totum.
c.1.v.19. *Vocavi amicos meos, & ipsi deceperunt me.* disc 31. n. 8. item 41. & 42. per totum.
c.1.v.20. *Vide Domine quoniam tribulor, conturbatus est venter meus, subversus est cor meum.* disc. 43. & 44. & 45. per totum.
c.1.v.20. *Quoniam amaritudine plena sum, foris interficit gladius, & domi mors similis est.* disc. 46. n. 1.
c.1.v.21. *Audierunt quia ingemisco ego, & non est qui consoletur me. Adduxisti diem consolationis, & fient similes mei.* disc. 48. & 50. per totum.
c.1.v.21. *Omnes inimici mei audierunt malum meum, lætati sunt, quoniam tu fecisti.* disc. 47. & 49. per totum.
c.1.v.22. *Vindemia eos, sicut vindemiasti me propter omnes iniquitates meas.* disc. 30. n. 3. item 51. per totum.
c.1.v.22. *Multi enim gemitus mei & cor meum mœrent.* disc. 51. per totum.
c.2.v.2. *Luxitque antemurale, & murus pariter dissipatus est.* disc. 1. n. 6.
c.2.v.8. *Cogitavit Dominus dissipare murum filiæ Sion.* disc. 47. n. 4.
c.2.v.8. *Luxitque antemurale & murus pariter dissipatus est.* disc. 1. n. 3.
c.2.v.11. *Defecerunt præ lachrymis oculi mei.* disc. 21. n. 4.
c.2.v.13. *Magna est enim velut mare contritio tua.* disc. 23. n. 9.
c.2.v.15. *Hæccine est urbs, dicentes, perfecti decoris* &c. disc. 1. n. 5.
c.3.v.4. *Vetustam fecit pellem meam.* disc. 10. n. 3.
c.3.v.6. *In tenebrosis collocavit me, quasi mortuos sempiternos.* disc. 4. n. 2. & 4.
c.3.v.7. *Circumædificavit adversum me, ut non egrediar* & v. 9. *concluſit vias meas lapidibus quadris, semitas meas subvertit.* disc. 10. n. 2.
c.3.v.12. *Tetendit arcum suum, & posuit me quasi signum ad sagittam.* Excessus amoris. parte 2. n. 16.
c.3.v.15. *Inebriavit me absynthio.* disc. 22. n. 3.
c.3.v.18. *Perit finis meus.* disc. 18. n. 6.
c.3.v.19. *Recordare paupertatis & transgressionis meæ.* parte 2. n. 1.
c.3.v.22. *Misericordiæ Domini, quia non sumus consumpti.* disc. 52. n. 4.
c.3.v.26. *Bonum est præstolari cum silentio salutare Dei.* disc. 12. n. 9.
c.3.v.51. *Oculus meus depræda tus est animam meam in cunctis filiabus urbis meæ.* disc. 8. n. 5.
c.3.v.52. *Venatione ceperunt me, quasi avem inimici mei gratis.* disc. 16. n. 7.
c.4.v.1. *Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus.* disc. 15. n 4. item 51 n. 10.
c.4.v.1. *Dispersi sunt lapides sanctuarij in capite omnium platearum.* disc. 45 n. 4.
c.4.v.2. *Filij Sion inclyti, & amicti auro primo: quomodo reputati sunt in vasa testea.* disc. 15. n. 4. item 49. n. 4.
c.4.v.5. *Qui vescebantur voluptuosè, interierunt in vijs, qui nutriebantur in croceis* &c. disc. 5. num 12
c.5.v.5. *Lassis non dabatur requies.* disc. 13 n. 2.
c.5.v.6. *Ægypto dedimus manum & Assyriis.* disc. 36. n. 2.

Baruch.

Cap. 3.v.34. *Stellæ dederunt lumen in custodijs suis, & lætatæ sunt* &c. disc. 5. n. 11.
c.6 v.20. *Nigræ sunt facies eorum à fumo qui in domo fit.* disc 7 n 6.

Ezechiel.

Cap 3.v.18 *Si dicente me ad impium, morte morieris, non annuntiaveris ei.* disc. 39. n. 8.
c.8.v.6. *Vt procul recedam à sanctuario meo.* disc 9.v.9.

C.13.v.10. *Parietem liniebant luto absque paleu.* disc.24.n 8.

C.16.v.3. *Pater tuus Amorrhæus & mater tua Cethæa.* disc.38.n.4.

C.18.v.24. *Si autem averterit se iustus à iustitia sua.* disc.20.n.4.

C.19.v.7. *Didicit viduas facere, & civitates eorum in desertum adducere.* disc.2.n.9. & disc.1.n.7.

C.21.v.7. *Idcirco egredietur gladius meus de vagina sua ad omnem carnem ab austro usque ad aquilonem, ut sciat omnis caro &c.* item v.9. *Gladius gladius exacutus est & limatus &c.* liber vitæ pa te 3 n.22.

C.21.v.5. *Sordida, nobilis, grandis interitu.* disc.17.n.5.

C.22.v.23. *Hæc fecerunt in medio domus meæ.* disc.19.n 8.

C.24.v.13. *Immunditia tua execrabilis.* Disc. 17.n.9.

C.33.v 10. *Iniquitates nostræ & peccata nostra super nos sunt & in ipsis non tabescimus &c.* Disc.50.n 7.

C.34.v.2. *Væ pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos.* Disc.11. n.2. ibidem v.3. *Lac comedebatis, & lanis operiebamini & quod crassum erat occidebatis gregem autem meum non pascebatis.* Disc.11.n.3. ibidem, n.4. *quod infirmum fuit non consolidastis & quod ægrotum non sanastis, quod &c.* Disc.11.n.10.

C.36.v.26. *Auferam cor lapideum de carne vestra, & dabo vobis cor carneum.* Disc.27.n.2.

C.43.v.10. *Tu autem fili hominis ostende domui Israel templum.* Disc.19.n.9.

C.44.v. . *Porta hæc lausa erit: non aperietur & vir non transibit per eam.* Disc.8.n 8.

Daniel.

Cap.2.v.32. *Huius statuæ caput ex auro optimo erat pectus autem & brachia de argento, porro venter, & femora ex ære.* Disc.11.n.2.

C.2.v.41. *Porrò quia vidisti pedum & digitorum partem testæ figuli, & partem ferream: regnum divisum erit.* Disc.15.n.5.

C.4.v.30. *Et fœnum ut bos comedit & rore cœli corpus eius infectum est.* Disc.43.n.5.

C.6.v.23. *Tunc vehementer Rex gavisus est super eo, & Danielem præcepit educi de lacu.* Disc.52.n.2.

C.7.v 3. *Et quatuor bestiæ grandes ascendebant de mari diversæ inter se.* Disc.43.n.5.

C.10.v.11. *Princeps autem Regni Persarum restitit mihi viginti & uno diebus.* Disc.9.n.7.

C.13.v.35. *Flens suspexit ad cælum: erat enim cor eius fiduciam habens in Domino.* Disc.26. n.7. item, disc.47.n.5.

Oseas.

Cap.4.v.2. *Maledictum & mendacium, & homicidium & furtum & adulterium inundaverunt &c.* Disc.30.n.8.

C.10.v.2. *Divisum est cor eorum, nunc interibunt.* Disc.45.n.5.

C.12.v.3. *In fortitudine sua directus est cum Angelo, & invaluit ad Angelum.* Disc.34. num.9.

C.13.v.14. *Ero mors tua ô mors, morsus tuus ero inferne.* Disc. 46.n.6. & liber vitæ parte prima, n.3.

Joel.

Cap.1.v.2. *Audite hoc senes & auribus percipite omnes habitatores terræ &c.* Disc.21.n.5.

C.1.v.4. *Residuum eruca comedit locusta &c.* Disc.22.n.3.

C.1.v.9. *Periit sacrificium & libatio de domo Domini, luxerunt Sacerdotes Ministri Domini.* Disc 21.n.4.

C.1.v.11. *Confusi sunt agricolæ, ululaverunt vinitores super frumento, vino, & hordeo.* Disc. 21.n.4.

C.2.v.17. *Inter vestibulum & altare plorabunt Sacerdotes Ministri Domini, & dicent, parce Domine, parce populo tuo.* Disc.7.n.5.

Amos.

Cap.2.v.12. *Quodmodo si eruat pastor de ore leonis duo crura, aut extremum auriculæ, sic eruentur filij Israel* Disc.28. n.7. item, disc. 52. n.4. item, disc.1.n.8.

C.4.v. . *Audite verbum hoc vaccæ pingues, quæ estis in monte Samariæ: quæ calumniam facitis egenis & confringitis pauperes* Disc.11.n 9.

C.4.v.9. *Percussi vos in vento urente, & in aurugine, multitudinem hortorum vestrorum & vinearum vestrarum.* Disc.27.n.8

C.6.v.13. *Numquid arari queunt in petris equi* Disc.11 n.8. item, disc.29 n.9.

C.8.v.11. *Mittam in terram non famem panis neque sitim aquæ, sed audiendi verbum Domini.* Disc.22 n 1

Jonas.

Cap.1.v.12. *Tollite me & mittite in mare, & cessa-*

ceſſabit mare à vobis. Diſc.51 num.3.
C.2.v.2. *Oravit Ionas ad Dominum Deum ſuum de ventre piſcis.* Diſc.40 n.6.

Michæas.

Cap.1.v.9. *Quia deſperata eſt plaga eius.* Diſc. 23.n.9.
C.1.v.10. *In Gethnolite annuntiare lachrymis.* Diſc.31.n.4.
C.1.v.16. *Decalvare & tondere ſuper filios delitiarum tuarum, dilata calvitium tuum ſicut aquila.* Diſc.38.n.3.
C.2.v.10. *Surgite & ite, quia non habetis hic requiem.* Diſc.14.n.3.
C.3.v.2. *Qui violenter tollitis pelles eorum deſuper eis* &c. Diſc.43.n.8.
C.7.v.1. *Væ mihi quia factus ſum ſicut, qui colligit in autumno racemos vindemiæ: non eſt botrus ad comedendum.* Diſc.7 n.3. & 7.in fine.
C.7.v.2. *Periit ſanctus de terra & rectus in hominibus non eſt, omnes in ſanguine inſidiantur, vir fratrem ſuum ad mortem venatur* &c. Diſc 7.n.3.

Habacuc.

Cap.2.v.6. *Aggravat contra ſe denſum lutum.* Diſc.23.n.5.

Aggæus.

Cap.1.v 5. *Ponite corda veſtra ſuper vias veſtras.* Diſc 40.n.2.
C.1.v.11. *Vocavi ſiccitatem ſuper terram.* Diſc. 33.n.8.

Zacharias.

Cap.5.v.7. *Et ecce mulier una ſedens in medio amphoræ & dixit, hæc eſt impietas* &c. diſc.28. num.2.
C.13.v.1. *In die illa erit fons patens domui David & habitantibus Ieruſalem in ablutionem peccatoris.* Diſc 33.n.4
C.13.v.6. *Quid ſunt plagæ iſtæ in medio manuum tuarum.* liber vitæ, parte tertia, n.14.
C.13.v.6. *His plagatus ſum in domo eorum, qui diligebant me.* liber vitæ parte tertia, n.10.

Malachias.

Cap 2. v.3. *Diſpergam ſuper vultum veſtrum ſtercus ſolemnitatum veſtrarum.* diſc 13.n.5.

1 Machabæorum.

Cap.2.v.62. *Gloria eius ſtercus & vermis.* diſc. 17.n.5.
c.4.v.36 *Aſcendamus nunc, mundare ſancta & renovare.* Diſ.43.n.1.
c. 9. v.27. *Et converſæ ſunt nuptiæ in luctum.* Diſc.1.n.1.

2. Machabæorum.

Cap 6. v 24. *Non enim ætatis noſtræ dignum eſt, inquit fingere.ut multi adoleſcentium arbitrantes Eleazarum nonaginta annorum tranſiſſe ad vitam alienigenarum.* Diſc.9 n.9.
c.9 v 5. *Percuſſit eum inſanabili & inviſibili plaga.* Diſc 40.n.7.

Matthæus.

Cap.4.v.5. *Aſſumpſit eum diabolus in ſanctam civitatem & ſtatuit eum ſuper pinnaculum templi.* Diſc.29.n.9
c.5.v.28. *Ego autem dico vobis: quia omnis qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam* &c. Diſc.8 n 7
c. 7. v. 3. *Quid autem vides feſtucam in oculo fratris tui, & trabem in oculo tuo non videa.* Diſc.25.n.8.
c.7.v 13. *Quia lata porta & ſpatioſa via eſt quæ ducit ad perditionem.* Diſc.15.n.4.
c.7.v.25 *Et deſcendit pluvia & venerunt flumina & flaverunt venti, & irruerunt in domum illam, & cecidit & fuit ruina illius magna.* Diſc.16 n.1.
c.8.v.24. *Et ecce motus magnus factus eſt in mari* &c. Diſc 47.n.6
c.9.v.2. *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.* Diſc.31.n.6.
c.9. v.15. *Nunquid poſſunt lugere filij ſponſi, quamdiu* &c. Diſc.1 n.1.
c.10.v 5. *In viam gentium ne abieritis.* Diſc.17. num 1.
c.10.v.7. *Euntes autem prædicate, infirmos curate, mortuos ſuſcitate.* Diſc.39.n.7.
c.11.v.12. *Regnum cœlorum vim patitur & violenti rapiunt illud.* Diſc 34.n.6.
c.12.v 42 *Regina auſtri ſurget in iudicio cum generatione iſta, & condemnabit eam, quia venit à finibus terræ.* Diſc 33.n 8.
c.13.v 14 *Auditu audietis & non intelligetis, & videntes videbitis, & non videbitis.* Diſc.40. num 1.
c 14 v.28 *Domine ſi tu es, iube me ad te venire ſuper aquas.* Diſc 7 n 5.
c 18.v 3 *Niſi converſi fueritis, & efficiamini ſicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum.* Diſc 9.n.1. item 34 n.6.
c.18.v.6. *Qui autem ſcandalizaverit unum de puſillis iſtis.* Diſc.9.n 1.

c.18.v.7. *Necesse est enim, ut veniant scandala.* Disc 9 n.2.
c.19.v.6. *Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet.* Disc.5 n 1.
c.19 v 14. *Sinite parvulos & nolite eos prohibere ad me venire: talium est enim regnum cœlorum.* Disc.9.n 1.
c 19.v.24. *Iterum dico vobis: facilius est camelum per foramen acus transire.* Disc.52. n.5.
c.19 v.27. *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te* &c. Disc.5 n 8.
c.20.v.16. *Multi enim sunt vocati: pauci verò electi.* Disc.7.n.8.
c.22.v.2. *Simile factum est regnum cœlorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo.* Disc. 7. n.1. & disc.1.n.1.
c.22.v.12. *Amice quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem* Disc 1 n.8.&.9.
c.22. v.13. *Ligatis manibus & pedibus eius* &c. Disc.20.n 6.
c.23.v.2. *Super Cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi* Disc.15 n.4.
c.23.v.32 *Et vos implete mensuram patrum vestrorum* Disc.27.n.1.
c.23.v.34. *Et ex illis occidetis & crucifigetis, & ex eis flagellabitis in Synagogis vestris.* Disc. 39.num.2.
c 23. v. 37. *Quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas*
c.26. v.52 *Converte gladium tuum in locum suum, omnes enim* &c. Disc.49 n.2.

Marcus.

Cap.4. v.38. *Magister non ad te pertinet, quia perimus.* Disc.47.n 7.
C.5.v.26. *Fuerat multa perpessa à compluribus medicis & erogaverat omnia sua* &c disc 23. num.3

Lucas.

Cap.4.v.38. *Tenebatur magnis febribus.* Disc. 16 n.4.
c 8.v.11 *Semen est verbum Dei.* disc.21.n.2.
c 8.v.43. *In medicos erogaverat omnem substantiam suam.* Disc 23 v.3.
c 9. v.23. *Si quis vult post me venire, abneget semet ipsum & tollat crucem suam quotidie & sequatur me.* Disc.14 n.3.
c.9.v.31. *Dicebant excessum eius, quem completurus erat.* Excessus amoris, parte prima, n 1.
c.9.v.54. *Domine, vis dicimus, & ignis descendat de cœlo - nescitis cuius spiritus estis.* Disc. 49.n.2.
c.9.v.58. *Vulpes foveas habent, & volucres cœli nidos: filius autem hominis non habet, ubi caput suum reclinet.* Disc.14 n.6.
c.9 v.61. *Nemo mittens manum ad aratrum, & respiciens retro* &c. Disc 5.n.13.
c.10.v.33. *Misericordia motus est & appropians alligavit vulnera eius infundens oleum & vinum.* disc.30 n 4
c.10.v 42. *Porrò unum est necessarium.* disc 18. num 2.
c.11.v.8. *Si perseveraverit pulsans, propter improbitatem tamen eius surget & dabit illi.*
c.13.v.3 *Nisi pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis.* disc 24 n 8.
c.14. v.32. *Adhuc illo longè agente legationem mittens rogat, ea quæ pacis sunt.* disc 34 n 7.
c.15.v.4. *Nonne dimittit nonaginta novem in deserto & vadit ad eam, quæ perierat.* disc.2. num.6.
c.15.v.5. *Imponit in humeros suos gaudens, & veniens domum convocat amicos & vicinos,* disc 49 n 2.
c.15 v 16 *Cupiebat implere ventrem de siliquis, quas porci manducabant: & nemo illi dabat.* disc.22.n.2 & 44.n.6.
c 15.v.17. *Quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereo.* disc.12.n.3 & disc.22.n.6.
c.15 v.21. *Pater peccavi in cœlum & coram te, iam non sum dignus vocari filius tuus.* disc. 24.n 2.
c.16.v.8. *Filij huius sæculi prudentiores filiis lucis.* disc.3 n 3.
c 18. v.35. & v.38 *Cæcus quidam sedebat secus viam mendicans* &c. *& clamavit dicens: Iesu Fili David miserere mei* disc 4 n.7.
c.19.v.41. *Et ut appropinquavit: Videns civitatem flevit super illam.* disc.34.n.8.
c.22. v.32 *Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua.* disc 15 n.1.
c 22 v 44. *Et factus est sudor eius sicut gutta sanguinis decurrentis in terram.* disc 46.n 2.
c.23.v 28. *Filiæ Ierusalem nolite flere super me, sed super vos ipsas flete & super filios vestros.* liber vitæ, parte tertia n 11.
c.23.v.48. *Et omnis turba eorum, qui simul aderant ad spectaculum istud, & videbant quæ fiebant* &c liber vitæ, parte tertia. n.2.
c.24 v.13. *Et ecce duo ex illis ibant ipsa die in castellum, quod erat in spatio stadiorum sexaginta*

ginta ab Ierusalem, nomine Emaus. disc 14. n 2 ibidem v 26. *oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam.* disc 14.n 3.
c.24.v 29. *Mane nobiscum, quoniam advesperascit* disc 2.n 4.

Joannes.

Cap.1.v.5 *Lux in tenebris lucet.* disc. 4.n.7.
c 3 v.19. *Dilexerunt homines magis tenebras quàm lucem.* disc 3 n 2.
c.4 v.35. *Levate oculos vestros & videte regiones, quia albæ sunt iam ad messem.* Disc. 2. num.2.
c.5. v.3. *In his iacebat multitudo magna languentium, cæcorum, claudorum, aridorum* &c. disc.29 n.4.
c.7. v.37. *In novissimo autem die magno festivitatis stabat Iesus & clamabat dicens, si quis sitit veniat ad me & bibat* disc 33 n.1
c 9.v 2 *Rabbi quis peccavit, hic, aut parentes eius ut cæcus nasceretur* disc 31.n 1.
c 9 v.31 *Scimus autem quia peccatores Deus non audit: Sed si quis Dei cultor est, & voluntatem eius facit, hunc exaudit* disc 35 n.6.
c 10 v.11 *Ego sum pastor bonus, bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis.* disc 11 n 10. ibidem n.9 *Ego sum ostium, per me si quis introierit, salvabitur, & ingredietur & egredietur & pascua inveniet.* disc 12 n 2.
c.11. v. 18 *Erat autem Bethania iuxta Ierosolymam quasi stadys quindecim* disc 14 n 5.
c.11 v.33 *Infremuit spiritu, turbavit seipsum, lachrymatus est* &c. disc 24 n 8.
c.12 v 6 *Sed quia fur erat, & loculos habens, ea quæ mittebantur, portabat* disc 6.n.2.
c.12. v 35 *Qui ambulat in tenebris, nescit quò vadat.* disc 4 n.2.& n 8. & disc 43.n.2.
c 13.v.1. *Cum dilexisset suos in finem dilexit eos.* liber vitæ, parte 2. n.1 & disc 18.n.2
c.13.v.13. *Vos vocatis me Magister & Domine & bene dicitis, sum etenim* disc 14 n 1.
c 15 v 12 *Hoc est præceptum meum: ut diligatis invicem* disc 43 n 4
c.16. v 7. *Ego veritatem dico vobis: expedit vobis ut ego vadam: si enim non abiero, paraclitus non veniet ad vos.* disc.12 n 7
c.18. v 12 *Cohors ergo, tribunus, & ministri Iudæorum comprehenderunt Iesum & ligaverunt eum* ibidem parte 2. n. 9.
c.18 v 20. *Ego palam locutus sum mundo, ego semper docui in Synagoga & in templo, quo omnes Iudæi conveniunt* &c. liber vitæ parte tertia n .
c 13. v 24 *Misit eum Annas ligatum ad Caipham Pontificem* liber vitæ, parte tertia n 1,
c 18 v.36, *Regnum meum non est de hoc mundo, ergo Rex es tu, tu dicis, quia Rex sum ego, ego in hoc* &c. liber vitæ parte tertia n 2
c 19.v.34. *Sed unus militum lancea latus eius aperuit, & continuò exivit sanguis & aqua.* disc 33 n 2.
c 21.v. 4 *Stetit Iesus in littore* disc.10 n 5.
c.21.v 16. *Domine tu scis, quia amo te.* disc.48. num 5.
c.21 v.17. *Simon Ioannis, amas me, contristatus est Petrus, quia dixit ei tertiò, amas me.* disc. 32.n.4.

Acta Apostolorum.

Cap.1. v.12. *Tunc reversi sunt Ierosolymam à monte, qui vocatur Olivveti, qui est iuxta Ierusalem, sabbathi habens iter.* disc 14.n.2.
c. 4. v 32. *Multitudinis autem credentium erat cor unum, & anima una* disc.1 n.2 item disc. 43 n 7 & 45 n 3.
c.9. v.1. *Saulus autem adhuc spirans minarum & cædis.* disc 50.n.5.
c.10. v. 11 *Vidit vas quoddam velut linteum magnum quatuor initijs submitti de cælo in terram.* disc.44 n.5.
c.17.v.18. *Ipsius enim & genus sumus, genus ergo cum simus Dei.* disc.17.n.2.
c.19.v 9. *Discedens ab eis, segregavit discipulos quotidie disputans in schola tyranni cuiusdam.* disc 26 n.3.

Ad Romanos.

Cap. 5.v.20. *Ubi autem abundavit delictum superabundavit gratia* disc.24 n.3.
c.7.v 24. *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius.* disc 52.n.3.
c 8. v.10 *Corpus quidem mortuum est propter peccatum* disc.46 n.6.
c.9.v 3. *Optabam enim ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis* disc.11 n 2.
c.10.v.4. *Finis enim legis, Christus, ad iustitiam omni credenti* disc 17. n.7.
c 10 v 15. *Speciosi pedes evangelizantium.* disc. 17 n.1.
c.13 v.14. *Induimini Dominum Iesum Christum* disc.38 n 7.
c 14 v 16 *Non ergo blasphemetur bonũ nostrum* disc.9 n.8.

1. Ad Corinthios.

Cap. 2. v. 2. *Non enim iudicavi me scire aliquid inter vos, nisi Iesum Christum & hunc crucifixum.* liber vitæ parte tertia, n. 1. & parte tertia, n. 10.

C. 7. v. 33. *Qui cùm uxore est, sollicitus est, quomodo placeat uxori, & divisus est.* Disc. 1. n. 9.

C. 9. v. 24. *In stadio currunt, omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium.* Disc. 18. n. 1.

C. 9. v. 26. *Sic pugno, non quasi aërem verberans sed castigo corpus meum.* Disc. 48. n. 6.

C. 10. v. 4. *Petra autem erat Christus.* Disc. 16. num. 1.

C. 10. v. 32. *Sine offensione estote Iudæis & gentibus & Ecclesiæ Dei.* Disc. 9. n. 6.

C. 10. v. 33. *Non quærens quod mihi utile est, sed quod multis, ut salvi fiant.* Disc. 11. n. 3.

C. 11. v. 10. *Ideo debet mulier potestatem habere.* Disc. 19. n. 4.

C. 11. v. 19. *Nam oportet & hæreses esse.* Disc. 9. n. 2.

C. 13. v. 1. *Factus sum velut æs sonans aut cymbalum tinniens.* Disc. 15. n. 2.

C. 15. v. 55. *Vbi est mors victoria tua, ubi est mors stimulus tuus.* Disc. 46. n. 6.

2. Ad Corinthios.

Cap. 1. v. 10. *Qui de tantis periculis nos eripuit & eruit.* Disc. 52. n. 10.

C. 5. v. 14. *Charitas Christi urget nos.* Disc. 5. num. 9.

C. 10. v. 4. *Nam arma militiæ nostræ non carnalia sunt.* Disc. 48. n. 6.

C. 12. v. 7. *Datus est mihi stimulus carnis meæ, propter quod ter Dominum rogavi.* Disc. 35. num. 7.

C. 5. v. 19. *Pro Christo legatione fungimur.* Excessus amoris, parte 2. n. 18.

Ad Galatas.

Cap. 2. v. 20. *Qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me* Disc. 24. n. 8.

C. 4. v. 14. *Sicut Angelum Dei excepistis me, sicut Christum Iesum.* Disc. 39. n. 8.

C. 6. v. 1. *Fratres, & si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui spirituales estis, huiusmodi instruite in spiritu lenitatis.* Disc. 49. num. 5.

C. 6. v. 2. *Alter alterius onera portate.* Disc. 49. num. 5.

Ad Ephesios.

Cap. 2. v. 4. *Propter nimiam charitatem suam.* Excessus amoris, parte 2. n. 1.

C. 2. v. 20. *Superædificati super fundamentum Apostolorum & Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Iesu.* Disc. 1. n. 2.

C. 4. v. 1. *Obsecro itaque vos ego vinctus in Domino vocatione qua vocati estis.* Disc. 45. n. 9.

C. 4. v. 2. *Supportantes invicem in charitate.* Disc. 49. n. 9.

C. 5. v. 8. *Eratis enim aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.* Disc. 4. n. 8. & disc. 38. num. 6.

C. 5. v. 27. *Vt exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam &c.* Disc. 15. n. 7.

C. 5. v. 29. *Nemo enim unquam carnem suam odio habuit.* Disc. 36. n. 2.

Ad Philippenses.

Cap. 1. v. 23. *Desiderium habens dissolvi & esse cum Christo.* Disc. 32. n. 9.

C. 3. v. 13. *Vnum autem, quæ quidem retrò sunt obliviscens, ad ea verò &c.* Disc. 18. n. 5.

Ad Colossenses.

Cap. 2. v. 14 *Delens quod adversus nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis.* liber vitæ parte tertia, n. 15.

1. Ad Timotheum.

Cap. 5. v. 17. *Qui benè præsunt Presbyteri, duplici honore digni habeantur.* Disc. 25. n. 6.

2. Ad Timotheum.

C. 2. v. 16. *Profana autem & vaniloquia devita, multùm enim proficiunt ad impietatem.* Disc. 37. n. 4.

Ad Titum.

Cap. 1. v. 16. *Confitentur se nosse Deum, factis autem negant.* Disc. 34. n. 3.

Ad Hebræos.

Cap. 1. v. 1. *Olim Deus loquens patribus in Prophetis novissimè locutus est nobis in filio.* Disc. 39. n. 2.

Cap. 2. v. 17. *Vnde debuit per omnia fratribus similari, ut misericors fieret.* Disc. 50. n. 2.

C. 9. v. 7. *Semel in anno solus Pontifex.* Disc. 19. num. 8.

C. 10. v. 1. *Vmbram enim habens lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum.* ibidem parte 2. n. 3.

C. 9. v. 4. *Impossibile enim est sanguine taurorum & hircorum auferri peccata.* ibidem parte 2. n. 3.

C. 12. v. 2. *Proposito sibi gaudio sustinuit crucem.* liber vitæ, parte prima. n. 5.

C. 12. v. 11. *Omnis autem disciplina, in præsenti quidem videtur non esse gaudij, sed mœroris.* Disc. 26. n. 3.

C. 12. v. 24. *Testamenti novi mediatorem Iesum, & sanguinis aspersionem melius loquentem quàm Abel.* ibidem parte tertia. n. 16.

Epistola S. Jacobi.

Cap. 2. v. 10. *Si quis offendit in uno factus est omnium reus.* Disc. 26. n. 5.

c. 2. v. 19. *Dæmones credunt & contremiscunt.* Disc. 19. v. 10.

Epistola 1. S. Petri.

Cap. 2. v. 1. *Deponentes igitur omnem malitiam & omnem dolum & simulationem.* Disc. 41. n. 10.

c. 5. v. 3. *Neque ut dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo.* Disc. 11. n. 8.

c. 5. v. 8. *Sobrij estote & vigilate, quia adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens, quem devoret.* Disc. 32. n. 4.

Epistola 2. S. Petri.

Cap. 2. v. 14. *Oculos habentes plenos adulterij & incessabilis delicti.* Disc. 8. n. 7.

c. 2. v. 19. *A quo enim quis superatus est, huius & servus est.* Disc. 20. n. 3.

Epistola S. Judæ.

Cap. 1. v. 12. *Nubes sine aqua, quæ à ventis circumferuntur.* Disc. 16. n. 3.

Apocalypsis.

Cap. 5. v. 1. *Scriptus intus & foris signatus sigillis septem.* liber vitæ, parte prima, & 2. & 3. per totum.

c. 7. v. 1. *Posthæc vidi quatuor Angelos stantes super quatuor angulos terræ tenentes quatuor ventos terræ* &c. Disc. 31. n. 3.

c. 8. v. 1. *Factum est silentium in cœlo.* Disc. 19. num. 3.

c. 9. v. 6. *Quærent homines mortem & non invenient eam, & desiderabunt mori, & fugiet mors ab eis.* Disc. 32. n. 8.

c. 12. v. 4. *Et cauda eius trahebat tertiam partem stellarum cœli.* Disc. 9. n. 3. *Draco stetit ante mulierem, quæ erat paritura.* Disc. 1. num. 8.

c. 13. v. 8. *Agnus qui occisus est ab origine mundi.* Ibidem parte secunda, n. 5.

c. 15. v. 2. *Et vidi tanquam mare vitreum mistum igne & eos, qui vicerunt bestiam & imaginem eius.* &c. Disc. 31. n. 4.

c. 18. v. 2. *Cecidit cecidit Babylon magna, & facta est habitatio dæmoniorum & custodia omnis spiritus immundi.* Disc. 6. n. 3.

c. 21. v. 2. *Vidi civitatem sanctam Ierusalem* &c. *sicut sponsam* &c. Disc. 1. n. 5.

c. 21. v. 25. *Et portæ eius non claudentur per diem nox enim non erit illic.* Disc. 8. n. 2.

c. 21. v. 27. *Non intrabit in eam aliquod coinquinatum.* Disc. 17. n. 9.

c. 22. v. 11. *Qui in sordibus est, sordescat adhuc.* Disc. 17. n. 9.

INDEX

Rerum in Planctu Ecclesiæ & Animæ.

Abradara

REx, consorte orbatus, inconsolabilis. Discurs. 2. num. 2. fol. 14.

Abraham

Figura rationis, quæ separari debet à Loth, id est, à sensualitate. Disc. 12. n. 1. f. 101.

Absolom.

Crinibus hærens, peccator consuetudinarius. Disc. 28. n. 9. f. 237.

Abyssus

Est cor peccatoris. Disc. 4 n. 3. f. 31.
Invocat. Disc. 6. n. 3. f. 52.

Achior

Ex offenso, vel reconciliato Deo Iudæorum potentiam metitur. Disc. 51. n. 7. f. 441.

Actæon

Christus atque hinnulus cervorum. Disc. 44. n. 9. f. 382.

Adam

E Paradyso eiectus, consolationes carnales quæsivit. Disc. 12. n. 5. f. 104.
Cur è regione Paradysi positus? Disc. 40. n. 4 f. 342.
Qualiter, & quàm graviter peccarit? Disc. 30. n. 2. & 3. f. 249. & 450.
Quomodo illi post peccatum aperti sint oculi? Disc. 40. n. 3. f. 342.

Adolescentia.

Vide iuventus. *V. I.*

Ægyptij

Nos ad amicitiam allicientes, sunt dæmones. Disc. 42. n. 7. f. 303.

Æs

Ærea scuta Christiani, & Theologi tinnientes. Disc. 15. n. 3. f 125.
Æs percussum sonans, peccatorem clamantem sed non contritum signat. Disc. 27. n. 3. f. 223.

Agar

Plorans filium siti morientem, Ecclesia. Disc. 21. n. 4. f. 173.

Alexander

Magnus equos totondit, mœnia diruit, mortuo Hephestione. Disc. 23. n. 4. f 190.
Lysimachi vulnus diademate ligat. ibidem.
Fuit pardus. Disc. 43. n. 5. f. 370.
Oculu non fidit. Disc. 8. n. 7. f. 71.
Ligari se nō passus. Exc. am. p. 1-n 9. f. 495.

Alimenta

Subtrahit Deus ijs abutentibus. Disc. 35. n. 4. f. 297.

Amalecitæ,

Sunt peccata, quæ nisi à nobis occidantur, ipsa nos occidunt. Disc. 42. n. 5. f. 361.

Aman.

Huic mundus paravit laqueum. Disc. 36. n 2. f. 304.

Ambitio

In multa peccata præcipitat. Disc. 6. n. 9. f. 57.
Est elementem vitiorum Disc 29 n. 2. f 240.
Varia eius epitheta. ibid. f. 240.
Ambitiosus se servum omnium facit. n. 2. & 3. f. 240. & f. 241.

Evertit

Tempestates contra Ecclesiam suscitavit. n. 2.
Evertit regna. n. 2. & 7. f. 241. & f. 245. & 7. f. 240. & f. 245.
Est sicut probatica piscina. n. 4 f. 242.
Etiam senes ambitione inflammantur. n. 4. & 6. f. 242. & f. 244.
Ambitiosi expectant aquæ motum & mutationes. n. 5. f. 243.
Sequuntur honores sicut pueri papiliones. n. 6. 7. f. 244.
Ambitio est Pythonissa excitans religiosos. n. f. 245.
Est saga, tempestates excitans. ibid. f. 245.
Ducit super montem & pinnaculum templi præcipitandos, n. 8. & 9. f. 246. & 247.
Est cochlea, per quam tortuosè ascenditur. n. 8. f. 246.

Amicus.

Amicus & non amicus fuit ille ejectus ob defectum vestis nuptialis. Disc. 1. n. 9. f. 10.
Amici carnales iuvare non possunt in morte. Disc 36. n. 4. f. 306.
Amicus fidelis, quàm utilis & consolatorius? Disc. 41. n. 1. f. 448.
Amicorum falsitas, per totum. Disc. 41. f. 348.
Amicus falsus sicut dens putridus, & pes lassus. n. 3. f. 350.
Est cygnus, foris albus, intus niger. n. 5. f. 352.
Est chymera. n. 5. f. 352. *Sunt sicut feles.* n. 7. f. 354.
Amici falsi sunt sicut aucupes. n. 7. f. 353.
Sunt sicut molendinum venti. n. 8. f. 355.
Sine lucro non serviunt. n. 8. f. 355.
Amicus bonus est anchora. n. 10. f. 357.
Amicus falsus declaratus apologo de vulpe & gallo. n. 9. f. 355.

Amnon

Ex amore Thamar attenuatur macie. Excessus amoris parte 2. n. 8. f. 511.
Violatam odit sororem. Disc. 42. n. 3. f. 370.

Amor.

Amoris excessus in Christi passione. Excess. amor. per totum f. 490.
Amor incastus vertitur in odium. Disc. 42. n. 3. f. 370.
Amor Dei mundum facit contemnere. Disc. 5. n. 9. f. 44.
Amans aliquid præter Deum, minùs amat Deum. n. 9. f. 45.

Anates.

Peccatores Christum gallinam deserunt. Disc. 42. n. 9. f. 364.

Angeronia

Vicina Volupiæ. Disc. 42. n. 3. f. 370.

Anchora

Est amicus fidelis. Disc. 41. n. 10. f. 357.

Angelus.

Angeli an, & quomodo inter se possint esse discordes. Disc. 9. n. 8. f. 80.

Anima.

Est quasi civitas. Disc. 2. n. 2. f. 13.
Quomodo sola plena populo? ibidem.
Animam nulla creatura consolari potest. n. 2. f. 14.
Animæ est Christus, quod mundo sol. n. 4. f. 15.
Peccatrix vidua. n. 7. f. 19.
Cæca se non agnoscit. Disc. 4. n. 2 f. 30.
A Deo avulsa instabilis. per totũ. D 16. f. 131.
Animæ locus naturalis est Deus. n. 5. f. 135.
Anima nidum in foraminibus petræ ponat. n. 7. f. 137.
Anima suis, est quasi sal. Disc. 18. n. 4. f. 149.
Anima humana est spiraculum Deiforme. n. 4. f. 149.
Animæ peccatricis miseriæ & spoliatio. per totum. Disc. 20 f. 162.
Anima regina. n. 2 f. 163.
Animæ peccatricis figura Sedecias. Disc. 20. n. 2. f. 163.
Purgatur per turbationem contritionis. Disc. 24. n 2. f. 196.

Animæ dignitas ex passione Christi colligitur. liber vitæ, parte 1. n. 4. f. 458.
Anima est eques, Caro asina. Disc 26. n. 9. f. 219.
Animæ mors deflenda magis, quàm corporis. Disc. 34. n. 3. f. 287.
Anima peccatrix perdit decorem. Disc. 38. n. 1. & seq. f. 321.
Est surda & cæca. Disc. 40. n. 1. f. 340.
Adultera. Disc. 42. n. 3 f. 359.
Animæ in gratia positæ pulchritudo. Disc. 38. n. 5 f. 325
Quomodo illi deperdita per peccatum pulchritudo restituatur. f. 326.
Anima peccatrix V. peccator.

Antiochus.

Deum orans quidem, sed illudens non exauditus. Disc. 40. n. 7 f. 345.

S. Antonius.

Illius visio de hæreticis tanquam mulis. Disc. 21. n. 6. f. 174.

Apis

Mel habet & aculeum, significat mortem. Disc. 46. n. 5. & 6. f. 396.
Aculeum corpori vivo, non autem mortuo, figens amittit. n. 6. f. 396.

Apostata.

Apostatæ magnas incurrunt angustias. Disc. 5. n. 2. f. 39. & n. 13 f. 47.
Apostasia unde proveniat. Disc. 5. n. 2. f. 47.

Aquila.

Lumen amat, sic Ecclesia. Disc. 3. n. 4. f. 25.
Nidificat in petris. Disc. 16. n. 7 f. 137.
Quomodo renovetur? Disc. 38. n. 3. f. 324.

Aquæductus.

Est gratia sacramentalis. Disc. 48. num. 7. f. 416.

Aranea.

Araneæ tela pro muro fuit Felici presbytero. Disc. 47. n. 8. f. 407.

Arbor.

Scientiæ boni & mali, quare sic dicta? Disc. 40. n. 3. f. 341.

Arca Noë.

Figura Ecclesiæ. Disc. 45. n. 7. f. 387.

Arca Dei.

Figura, Venerab. Sacramenti. Disc. 30. n. 6. f. 354.
Christi capti in horto. Excessus amoris parte prima n. 10. f. 496.

Arena.

Sicut peccata, quæ stabile non habent fundamentum. Disc. 16. n. 1. f. 131.

Asinus.

Peccator pungitivis pascitur. Disc. 22. n. 5. f. 184.
Asina instruit Balaam. Disc. 26. n. 8. f. 219.
Sic caro afflicta spiritum. f. 220.

Aspis.

Aspidum ova quæ venenum condunt, est mala societas. Disc. 37. n. 5. f. 317.

Attritio

Quid sit? constat timore servili. Disc. 24. n. 2. f. 196.
Iustificat cum Sacramento, non autem sine. n. 6. & 7. f. 200.
Est sicut triaca mixta timore servili. n. 7. f. 201.

Avarus.

Est sicut cisterna. Disc. 33. n. 9. f. 283.

Avis.

In nido secura, instabilis loco, incidit in laqueos. Disc. 16. n. 5. f. 135.

Aucupes

Sunt typus falsorum amicorum. Disc. 41. n. 7. f. 353.

Aurum.

Copiosū tēpore Salomonis. disc. 15. n. 3. f. 125.

B.

Baiazetes.

A Tamerlane caveæ inclusus. Disc. 43. n. 6. f. 371.

Balaam

Ab asina instruitur, sic spiritus à carne tribulata. Disc. 26. n. 8. f. 219.

Basiliscus

Mulier, non tam videns, quam visa. Disc. 8. n. 7. f. 72.

Benadad

Victus deprecatur, & obtinet veniam. Disc. 51. n. 9. f. 443.

C.

Cæcitas.

Cæcitas mentis. Disc. 4. n. 1. & seq. f. 29.

Cæcitatis agnitio, conversionis initium. n. 7. f. 34.

Cæsar.

Jul: Cæsar Decies centena millia hominum occidit. Disc. 43. n 6. f. 371.

Calvities,

Quid denotet? Disc. 38 n. 3. f. 323.

Canis.

Canis famelicus peccator, rodit cadavera. Disc. 22. n. 4 f 183.

Venaticus è spinis feram extrahit, sic Christus animas. liber vitæ, parte 3. n. 8. f. 475.

Capilli.

Capilli sunt peccata, semper crescentia & ingravescentia. Disc. 28. n. 9. f. 237.

Capilli Samsonis signant gratiam Spiritus sancti. Disc. 48 n. 4 f. 413.

Carbones

Extinguuntur, si distinguuntur. Disc. 45. n. 9. f 391.

Caro

Ducit ad suspendium. Disc 36. n. 2. f. 304.

Carnales amici juvare non possunt in morte. n. 4. f. 306.

Caro despicienda propter sui vilitatem. n. 9. f 312.

Infirma sustentatur ab ossibus sic debiliores à firmioribus. Disc 49. n. 7 f. 424.

Carnalis consolatio. vide, Consolatio.

Carolus M.

Zelosus in defendenda Ecclesia. Disc. 31 n. 4. f. 260.

Eius oratio ad nobiles Germanos. n. 5. f. 261.

Catharina

B. Catharina Bononiensis post mortem inflectit se SS. Sacramento. Disc 21. n. 9. fol. 178.

Charitas

Est fortis ut mors. Disc 45 n 3 f. 385.

Charitate omnia crescunt. ibidem.

Est cementum quo lapides Ecclesiæ iunguntur. n. 4. f. 386.

Est Bitumen Arcæ Noë. n. 7. f. 38.

Christus.

Mutans vestes cum humana natura, hanc à morte liberat. Excessus amor. parte. 2. n. 1. f. 504.

Orans in horto, nos orare docet. parte prima. n. 3. f. 493.

Fideiussor noster. n. 4. f. 494.

Quomodo ab Angelo confortatus. n. 4. f. 495.

Salutem animarum, vitæ præponit. n. 5. fol. 496.

Eius sanguineus sudor unde causatus? n. 6. f. 491.

Prosternens inimicos fugere noluit. n. 8. f. 498

Assimilatus capreæ & hinnulo. n. 8. f. 498.

Alter Actæon. n. 9.

Ligatus sævissimè. n. 9. f. 500.

Christi passio fuit excessus in omnibus virtutibus, maximè autem in amore. Excessus amoris, parte 1. n. 1. f. 491.

Maiestati amor oculos claudit, iudicibus sistit. parte 2. n. 2. f. 505.

Eius flagellatio fuit excessus nostræ luxuriæ & Christi amoris. n. 5. f. 508.

In carnatione fuit rosa rubens & ardens. n. 6. f. 510.

Sententiam mortis profert in Christum tota curia cœlestis : etiam ipsa mater. n. 11. &

& 12. *cui & ipse filius consentit.* n. 12. f. 514. & seq.
Mittit animæ effigiem. n. 15. f. 518.
Crucifixio dolorosa. n. 15. f. 518.
Sicut Hannibal pacem petit, à patre & peccatoribus. n. 17. f. 520.
Ex amore matrem suam nobis legavit. n. 20. f. 523.
Sitivit in cruce animas. n. 20. f. 524.
Cor aperiri voluit, ut appareret se mortuum ex amoris excessu. n. 22. f. 525.
Christus Samaritanus suo sanguine nos sanat. Disc. 50. n. 4. f. 429.
Vult sibi comparare magnum nomen misericordiæ. n. 5. f. 428.
Christus hircus pro peccato. liber vitæ parte 2. n. 4. f. 465.
In Christo triplex voluntas. n. 5. f 464.
Eius contristatio nobis ad doctrinam. n. 6. f. 464.
Sub prælo positus per sudorem sanguineum. n. 7 f. 467.
Ligatur liber vitæ vinculis ferreis. n. 9. f 468.
Censuræ subditur quoad fidem & mores. parte tertia. n. 2. f. 472.
Flagellatio crudelissima. n. 5. f. 474.
In flagellatione scriptus intus & foris. n. 6. f. 475.
Coronatio Christi quam pœnosa? n. 7. f. 476.
Christus sicut canis venaticus inter spinas animam quærit. n. 8. f. 476.
Fuit lignum viride. n. 11. f. 480.
Facies Christi clypeus. n. 13. f. 482.
In manibus nos descripsit ac depinxit. n. 15. f. 483.
Christi sanguis clamat misericordiam. n. 16. f. 484.
In iudicio clamabit vindictam. ibid. f 485.
Est medicus omnipotens. Disc. 28 n 7 f. 226.
Ex latere Christi fons manavit. Disc. 33. n. 1. f. 276.
Christus fons. n. 2. & seq. f. 277. item Disc. 48 n. 7.
Sitit sitiri. Disc. 33. n. 5. f. 279.
Eius vulnera canales piscinæ. n. 6. f 280.
Sunt quinque porticus. ibidem. f. 281.
In passione descendit in piscinam. ibidem.
Nos docuit lachrymari. Disc. 34. n. 1. 9. & 11. f. 285. & 290.
Christus petra in passione interrupta. n. 4. f. 281.
In SS. Eucharistia noster captivus est. Disc. 35. n 9. f. 302.
Christus manus in cruce extendit ad nos invandos. Disc. 36. n. 9 f. 311.
Christus Actæon venator à canibus laceratus. Disc. 44. n. 9. f. 382.
Quæliter mortem exhorruit. Disc. 46. n. 2. f. 393.
Amaritudinem mortis sicut sanguisuga à nobis extraxit. ibidem.
Sua morte nostram dulcoravit. n. 3. f. 394.
Christus unicornium aquas mortis purificavit. n. 5. f. 396.
Christus passionem suam meditanti in morte assistet n 9 f. 399
Dormit, ut in extrema necessitate excitetur. Disc. 47. n. 6. f. 405.
Christus Samaritanus. Disc. 50 n. 4. f. 429. & Disc. 23. n. 10. f. 194.
Christus murus & antemurale. Disc. 1. n. 5. f. 7.
In cœlo esse noluit sine homine. Disc. 2. n. 6. f. 18.
Est tantum racemator, qui paucos botros colligit. Disc. 7. n. 8. f. 65.
Christi præsentia discipulis tollenda, ut consolator spiritus veniret. Disc. 12. n. 7 f. 105.
In hoc mundo non habuit sabbathum sed feriam sextam. Disc. 14. n. 3. & 6. f. 117. & 121.
Sabbathum habuit in sepulchro. n. 6. f. 121.

In Christi manibus & pedibus nidificandum. Disc. 16. n. 8. f. 137.
Christus balneum abluendis sordibus nostris ex suo sanguine paravit. Disc. 17. n. 9. f. 145.
Mirus liber vitæ, Christus. liber vitæ, parte prima n. 1. f. 456.
Eius septem sigilla. n. 2. f. 456.
In Christo hamus divinitas, vermis seu esca humanitas. n. 2 f. 456.
Christi caro saccus, sanguis pretium. n. 3. fol. 458.

Christianus.

Christiani olim vasa aurea, iam lutea & vitrea. Disc. 49. n. 4. f. 421.
Christianus scandalosè vivens, blasphemare facit inimicos Dei. Disc. 9. n. 5. f. 78.
Christiani olim aurei, modò vix ferrei aut lignei. Disc. 15. n. 2 f. 124.
In viam & sordes gentium abeunt. Disc. 17. n. 1. f. 139.
Quo sanguine nati? n. 2. f. 139.
A Christo sic dicti. n. 8. f. 144.
Hæredes nominis & vitæ Christi. n. 2. fol. 140.
Corrupti mores apud Christianos communes sunt. n. 3. f. 141.
De iis non amplius erubescunt, sed gloriantur. n. 4. f. 142.
Christianus peccator, est sordidus nobilis. n. 5. f. 142.
Christianorum terræ non ex moribus, sed ex turribus agnoscuntur. n. 6. f. 143.
Non agnoscuntur propter sordes. n. 7. f. 144.
Opus foret nomen Christiani fronti affigere. n. 7. f. 144.
Mor bus sunt Anti-Christi, id est, Christo toti contrarij. n. 8 f. 144.
Nolunt mundari. n. 9 f. 145.
Sunt vestes & tunica Christi. Disc. 45. n. 8. f. 389.
Sunt uniti ore, sed divisi corde. n. 5. f. 386.

Cibus.

Cibus carnalis consolationis cari emitur à peccatore. Disc. 22. n. 1 & seq f. 179.

Cisterna.

Cisternæ sunt consolationes mundanæ. Disc. 33. n. 9 f. 283.
Item avarus. ibidem.
Religiosi terrenam consolationum quærentes. n. 9. f. 283.

Civitas.

Civitas est Ecclesia. Disc 1. n. 5. f. 6.
Quasi civium unitas. n. 5. f. 7.
Civitas est anima. Disc. 2. n. 1. f. 13.

Clodovæus.

Clodovæus Magnus Galliæ Rex: primogenitus Ecclesiæ. Disc. 31. n. 4. f. 260.

Cochlea,

Per quam tortuosè ascenditur, est ambitio. Disc. 29. n. 8. f. 246.

Cognitio.

Cognitio sui initium conversionis. Disc. 4. n. 7. f. 34.

Cœlum.

Sunt boni & iusti. Disc. 4. n. 3. f. 31.
Cœlestis gloriæ magnitudo in passione Christi revelata. liber vitæ parte 1. n. 5. f 456.
Cœlestis consolatio. vide Consolatio.

Communicantes

Indignè, quàm graviter puniantur. Disc. 30. n. 6. f. 253.

Compassio.

Compatiendum plus est infirmis. Disc. 49. n. 2 f. 419.

Connubium.

Connubia cum hæretico periculosa. Disc. 37. n. 7. f. 319.

Consolatio.

Consolationem carnalem qui emat peccator. Disc 22. n. 1. & seq. f. 179.
Consolationes cœlestes sunt Manna. n. 3. f. 182

Consolationes carnales sunt cœpe & olla carnium Ægyptia. ibidem.
Lachrymas provocant. n.3.f.182.
Cœlestis consolationis mel aperit oculos. n.6. f.185.
Consolatio spiritualis non stat cum corporali. Disc.12.per totum.f.100.
Spirituali deficiente, carnalis quæritur. n. 5. f.104.
*Terrenis funditus renuntiet, qui cœlestes desiderat.*n.7.f.106.
Consolatio cœlestis sicut balsamum & oleum. n.8.f.106.
*Sicut aqua cisternæ supernè veniens.*n. 9.fol. 107.
*Consequitur dolorem & siccitatem.*n.9.f.107.

Consuetudo.

Consuetudini vincendæ requiritur miraculosa Dei manus. Disc.28.n.2.f.231.
Est massa plumbea. n.2.f.231.
Est frænum, & funis. n 8.f.236.
Consuetudo mala signatur per ossa. Disc.10. n.3.f.84.
Ad sepulchrum usque sequitur. ibid f.86.
Imprimit characterem. n.6.f.87.
Consuetudo comparatur compedibus. Disc.20 n.3.f.165.

Constantinus.

Constantinus Magnus Angelus habens signum Dei vivi. Disc.31.n.3.f.259.
Defensor, & propagator Ecclesiæ. ibidem.

Contritio

Summus dolor. Disc.24.n.1.f.196.
Contritione purgatur anima velut mare per turbationem. n.2.f.196.
Foras mittit timorem servilem. n.2.f.197.
In maximis subinde peccatoribus maxima & perfectissima. n.3.f.197.
Perfecta, pœnam & culpam delet. n 4 f.198.
Huius exercitium securissimum. n.6.f.200.
Est sicut spiritus & ventus vehemens, demergens peccata. n.5.f.199.
Facit opera meritoria. n.6.f.200.
Est sicut tiriaca perfecta & pura. n 7.f.201.
Requirit vehementiam. n.8.f.202.
Qualiter debeat excitari. n.8.f.202.
Est sicut aqua calida contra canes. Disc.48. n.6.f.413.

Cor.

Cordis duritia, sicuti petra. Disc 34.n.5. f.288.
Cor peccatoris est desertum horridum. Disc. 44 per totum f.374.

Corpus.

Corpus hūmanum est castrum. Disc.8.n.1. f.66.
Corpus, vide. caro.

Creatura

Creaturæ omnes suum habent finem. Disc.18 n.2.f.147.

Crux.

Crux arcus triumphalis. Excessus amoris. parte 2. n.16.f.518.
Crux Christi significatur per lignum, quo aquæ dulcoratæ. Disc.46.n.4f.394.

D.

Dagon.

Dagonis limina non calcabant Philistæi ob reverentiam. Disc.19.n.9.f.161.

Daniel

In lacu leonum, figura animæ peccatricis inter inferni pericula. Disc 52. n 2. & 4. f.442.& 446.

David

Prostratur, dextera Dei erectus. Disc.52. n.3 f.447.
Davidis lapsus de peccato in peccatum. Disc. 6.n.4.f.52.
Incautus in oculis cadit. Disc.8.n.3.f.68.
Ob scandalum maximè punitus. Disc.9.n.5. f.77.
Ob numeratum populum & impositionem in lustra-

lustratione populi factam. Disc. 30. n. 7. f. 254.
Post lapsum ardentior factus. Disc. 48. n. 5. f. 412.
David sanandus allegavit multitudinem peccatorum ad veniam impetrandam. Disc. 50. n. 7. f. 432.
Eius psalmi cur iterato legantur in Ecclesia. n. 9. f. 434.

Dentes.

Dentes putridi, sunt amici falsi. Disc. 41. n. 3. f. 350.

Deus.

Deus animæ, quod sol mundo. Disc. 2. n. 4. f. 15.
Dei amor erga hominem. n. 6. f. 17.
Deus avis super pullos & nidum volat. Disc. 4. n. 8. f. 35.
Deus zelotes est, non patitur amari secum creaturam. Disc. 12. n. 3. f. 102.
Deus mitior in hominem quàm homo in hominem. Disc. 13. n. 2. f. 109.
Deus naturalis animæ locus. Disc. 16. n. 5. f. 135.
Est unum necessarium. Disc. 18. n. 2. f. 150.
Deus exprobrabit in judicio peccatori ingratitudinem. Disc. 20. n. 7. f. 168.
Dei potentia superat nostram capacitatem. Disc. 21. n 7. f. 176.
A Deo separari maximum tormentum. Disc. 2. n. 1. f. 12.
Deus dormiens per peccata nostra excitatur. Disc. 27. n. 6. f. 226.
Varijs nos curat modis. n. 7. f. 226.
Percussos & non sanatos abscindit. n. 9 & 10. f. 228.
Frangit tortum, ut faciat rectum. num. 10. f. 229.
Dei iudicia inscrutabilia. Disc. 30. n. 4. f. 251.
Sollicitus pater de alimentis providet per œconomam naturam, cui dat claves. Disc. 35. n. 4. f. 297.
Manus ad nos in necessitate positos in auxilium extendit. Disc. 36. n. 9. f. 311.
Intrat in animam & illustrat eam per gratiam. Disc. 38. n. 5. f. 325.
Induit quasi animam, sicut vestem. n. 6. fol. 326.
Avidissimus nostræ salutis. Disc. 46. n. 8. f. 398.
Meretricibus iunctus, eas virgines facit. Disc. 38. n. 9. f. 329.
Suscipit quos mundus abiecit. Disc. 44. n. 6. f. 380.
Est pictor & venator. n. 8. f. 380.
Plus delectatur in hominibus, quàm in Angelis. n. 8. f. 381.
Adest rebus arduis, & casibus desperatis. Disc. 47. per totum. f. 401.
Israelitis in arctis succurrit inter montes & mare. n. 2. f. 402.
Non vult spe nostra vinci. ibid.
Sua fortitudine omnia pericula superat. n 9. f. 409.
Seipso exercet misericordiam, coactus iustitiam. Disc. 50. n. 2. f. 428.
Est ignis consumens peccata. n. 9. f. 434.
Deus pœnitentia placatur. Disc. 51. per totum. f. 436.
Punirurus quasi dolet. n. 5. & 9. f. 439. & 443.

Desertum.

Est mundus. Disc. 43. per totum. f. 366.
Est cor peccatoris. Disc. 44. per totum. f. 476.

Desperatio.

Desperatio mala quæ? Disc. 50. n. 1. f. 427.

Diabolus

Tamquam vindemiator torcularia uvis plena habet. Disc. 7. n. 8. f. 65.
Ludit cum peccatoribus tamquam trochis. Disc.

Disc.16.n.3.f.133.
Est Tyrannus Babylonicus. Disc.20.n.2.fol. 163.
Exprobrat animæ ingratitudinem erga Deū. n.8.f.168.
Diaboli malignitas ex passione Christi revelata. liber vitæ, parte prima, n.1.f.459. & parte 3.n.8.f.477.
Illius sapientia à Christo illusa. n.3.f.457. & parte tertia, n.10.f.477.
Diabolus cur subinde à Deo exauditi. Disc.35. n.7.f.300.
Suspendit nos per funem propriæ nostræ malitiæ. Disc.35.n.2.f.304.
Nobis iuratus hostis numquam nisi malum exhibebit. n.5.f.307.
Aliquando iuvat, ut fidem suam apud homines non perdat. n.7.f.309.
Despiciendus propter suam malignitatem. n.9.f.312.
Est pater peccatricis animæ. Disc.38.n.4. f.324.
Intrat in animam tamquam in vestem. n.6. f.327.
Dæmones sunt inflexibiles. n.8.f.328.
Adulteri animæ peccatricis. Disc.42.n.4. f.360.

Disciplina.

Disciplina utilis. vide Tribulatio.

Discordia

Omnia dividit & destruit. Disc.45.n.5. f.387
Declaratur apologo membrorum contra stomachum rebellantium. n.6.f.388.
Scindit vestes & tunicam Christi. n.9.f.390.
Divisa navis mergitur. n.7.f.388.

Divitiæ

Sunt aquæ, sub quibus gemunt gygantes. disc. 7.n.5.f.62.
Sunt aquæ sine substantia. Disc.52.n.8.fol. 451.
Sunt venenum Ecclesiæ. Disc.7.n.5.f.63.

Doctrina.

Doctrinæ bonæ non præiudicat mala vita. Disc.25.n.1.& per totum. f.203.
Doctrinam malam non emendat bona vita. n.9.f.210.
Doctrina bona aliquando de malo homine exire potest. n.4.f.206.
Doctrina sine opere est sagitta parvulorum. n.9.f.211.

Domus

Domus luteæ sunt voluptates. Disc.16.n.7. f.136.
Domus Dei est Ecclesia. disc.45.n.2.f.384.

Duellum.

Duellis non potest comparari honor, quia omne peccatum annexam habet contumeliam. disc.31.n.7.f.263.

Dydimus

Miles Christianus, cum S. Theodora vestes mutans, eius virginitatem servat. Excessus amoris, parte 1.n.1.f.504.

E.

Ebrius.

Ebrius peccator, nescit quid patitur? Disc. 22.n.4.f.183.

Ecclesia vide Templum.

Ecclesia civitas. disc.1.n.5.f.6.
Ad Ecclesiam tamquam cives accurrunt reges. n.5.f.6
Ab Ecclesia deficiunt plurimi. n.6. & 7.f.8.
Eius murus & antemurale. n.6 f.7.
Quomodo vidua. n.7.f.9.
Significatur in muliere Apocalyptica. n.8.f.9.
Eius nuptiæ cum Christo. disc.7.n.1.f.58.
Ecclesia raros modo habet sanctos. n.3. & seq.f.60.
Ecclesiæ venenum sunt divitiæ. n.5.f.63.
Maximè contemnitur ob scandalosa christianorum vitam. disc.9.n.5 & 6.f.78.& 79.
Ecclesia instabilis quoad fidelium bonam conversa-

versationem, stabilis tamen in fide. Disc. 15.n.1.&.seq.f.123.
Jactatur, non mergitur. n.7.f.128.
Quomodo senuerit, & rugas habeat. n.7.fol. 129.
Est luna partim lucida, partim obscura. n.7. f.103.
Ecclesiæ ager devastatus à gentibus & hæreticis tamquam locustis & Bruchis. Disc.21. n.3..
Ecclesia sicut Agar deplorat filios morientes. n.4.f.173.
Ecclesiæ columnæ sunt sacramenta. n.5.fol. 174.
Afflicta, derelicta, & vulnerata. Disc.23. n.1.f.188.
Ab omnibus statibus affligitur, & non curatur. n.2.per totum. f.189.& f 190.
Ecclesiæ tam facile bello vastantur, tamquam essent idolorum fana. n.5.f.191.
Ecclesia figurata in Eva. Disc.45.n.1. fol. 383.
Est domus Dei, varias habens officinas. n.1. f.382.
Est nova Jerusalem. n 2.f.383.
Ecclesiis quam exigua à Christianis exhibeatur reverentia? Disc.19.per totum.f.154. vide Templum.
Celeriter & inter persecutiones mirè (ut Jerusalem) ædificata. Disc. 45. n. 2. fol. 384.
Vnitate & pace crevit. n.3. f.385.
Est Arca Noë. n.7.f.388.
Est tunica Christi inconsutilis. n 8 f.389.
Ecclesiæ muri, doctores, & virtutes. Disc. 47.n.4.f.403.
Ecclesia navis non timet, quia in extrema necessitate secum Christum habet. Disc.47. n.7 f.406.
Ecclesia vinea vindemiata. Disc. 51. n.1. f.336.

Eleazar

Eleazari generositas, qui mori, quàm iuventuti scandalum dare maluit. Disc.9.n.9.. f.82.

Electi.

Electorum paucitas. Disc.7.n.8.f.65.

Elementa

In centro suo sunt quieta. Disc.16.n.5 fol. 135.

Ericius

Peccatum, quod difficulter paritur. Disc 28. n.4.f.334.

Esau

Vendens primogenita, figura peccatorũ. disc. 22.n.2.f.180.

Esther

In extrema necessitate Deum adiutorem habuit. Disc.47.n.6.f.405.

Eva

Ex oculorum curiositate lapsa. Disc.8. n.6. f.70.
Ædificata, non formata dicitur. Disc.45. n.1.f.383.
Figura Ecclesiæ. ibidem.

Eucharistia.

Eucharistiæ defectum & famem apud hæreticos deplorat S.M. Ecclesia. Disc.21.n.4. f.173.
Cur sub una specie? n.5.f.174.
Eucharistiæ Mysterium comparatur incarnationi. Disc.21.n.7.f.176.
De eius veritate omnes SS. Patres testantur. n.7.f.177.
Illud non credunt hæretici, quia per intellectum suum discurrunt. n.7. ibidem.
Illi se post mortem inclinat S. Catharina Bononiensis. n.9.f.178.
Figuratur in arca irreverenter ab Oza tractata. Disc.30.n.6.f.354.
In S. Eucharistia Christus captivus noster est. Disc.35.n.9.f.302.

Excel-

Excessus

Amoris in Christo per totam suam passionem. vide, Excessus amoris, per totum. f. 491.

F.

Faber.

Fabri ferrarij sunt prædicatores & pastores. Disc. 25. n. 2. f. 204.

Eorum defectus tempore Lutheri. ibid.

Modò in aurifabros declinant. n. 3. f. 205.

Falsitas.

Falsitas politica contemptibilis. Disc. 31 n. 7. & 8. f. 263.

Falsitas amicorum. Disc. 41. per totum. f. 348.

Fames

Magna in Ierusalem tempore Sedeciæ. Disc. 21. n. 1. f. 170.

Fames in Ecclesia panis verbi Dei & SS. Eucharistiæ. n. 1. ibid.

Fames peccatorem facit appetere cibos bestiales. Disc. 22. n. 2. f. 180.

S. Felix.

Felix presbyter aranearum tela mundus. Disc. 47. n. 8. f. 408.

Febris.

Febris concupiscentia. Disc. 16. n. 4. f. 134.

Feria.

Feria sexta sacra seu cara, est vita præsens. Disc. 14. n. 7. f. 121.

Festa.

Festa & Sabbathum institutum, ut vacetur à Deo. Disc. 13. n. 7. f. 109.

Quomodo à mundanis agantur? n. 3. f. 110.

Spectacula & ludi olim in ijs prohibiti. n. 3. f. 111.

Opus servile, peccatum magis, non in eo fiat. n. 4. f. 111.

Peccata in festis comissa habent gravem circumstantiam. n. 5. f. 112.

In festis filij colligunt ligna, patres succendunt ignem. n. 6. f. 113.

Festa ritè servantibus promittitur benedictio. n. 7. f. 115.

In ijs ligna peccatorum colligenda, & igne contritionis comburenda. n. 7. f. 114.

Fides

Fidei rebus magis testimonia, quàm investigatio adhibenda. Disc. 21. n. 7. f. 176.

Filius

Prodigus, quàm benignè à patre receptus? Disc. 50. n. 3. f. 429.

Finis

Ultimus hominis est Deus. Disc. 18. n. 2. fol. 147.

Fines varios, homines sibi faciunt. n. 3. f. 147.

Finem alium extra Deum quærens deluditur. n. 6. f. 151.

Finis amissionem & errorem serò agnoscent damnati. n. 7. f. 152.

A fine & Deo errare summus error. n. 7. fol. 152.

Flumen

Semper accrescens est cõsuetudo peccati. disc. 28. n. 3 f. 232.

Fons

E latere Christi manavit. Disc. 33. n. 1. fol. 276.

Fons Christus. n. 2. & seq. f. 277.

Fontis & putei differentia. n. 5. f. 279.

Fornax

Babylonica est mundus. Disc. 52. n. 4. fol. 447.

G.

Gallina

Etiam pullos anatum fovens, sed hæ illam deserunt, sic peccatores Christum. Disc. 42. n. 9. f. 364.

Germanus.

Germana sinceritas laudabilis. Disc. 31 n. 7. f. 263.

Glacies

In glacie non potest quis sistere ad nutum. Disc. 6. n. 5. f. 55.

Grammatica.

Grammaticam docet tribulatio. Disc. 26. n. 7. f. 218.

Guilielmus

Angliæ Rex angustiatur in morte ob fusum Christianum sanguinem. Disc. 23. n. 5. f. 191.

Gula

Trahit ad alia peccata. Disc. 6. n. 7 f. 56.

Gustus

Spiritualis per sensualitatem destruitur. disc. 12 n. 4. f. 103.

H.

Hæretici.

Hæreses in luto fundatæ. Disc. 15. n 5 fol. 126.

Hæresis draco. Disc. 1 n. 8. f. 9.

Hæretici Ægyptij in tenebris collocati. Disc. 3. n. 2. f. 22.

Sunt noctuæ & feles. n. 4. f. 25.

Iugum Christi & Ecclesiæ abhorrent. Disc. 5. n. 1. f 38.

Scandalo parvulos ad hæreses traxerunt. Disc. 9. n 2. & seq. f. 75.

Magnates esca bonorum Ecclesiasticorum ceperunt. n. 3. f. 67.

Cur inter Catholicos mixti vivere à Deo permittantur. n. 8. f. 80.

Hæretici multi calcibus subvertunt altare & imagines. Disc. 21. n. 6. f. 175.

Mentiuntur divinæ potentiæ, maximè in Venerabili Sacramento. n. 6. f. 176.

Mentiendo miraculis, provocant, & exaltant Dei potentiam. n. 8. f. 177.

Sunt latrones Ecclesiam vulnerantes. Disc. 23 n. 2. f. 188.

Nostros Sacerdotes arguunt, peiores ipsi. disc. 25 n. 7. & 8. f. 209.

Sunt sicut Hydropici. n. 8. f. 209.

Sordidis manibus nos lavare volunt. ibidem.

Hæretici moderni erubescunt suos fundatores. ibidem f. 210.

Hæreticorum odium melius, quàm consortium. Disc. 37. n. 2. f. 313.

Eorum societas periculosa. n. 3. f. 314.

Eorum doctrina & societas similis cancro. n. 5. f. 316.

Item ovis aspidum. f 317.

Caveant de filijs parentes. n. 6. f. 317.

Ab ijs discimus malam politicam. n. 7. f. 318.

Eorum connubia periculosa. n. 7. f. 319.

Item fœdera. n. 8. f. 319.

Non possunt capere, quare ex nostris Monasteria ingrediantur? Disc. 5. n. 3. f. 39.

Hai.

Interpretatur chaos & significat mundum vel luxuriam. Disc. 48. n. 2. f. 411.

Hamus

Fuit divinitas Christi. liber vitæ, parte 1. n. 3. f. 457.

Hannibal

A Romanis ipsemet pacem petit. Excessus amoris, parte 2. n. 17. f. 520.

Helias

Fugitivus, est iustus, fugiens mundi illecebras. Disc. 14. n. 4. f. 119.

Scripsit Regi Ioram Epistolam ex Paradyso, quem nemo viventium arguere audebat. Disc. 39. n. 3. f. 332.

Heraclius

Imp. in summa necessitate ad Deum recurrens opem invenit. Disc. 47. n. 8 f. 407.

Hircus

Pro peccato, Christus. liber vitæ, parte 2. n. 4. f. 465.

Emissarius, genus humanum. ibidem & n. 8. f. 468.

Holofernes.

Aquæ ductum intercidens, est diabolus gratiam

tiam sacramentalem impediens. Disc.48. n.7.f.416..

Homo.

Hominis finis ultimus est Deus. Disc.18.n.2. & seq.f 147.

Cur facie erectus? n.4 f 149

Honoris cupidus. Disc.31.n.1.f.257.

Homines omnes sunt eiusdem generis.n.9 fol. 264.

Homo repletur miseriis. Disc.32. n.4. fol. 269.

Variè à Philosophis ex miseriis suis describitur. n.5.f 270.

Si homo mortalis tam præsumptuosus, quid faceret si immortalis. n.7.f.272.

Hominis nativitas infelicior morte. n.8.fol. 272.

Homo convertibilis, ei veniam affert Deus ob fragilitatem. Disc.38.n.8.f.328.

Homo solus os habet ad loquendum. Disc.39. n.1.f.330.

Honor.

Honores fugaces sicut papyliones. Disc.29 n.6.f.244.

Honorem omnes venantur. Disc.31.n.1.fol. 258.

Honor verus est honorem contemnere & sequi humilitatem Christi. n.2.f.258.

Honorum contemptus vera sapientia. n.2. f.258.

Honor qualis sit in nobilitate. n.5. & seq. f.261.

Est præmium virtutum. n.7.f.262.

In nullo vitio honor acquiri potest. ibidem f.263.

Horatius.

Horatius pater pro filio interfectore sororis intercedit. Excess.am. par.2.n.10.f.513.

I.

Jacob

Patriarcha, quod passus ærumnas? Disc.32. n.3.f.268.

Flendo benedictionem & auxilium petiit. Disc.34.n.10.f.291.

Noluit se sociare fratri suo Esau. Disc.37. n.4.f.315.

Icterus

Avis, sanat ictericum, sed infirmitatem attrahit in se. Disc.37.n.2 f 314.

Jejunium

A Propheta transgressum, quàm graviter punitum? Disc.30 n.5.f.2 2.

Jeroboam

Ob scandalum populo datum maximè Deo exosus. Disc.9.n.4.f.76.

Ignis.

Ignis tribulationis & concupiscentiæ. Disc. 25.n.1.f.203.

Imbuere.

Imbuere juventutem, quid significet? Disc. 10.n.7.f.88.

Inebriare

Alterum est peccatum. Disc.6 n 4 f 53.

Infans.

Infantem quot expectent miseriæ? Disc.32. n.6.f.271.

Infernus

Infernus horribilis in passione Christi revelatus. liber vitæ, parte 1.n.5.f.460.& parte 3.n.11.f.480.

Inferni pœna est corpus solidum, purgatorij linea tenuis, mundi seu huius temporis punctum minimum. Disc.30. n.9. f.23.& 257.

Infirmitas

Sæpe à vectis proficiscitur. Disc.51.n.2.& 6.f.437.& 440.

Infirmi confiteantur, & sanentur. n.6.fol. 441.

Initiare.

Initiare quid designet? Disc 10. n.5.f.87.

Innovare.

Innovare quid significet? Disc.10.n.8.f.88.

Invidi
Sicut vultur. Disc. 49.n.1 f. 417.
Joann. Thaulerus.
Jo: Thauleri gravis in morte colluctatio. Disc. 34.n.10.f.292.
Job
Cautus in oculis. Disc. 8.n.2.f.68.
Omnibus spoliatus restituitur pristinæ felicitati. Disc.47.n.3.f.463.
Jonas
Figura peccatoris. Disc.40. n.5.fol.344. Disc.51.n.3.& seq.f.435.& Disc.52. n.2 &5.f.442 & 446.
Illo injecto mare quievit. Disc.51.n.3 & 8. f.435.& 439.
Jonathas.
Jonathæ oculi, gustato melle, illuminati, sic homo illuminatur consolatione cœlesti Disc.22.n.6.f.185.
Josaphat
Impijs se confœderans peccat. Disc.37.n.8. f. 319.
Joseph
Pastor, figurat Christum, qui fratres invenit in Dothaim id est defectu omnis boni. Disc. 15.n.6.f.128.
Josue
Jubetur surgere ad ulciscendum iniuriam factam Deo, sic pœnitens peccator. Disc 48. n.2.f.409.
Isaac
Cæcus peccator inveteratus. Disc. 4.n.6. f.33.
Isboseth
Occisus ob incuriam ostiariæ sic anima, si portæ sensuum non custodiuntur. Disc.8.n.5. f.70.
Judas
Quomodo de peccato in peccatum decidit? Disc.6.n.2.f.51.
Judex
Judices quomodo se ipsos pascant? Disc.11 n.9.f.95.
Judith.
In extrema necessitate Deum adiutorem habuit. Disc.47.n.5.f.405.
Jugum.
Jugum vigilans, idem, quod virga vigilans. Disc.27.n.1 f.221.
Jugum supprimens, peccatum. Disc. 28. n.1.f.230.
Juristæ.
Juristæ docentur à tribulatione suum cuique tribuere. Disc.26 n.5.f.216.
Faciunt quod possunt, non quod justum est. ibidem.
Justitia.
Justitia divina exactissima in Crucifixo ostenditur. liber vitæ, parte 1.n.3.f.458.
Hæc per regem Moab, qui filium sacrificavit, adumbrata. ibidem. parte tertia.n.21. f.487.
Christi passio eam strictissimam & acerbissimam ostendit. n.21 f.487.& 22 f.487.
Justitiæ gladius evaginatus, exacutus, limatus. n.22.f.489.
Justitia divina dormiens à nobis excitatur. Disc.27.n.6.f.225.
Justitiam Deus exercet coactè, ex seipso misericordiam. Disc.50.n.2.f.427.
Justus
Induit, & repræsentat Christum. Disc.38. n.7.f.327.
Juventus
Est propugnaculum reliquarum ætatum. disc. 10.n.1.f.83.
Hæc occupata sequitur tota vita. ibid. f.84.
Infirma, sed ab hoste fortiter munienda. n.2. f.84.
Quomodo initianda, dedicanda? n.5.&.seq. f.87.
Quomodo innovanda. n.8.f.88.

Est adhuc flexibilis. n.3. f.85.
Est uber reliquarum ætatum, & nutrix. n. 9. f.89.

L.

Lachrymæ.

Lachrymarum magna vis. Disc.24.num.3. f.197.
Delent non tantùm culpam, sed & pœnam, sunt alter baptismus. n.4.f.199.
Lachrymari nos docuit Christus. Disc.34.n.1. 9.& 11. f.285.
Quibus ex causis lachrymandum? ibidem per totum.
Lachrymæ Margaritæ. n.2.f.286.
Affunduntur tamquam aqua ad ardentem domum. n.3 f.287.
Lachrymarum donum oratione impetrandum. n.5.f.288.
Magnam habent violentiam. n.6.f.289.
Cœlum expugnant, draconem suffocant. ibid. f.290.
Sunt legati ad iratum Deum. n.7.f.291.

Lapis.

Lapis percussus non sonat, sed tamen æs. disc. 27.n.2.f.223.
Peccatores alij ænei, alij lapidei. n.3.f.223.

Laus.

Laudari à turpibus turpe est. Disc.31. n.8. f.264.

Leo.

Leo significabat Monarchiam Chaldaicam, & Nabuchodonosorem. Disc.43.n.4. & 5. f.370.

Lepra

Est peccatum, quo anima inficitur. Disc.38. n.2.f.322.

Liber.

Liber vitæ & lamentationum, Christus crucifixus. lib.vit.per totum. f.455.
Librorum primus inventor. parte 1,n.1.fol. 455.
Librorum varij tituli pro subiecta materia. parte 2. n.1.f.4 2. & 466.
Liber Christus: caput libri Pater æternus. n2. & 6. f.463.
Sub prælo positus in sudore sanguine. parte 2.n.7.f.467.
Libri gravium authorum magni æstimantur. liber vitæ, parte 3 n.1 f.470.
Libri Numæ Pompilij aratro è terra eruti. n.4.f.473.
Liber vitæ in flagellatione quomodo scriptus intus & foris. n.6.f.474.
In eo sunt multi consonantes, & quinque vocales. n.16.f.483.

Locus

Conservat locatum. Disc.16.n.5.f.135.

Locusta.

Locustæ significant concupiscentias, vel animas in voluptate sæculi salientes. Disc. 24.n.5.f.199.
Signant peccatores incorrigibiles. Disc.27. n.4.f.224.

Logica.

Logicam docet tribulatio. Disc.26.num.5. f.216.
Logici huius mundi formant malas sequelas. ibidem.

Loth.

Lothi uxor peccavit tantùm venialiter, & tamen tam graviter punita. Disc.30 n.4. f.251.

Lupus

Est symbolum amici falsi. Disc.41.num.6. f.352.

Luna

Denotat Ecclesiam. Disc.15.n.7.f.130.

Luxuria

Trahit ad alia peccata. Disc.6.n.7.& n.5. f.54.& 56.
Luxuriosi Christum flagellarunt. liber vitæ, parte 3.n.6.f.470.

M.

Magia

Deo exosa. Disc.36.n.5.f.308.

Ob eam damnatus Saul & alij. ibid. f.307.

Magnentius

Primus, qui signa Christianus cum Christianis contulit. Disc.43.n.8 f.372.

Magnificus.

Magnifici idem quod magnates. Disc. 29. n.1.f.239.

Malum.

An omne malum à peccato. Disc.51.n.2. f.437.

Mali sunt provisores bonorum. Disc.26.n.2. f.214.

Serviunt bonis persequendo illos. ibidem.

Manus.

Manus extendere est orantium & opem petentium. Disc.35.n.1.f.294.

Sacerdotis in missa. n.9.f.302.

Manna

Omnem habens saporem Israëlitis non sapiebat. Disc.22.n.3.f.182.

*Significat gratiam consolationis internæ.*n.3. f.182.

Mare.

Mare mundus, in quo nunquam sine periculo sumus. Disc.52.n.5.f.447.

Mare rubrum transire timuerunt Israëlitæ. ibidem.

Mare purgatur turbatione, sic anima contritione. Disc.24.n.2.f.196.

Maria.

Eius compassio erga filium quanta? liber vitæ, parte 3.n.18.f.485.

Cor eius compendium totius passionis. ibid.

*Ad Mariam recurrendum in necessitate.*disc. 36.n.8.f.310.

Maria moribundis assistit. Disc. 46. n. 10. f.399.

Instruit S. Mechtildem, qualiter pro felici morte orare debeat. n.10.f.398.

Mariæ eandem commendat Christus. n. 10. f.400.

Eius dolor in captura Christi. Excess.amor. parte 1. n.11.f.502.

Ad eam maius ius habent peccatores. n. 12. f.503.

Stans iuxta crucem quantos dolores habuerit. parte 2. n.19.f.522.

Lancea Christi cor mortuum aperiens, Mariæ vivum cor transfixit. n.22. f.525.

Maria fuit quasi cor Christi. n.19.f 522.

Mechtildis.

Mechtildis virgo à B. V. orare edocta pro felici morte. Disc 46.n.10.f.399.

Eam matri suæ commendat Christus. n.10. f.400

Medicus.

Medici Principes & Prælati. Disc. 23. n.3. & 4.f.189.

Medici Prædicatores & Pastores. Disc. 25. n.6.f.207.

Efficacia medicinæ non dependet à sanitate Medici. n.6.f.208.

Miser Medicus, cuius exemplum sequi non audet æger. n.7.f.208.

Mel.

Mel consolationis cœlestis illuminat oculos mentis. Disc.22.n.6.f.185.

Meretrix.

Meretrices quomodo possint fieri virgines. Disc.38.n.9.f.329.

Meritum.

Merita per peccatum superveniens mortificantur. Disc. 20. n. 4. & 5. f. 165. & 166.

In statu peccati adhuc aliqualiter Deum respicere priora merita, probabile est. n.5. f.166.

Merita de condigno statum gratiæ requirunt. n.3.& 4.f.164.

Miles.

Milites olim Ecclesiæ defensores. Disc. 23. n.6.f 191.

Misericordia.

Misericordia Dei in passione Christi ostenditur. liber vitæ, parte 1.n.3.f.458.

Misericordiam ex seipso sponte exercet Deus. Disc.50.n.2.f.428.

Misericordia dicta à misero corde.

Misericordia Dei maior, quàm omnia peccata mundi. n.8 f.433.

Hæc consumit peccata sicut ignis stuppam, vel mare scintillam. ibidem.

*Misericordia Dei est omnipotens.*n.10 f.435.

Moabita.

Moabitæ significant concupiscentias à templo proscriptas. Disc.19.n.1.f.154.

Moab Rex obsessus mactando filium Israëlitas ab obsidione avertit. liber vitæ, parte 3. n.21.f.487.

Molendinum.

Molendinum venti est amicus in prosperis. Disc.41.n.10.f.355.

Monarchia.

Monarchiæ quatuor in statua Nabuchodonosor figuratæ. Disc.15.n.2.f.124.

Item per quatuor animalia Ezech. Disc.43. n.5.f.370.

Monarchia Romana. Vide Rom. Imperium.

Monarchia Chaldaica subvertitur, ut liberentur Iudæi. Disc.48.n.1.f.410.

Mons.

Mons sunt dignitates, in quem diabolus effert hominem inde præcipitandum. Disc.29. n.8.& 9.f.247.

Mors.

Mors naturalis, est umbra tantùm mortis spiritualis. Disc.24.n.1.f.195.

Est beneficium divinæ misericordiæ in statu lapso. Disc.32.n.2.f.268.

Exitus è carcere. n.9.f.273.

Finis exilij. ibidem.

Laboris consummatio. ibidem.

Ad portum applicatio. ibidem.

Peregrinationis finitio. ibidem.

Oneris depositio. ibidem.

De equo furioso descensio. ibidem.

Ruinosæ domus derelictio. ibidem. f.274.

Morborum medicina. ibidem.

Periculorum evasio. ibidem.

Malorum consumptio. ibidem.

Ingressus ad patriam. ibidem.

Mors est mater, nativitæ noverca. ibidem f.275.

Mors animæ magis deploranda, quàm corporis. Disc.34.n.3.f.287.

Mortis certamen quam periculosum sit. n.10. f.292.

Mors est obsidio. n.11. ibidem

In morte nullus amicorum iuvare potest. disc. 36.n.4.f.306.

In morte angustiatur nimium peccator. disc. 42.n.2.f.359.

Mortis amaritudo acerbissima. Disc. 46. n.1.f.390.

Mortem qualiter Christus exhorruit? n.2. f.391.

Mortem nostram sua morte dulcoravit, sicut aquæ amaræ lignum & pulmentum per farinam ab Eliseo dulcoratæ fuerunt. n.3. & 4.f.392.& 393.

Mors hominem crucifigit horribiliter. n. 3. f.392.

Mors est apis, portat mel, sed dat aculeum, quem tamen ei alstulit Christus. n.6. fol. 395.

Mortem amaram faciunt peccata. n.7.f.395.

Orationes pro felici morte. n.9.& 10.f.397.

Mors detegit mundi vanitatem. Disc.5.n.6. f.41.

Mortis memoria roborat hominem. Disc.14. n.5.f.119.

Figura-

Figuratur sub pane subcinericio. n. 5. f. 119.

Moribundus

Doponat timorem. Disc. 46. n. 8. f. 398.
Recurrat ad crucifixum. ibidem.
Orationes moribundo prælegendæ. n. 9 f. 398.
Honoret matrem virginem, quæ filio morienti astitit. n. 10. f. 399.
Agnoscit mundi vanitatem. Disc. 5. n. 6. f. 42.

Moyses.

Pastor & Prælatus bonus. Disc. 11. n. 2. & 3. f. 92.
Primus scriba & inventor librorum. liber vitæ parte prima, n. 1. f. 455.

Mulier

Basiliscus & Syren. Disc. 8. n 7. f. 72.
Velent se maximè in Ecclesia. Disc 19. n. 4. f. 157.
Nudatæ ad piscandum, non precandum in templum veniunt. n 5. f. 158.

Mulus

Ingratus erga matrem. Disc. 21. n. 5. f. 184.
Sunt hæretici. ibidem.

Mundus

Fornax & lacus Babylonicus, mare &c. disc. 52. n. 4. & seq. f. 447.
Quot in illo pericula. per totum: *quæ non nisi solius Dei auxilio superantur.* n. 7. fol. 450.
Mundi pericula superantes Sancti quantùm exultent. n. 6. f. 449.
Mundi fallacia per Christi passionem revelata. liber vitæ, parte 1. n. 5. f. 459.
Maximè ex falsa censura judicum. parte 3. n. 3. f. 472.
Mundi honores contemnendi. Disc. 31. n. 2. f. 258. vide honores *&c.*
Mundus parat funem. Disc. 35. n. 2. f. 314. *Sicut Amano.* n. 3. f. 305.
Despiciendus propter vanitatem. num. 9. f. 312.
Mundus desertũ. Disc. 43. per totũ f. 366.
Mundus seducit & deserit filios, sicut Agar. Disc. 44. n. 6. f. 379.
Mundus instabilis, fallax. Disc. 5. n. 4. & 5. f. 40.
Periculosus est animæ. Disc. 5. n. 6. f. 42.

Murus

Murus & antemurale Ecclesiæ. Disc. 1. n. 6. fol. 7.

Musica.

Musica vana non decet templum. Disc. 19. n. 3. f. 156.

N.

Nabuchodonosor.

Nabuchodonosoris statua figurat Monarchias & statum Ecclesiæ. Disc. 15. n. 2. f. 124.
Leo crudelis. Disc. 43. n. 5. f. 370.

Navis.

Navis divisa mergitur. Disc. 45. n. 7. f. 388.
Navis Ecclesia. Disc. 47. n. 6. f. 404.
Naves Tharsis (exploratio gaudij) per contritionem conteruntur. Disc. 24. n. 5. f. 199.

B. Nicolai de Flüe.

Visio quædam. Disc. 33. n. 6. f. 280.

Nidus.

Nidus animæ securus, est petra Christus. disc. 16. n. 8. f. 156.

Ninive

Quomodo eversa? scilicet per pœnitentiam. Disc. 51. n. 5. f. 440.

Nobilis, Nobilitas.

Nobilitas debet esse iuncta virtuti. Disc. 31. n. 5. & seq. f. 261.
Quæ virtutes nobilem deceant? n. 6. f. 262.
Ad nobiles Germanos oratio Caroli Magni. n. 5 f. 261.
Nobilitas est vanitas. n. 9. f. 264.
Ex ignobilibus nobiles facti de patrimonio Ecclesiæ suos parentes erubescunt. n. 9. fol. 265.

Nobiles sine virtute, sunt vasa lutea, plena fœtoribus. n 10.f.266.
Sicut color a luce & luna à sole illustratur, sic nobilitas à virtute. n.9.& 10.f.265.

Noctua.

Noctuæ hæretici amant noctem. Disc.3.n.3. f.23.

Noëmi.

Noëmi vidua in amaritudine, figura Ecclesiæ. Disc.1.n.7.f.9.

Novalia

Quid significent moraliter. Disc.10. n. 8. f.88.

Nox.

Nox, tribulatio, hæreses. Disc.3.n.1.f.21.
Est cæcitas mentis. Disc.4.n.1.& seq.f.29.
Nox est, quamdiu in hoc sæculo sumus. Disc. 8.n.2.f.67.

Nuptiæ.

Nuptias filio fecit Pater æternus. Disc.1.n.1. fol.3.

O.

Obedientia.

Eius transgressio, initium ruinæ. Disc.37. n.3.f.314.

Oculus.

Oculorum portæ claudendæ. Disc.8.n.2. & seq.f.67.
Oculus mentis & corporis noctem suam habet. Disc.4.n.2.f.29.

Odilo

S. Odilo Abbas ob nimiam charitatem damnari eligens. Excessus amoris.parte 2. n.11.f.514.

Onager

hominem lascivum denotat. Disc.5.n.1 f.37.

Opera.

Opera bona filij Sedeciæ per peccatum trucidantur. Disc.20.n.4.f.165.
Opera in statu disgratiæ aliqualiter disponunt. n.5.f.166.

Oratio.

Oratio debet esse humilis, fervens, importuna. Disc.35.n.2.f.295.
Orans necessitatem, non superfluitatem petat. n.4.f.297.
Oratio clavis. n.4.f.297.
Variæ causæ quare orantes non exaudiantur. n.5.f.298.
Peccatores orantes non audit Deus. n. 6. *& quare?* ibidem.f.299.
Oratio peccatorum, cur Deo execrabilis. ibid.
Præmittenda contritio. n.8.f.301.
Oratio coram SS. Sacramento efficacissima, quia ibi Christus captivus noster est. n.9. f.302.

Os.

Os Domini sunt Prædicatores. Disc.39.n.1. f.330.

Ossa.

Ossa dura consuetudinem malam significant. Disc.10.n.3.f.85.
Ossa quæ infirmos portant, sunt firmiores Christiani. Disc.49.n.7.f.424.
Ossa Ecclesiæ sunt Prælati & Prædicatores. Disc.25.n.1.f.203.

Ovis.

Oves, sunt subditi. Disc.11.n.1.f.91.

Ovum

Ova aspidum intus venenosa, societas malorum & hæreticorum. Disc.37.n 5.f.317.

Oza

Ob irreverentiam levem erga arcam morte punitur. Disc.30.n.7.f.254.

P.

Panis

Panis subcinericius memoria mortis. Disc.14 n.5.f.119.
Panem cur subinde deneget Deus. Disc.35. n.4.f.297.
Panis doctrinæ Christianæ & Eucharistiæ fames. Disc.21.n.2.& 3.f.172.

Papi-

Papilio.

Papiliones figura honorum temporalium. Disc.29.n.6 f 244.

Paralyticus.

Paralyticus ad piscinam figura peccatoris inveterati. Disc.33.n.7.f.281.

Paralytico prius dimittit Christus peccata, quam sanitatem conferat. Disc.51. n.6. f 438.

Pardus.

Pardus seu panthera significabat Alexandrum & illius Monarchiam. Disc.43.n.5.fol. 370.

Parvulus.

Parvuli qui dicantur. Disc.9.n.1.f.74.

Parvuli Christo chari. ibidem.

Non oportet eos scandalizare. ibidem.

Parvuli flendo vim faciunt. Disc. 34. n.6. f.289.

Passio Christi.

Passionem Christi venerant bus ipse Salvator in morte assistit. Disc. 46. n. 9. & 10. f.398.

Pastor.

Pastores sunt rectores. Disc 11.n 1.f.91.

Invenunt pascua non gregis, sed sibi. n 1 f 92.

Pastorum vita debet esse præclarior quàm ovium. ibidem f 91.

Discant exemplo Christi regere. n.10. f. 99. & 100.

Bonus pastor ovem humeris portat. Disc.49. n.2.f.419.

Vide Prælati, & Principes.

Pater.

Patres quomodo succendant ignem si filij colligunt ligna. Disc 13.n.6 f. 13.

Non mittant filios inter hæreticos. Disc.37. n.6 f.317.

Patientia.

Nostra facilè frangitur quia lutei & vitrei sumus. Disc 49.n.4.f.421.

S. Paulus

Bonus & zelosus Pastor & Prælatus. Disc.11. n.2.& 3.f.93.

S. Paulus è corpore mortis huius liberari petit. Disc.52.n 5 f.445.

Quare non exauditus à Deo. Disc 35 n.7. f. 300

Sanatur, ne alij ægri desperent. Disc.50.n.5. f.430.

Eius Epistolæ ideo iteratò leguntur in Ecclesia. n 9 f.434.

Pax

Conservat Ecclesiam. Disc 45.n.3 f.385.

Peccator

Vide Anima peccatrix.

Peccator movetur circulariter. Disc.4.n.5. f.33

Est Samson excæcatus. n.4.f 32.

Isaac cæcus. n.6 f.34.

Abyssus. n 3.& 8 f.31 & 33. item Disc.6. n.3 f 52.

De peccato in peccatum migrat. Disc 6 n.1. f.49.

Vehitur quasi super glaciem. n.5.f.54.

Peccator instabilis. Disc. 16. per totum. f.131.

Est sicut molendinum venti. n.2 f.132.

Sicut nubes sine aqua. n.3.f.132.

Sicut mare fervens. n.3. ibidem.

Cùm illo ludit dæmon, sicut cum trochis. ibidem f.133.

Peccatores sunt stellæ errantes. n.4.f.133.

Peccator sicut febricitans variat in desiderijs. n.4.f.134.

Sicut avis (relicto nido) sic recedens à Deo suo in laqueos incidit diaboli. n.5 & 6. f.153.

Peccator toto cœlo errat. Disc.18.n.7. fol. 152.

Peccatoris figura Sedecias. Disc.20.per totum f.162.

Peccator amittit regiam dignitatem. n. 2. f.163.
Peccator non potest mereri de condigno. n. 3. f.164.
Peccator ligatur compedibus malæ consuetudinis. n. 3.f.164.
Peccatoris excæcatio. n.6.f.167.
Loquetur Deus contra eum iudicia, & exprobrabit ingratitudinem. n.7.f.168.
Etiam dæmones illi eandem exprobrabunt. n.8.f.168.
Peccator pro consolatione terrena dat pretiosa quæque, scilicet, animam, virtutes, vitam æternam. Disc.22.n.1.f.179.
Pro modico gustu transitoriæ voluptatis vendit hæreditatem æternam sicut Esau. n 2.fol. 180.
Venatur voluptates. n.2.f.181.
Est Ebrius, nesciens quid patitur. n.4.f.183.
Est sicut canis famelicus rodens ossa & cadavera. n.4.f.183.
Sicut asinus pungitivis pascitur. n.5.f.183.
Insulsa & insipida appetit n.5.f.184.
Peccatores maximi subinde maximè exardescunt in contritionem & amorem. Disc. 24.n.3.f.197.
Peccatores alij lapidei, alii ænei. Disc.27. n.2.& 3.f.223.
Sunt sicut locustæ. n.4.f.224.
Percussi, & non sanati, absumuntur. n.5. f.225.
Inveteratus peccator difficulter sanatur & erigitur. Disc.28.per totum f.230.
Peccatorem creaturæ non agnoscunt pro Domino. Disc.30.n.5.f.252.
Peccatores Deus non audit. Disc.35.n.6. f.299.
Peccatoris oratio cur execrabilis? ibidem.
*Exauditur ad damnationem, non ad utilitatem.*n.7 f.300.
Est leprosus. Disc.38.n.2.f.322.
Sanatur per pœnitentiam. ibidem.
Est decalvatus a donis & gratia Dei. n.3. f.323.
*Peccatrix anima, filia diaboli.*n.4.f.324.
Assimilatur diabolo n.5.f.325.
Est sicut nubes atra, à gratia Dei illustrata. n.5.f.325.
Peccator induit diabolum, tamquam vestimentum. n.7.f.327.
Obstinatus, est dæmone perversior. n.8.f.328.
Est surdus & cæcus. Disc.40.n.1.f.340.
Non nisi plagis, & serò sapit. n.2.f.340.
Peccatorem creaturæ omnes, tamquam satellites Dei persequuntur. n 5.f.344.
Percussus Deum sentire incipit. n 5.& 6.fol. 344.
Simulata eius proposita & dolor sicut Regis Antiochi. n.8.f.346.
Peccatoris in morte angustiæ. Disc.42.n.2. f.359.& Disc.46.n.1.f.392.
Peccatoris cor est desertum. Disc. 44. per totum. f.375.
A mundo dejectus, à Deo suscipitur. n.6.fol. 379.
Post lapsum non desperet, sed acrius pugnet. Disc.48. per totum. f.410.
Sicut Josue & Samson. n.2.& 3.f 412.
Peccatoris morientis angustia. Disc.46.n.1. f.392.

Peccatum.

Peccata, etiam levia, graviter Deus punit. Disc.30. per totum.f.248.
Quo magis differuntur, magis puniuntur. n.9. f.256.
Pœna peccati in mundo punctus: in purgatorio linea, in inferno corpus. ibidem f.257.
Peccatum est causa lachrymandi. Disc. 34. n.2 f.286.
Oculos claudit, quos pœna aperit. Disc.40. n.4.f.42.
Peccata sunt Amalecitæ qui nisi à nobis occisi,

ipsi nos perimunt. Disc 42.n. 5. f.361.
Angustiant morientem. Disc.46. n. 7.fol. 397.
Omne malum à peccato, saltem originaliter. Disc.51.n.2.f 437.
Eo dimisso tolluntur mala pœnæ. n.6.f.440.
Peccata sunt aqua sine substantia. Disc 52. n.8.f.451.
Peccatum est Seba, quo obtruncato recedit vindicta divina. Disc 51.n.8.f.442.
Peccatum per pilosum & onocentaurum significatur. Disc.6.n.3.f 52.
A peccato in peccatum detrahimur. per totum. f.49
Peccatum est opus maximè servile. Disc.13. n.4.f.111.
Est onus, quod non licet portare in sabbatho. n.6.f.113.
Designatur etiam per ligna à filiis collecta. ibidem 114.
In festo comburenda hæc ligna per contritionem. n.7.f.114.
De peccato gloriari magna dementia. Disc. 17.n.5.f.142
Peccata sunt sordes. per totum Disc. 17. f.139.
His abluendis Christus ex proprio sanguine balneum paravit. n.9.f.145.
Peccatum quatuor affert mala. Disc.20.n.3. f.164.
Occidit merita & bona opera. n. 4.f.165.
Peccati gravitas revelata per Christi passionem. liber vitæ parte 1. n.6.f.456. & parte 2.n.7.f.463.
Peccatum est iugum. Disc.28.n.1.f.230.
Item mola & lapis. ibidem. & n.2.f.231.
Est massa plumbea. n 2.f.231.
Peccata in principio extirpanda. per totum. Disc.28.f.230.
Sunt sicut flumen, hostis, serpens. n.3.& seq. f.232. & 233.
Sunt venenum n.5.f.234.
Vulnus, calculus. n.6.f.234.
Sunt sicut frænum. n.8.f.236.
Sunt funes & capilli contorti. n. 8.& 9 fol. 236.& 237.
Peccata distillat Deus, & plures invenit malitias, quàm nos nobis imaginemur. Disc. 30.n.2.f.249.

Pedes.

Pedes fossi sunt falsi amici. Disc.41.n.3. & 4.f.351.

Periculum.

Periculis mundi & inferni superatis anima gaudet Disc.52.per totum.f.445.
Pericula quanta in mundo? ibidem.f.446.

Petrus.

Petri Trigosi lepidum dictum, quid fabis cum Trinitate. Disc.22.n.6.f.12.
Petrus Aragonus à globo in Ecclesiam exploso occisus Disc 23 n.5.f.191.
Petrus quàm amarè defleverit peccatum suũ. Disc.34.n.2.f.286.
Ex societate mala lapsus. Disc.37.n.9.fol. 320.
Post lapsum cautior & ardentior. Disc,48 n.5.f.414.

Pharao

Fuit lapideus & æneus. Disc.27.n.4 f.223.
Est figura dæmonis nos persequentis. Disc 52. n.6.f.451.

Philippus.

Philippi Regis Hisp: de regibus effatum. Disc. 11.n.7.f.96.
Idem dixit: emendando, os concionatoribus claudendum. Disc.39 n.5.f.334.

Philosophi

Antiqui scientiarum avidi in multis offenderunt erroribus. Disc.26.n.2.f.213.

Phryges

Serò & non nisi plagu sapiunt. Disc.40.n.7. f.340.

Pictor

Pictor est Deus. Disc. 44 n. 8. f. 379.

Piscina

Probatica figura ambitiosorum languentium. Disc. 29. n. 4. f. 242.

Figura item passionis Christi. Disc. 33. n. 6. f. 281.

Item pœnitentiæ. Disc. 48. n. 8. f. 417.

Pius.

Pius V. contremuit electus Pontifex. Disc. 11. n. 8. f. 97.

Plinius.

Plinius secundus à Vesurio absorptus. Disc. 40. n. 2. f. 341.

Pœnitentia

Procrastinata indies difficilior. Disc. 28. per totum. f. 230.

Est fons. n. 5 f. 234.

Tollit lepram animæ. Disc. 38. n. 2. f. 322.

Pœnitentia est nitrum & herba fullonis. n. 3. f. 323.

Quomodo ex meretricibus virgines facit? n. 9. f. 329.

Roborat hominem contra hostes & peccata. Disc. 48. per totum. f. 410.

Jubetur pœnitens surgere cum Josue ad ulciscendam iniuriam factam Deo. n. 2. f. 411.

Est clamor, armatura, & aqua calida. n. 6. f. 415.

Est piscina. n. 8. f. 417.

Debet frequentari instar balnei. ibidem.

Pœnitentia placatur Deus. Disc. 51. per totum. f. 436.

Politicus.

Politicorum nociva in Ecclesia consilia. Disc. 23. n. 7. f. 192.

Personam latronum sub specie medicorum agunt. ibidem.

Politicorum proceduræ. liber vitæ, parte 3. n. 3. f. 470.

Politici falsi inglorij & contemptibiles. Disc. 31. n. 8. f. 264.

Politica prudentia qualis? n. 7. f. 263.

Porcus, vide Sus.

Porta

Portæ sensuum quomodo custodiendæ? Disc. 8. per totum f. 66.

Prædicator.

Prædicatores sunt fabri ferrarij. Disc. 25. n. 2. f. 204.

Ipsis doctrina necessaria. n. 4. f. 205.

Doctrina, non bonitas in ijs attendenda. ibid. f. 206.

Prædicator malus est sicut corvus Eliam pascens. n 5. f. 206.

Sunt medici, à quorum bonitate non dependet efficacia medicinæ. n. 6. f. 208.

Eorum verba, sine exemplo operum sunt sagittæ parvuloruzi. n 9. f 21.

Sunt ossa Ecclesiæ. Disc. 25 n. 1 f. 203.

Sunt os Domini. Disc 39 n. 1. f. 330.

Sunt Dei legati. n. 2. f. 331.

Persecutionem patiuntur ob veritatem. n. 2. & seq. f. 331.

Nisi gratis veritatem dicerent, nemo eos pecuniu conduceret. n. 7. f. 336.

Prædicator morbum, non ægrum persequatur. n. 9. f. 338.

Sunt venatores. Disc 44 n. 8. f. 380.

Prælatus.

Prælati deberent esse medici. Disc. 23. n. 3. f. 188.

Debent esse fabri ferrarij, non aurifabri. disc. 25. n. 3. f. 204.

Sunt ossa Ecclesiæ. n. 1. f 203.

Prælati principibus volunt ambulare æqualiter. Disc. 37. n. 4. f 315.

Defectus subditorum portare debent. per totum. Disc. 49. f. 416.

Etiam Prælati suæ infirmitates & vermes, Deo permittente, habent n. 8. f. 423.

Prælati sunt muri Ecclesiæ. Disc. 1. n. 6. f. 7.

Sunt Pastores. Disc. 11. n. 1. f. 91.

Non

Non quærant quæ sua sunt. per totum disc. 11. f 91.
Præsint ut prosint. n.5 f.94.
Prælatorum officium & terribilis obligatio. n.8.f.96.
Prælaturæ magnum periculum. n.8 f.97.
Prælati hæretici latrones qui Ecclesiam vulnerarunt. Disc.23.n.2.f.188.

Præteritum.

Præterito utuntur Prophetæ pro futuro. disc. 47.n 1.f.401.

Princeps. *vide* Rex.

Principes sunt antemurale Ecclesiæ. Disc 1. n 6.f.8.
Principes deberent esse medici Ecclesiæ. Disc. 23 n.4.f.190.
Magis spoliant percutiunt, & sanguinem fundunt. ibidem.
Graviter luent fundentes sanguinem Christianum & diruentes templa. n.5 f.191.
Caveant aggravare subditos, etiam in bello iusto. Disc.30.n.8.f 255
Principes Pastores. Disc 11 n.1.f.91.
Pascunt seipsos non gregem. ibidem f.92.
Pascunt hœdos. n.4.f 94.
Positi sunt non tantùm super sed propter plebem. n.5.f.94.
Sicut stellæ fulgere debent. n.5.f.95.
Debent esse patres subditorum. n.9.f.97.

Propheta

Ob violatum ieiunium morte punitus. Disc. 30.n.5 f.252.

Prudentia.

Prudentia carnis & spiritus simul stare non possunt. Disc 12.n.2.f.102.

Pueritia.

V. juventus.

Purgatorium.

Purgatorij pœna est linea respectu infernalis, quæ est corpus, & temporalis, quæ est tantùm punctus. Disc.30.n.9.f.256.
Pythonissa ambitio excitat Samueles & Religiosos. Disc.29.n.7.f.245.

R.

Ratio

Est regina, sensualitas famula. Disc.12.n.1. f.101.

Rector

Vide Prælatus, *vel* Princeps.

Religiosus.

Religiosum quæ rationes movere debeant ad relinquendum mundum. Disc.5.n.4.& seq. f.40.
Eius austeritatem mitigat divina consolatio. n.7.f.43.
Æternæ beatitudinis consideratio. n.8.f.44.
Amor Dei. n.9.f.44.
Christi imitatio. n.10.f.45.
Religiosi terrenam consolationem quærentes sunt sicut cisternæ dissipatæ, Disc.33.n.9. f.283.
Religiosis periculosum sociari sæcularibus. Disc.37.n.4.f.316.

Reprobus.

Reproborum multitudo. Disc.7 n.8.f.65.

Rex.

Vide Princeps *aut* Prælatus.
Reges olim honorem quærebant in defendenda & propaganda Ecclesia. Disc.31 n.3 fol. 259.
Sanguine gentilium cruentati, sunt sicut generosi venatores n.5 f.260.
Sanguine ovium Christi conspersi, sunt sicut leaniones ibidem f.261.
Caveant Christianorum sanguine conspergi aut pauperes opprimere. n.4 f.260.
Reges tyranni sunt feræ bestiæ ponentes terram desertam. Disc. 43. n. 4. & seq. f 370.

Rhetor.

Rhetores sunt verborum venditores. Disc.39. n.7.f.336.

Rhetorem efficit tribulatio. Disc. 26. n. 7. f. 218.

Rom: Imperium

Ferrum, nunc luto mixtum & fictile. Disc 15. n. 5. f. 127.

Scissum in sectas, stabile esse non potest. n. 5. ibidem.

Signatur per terribilem bestiam Danielis ferreos habentem dentes. Disc. 43. n. 6. f. 370.

S.

Sabbatum.

In solo sepulchro datur Sabbatum. Disc. 14. n. 3. f. 118.

Sabbata Iudæorum puerilia. Disc. 13. n. 1. f. 108.

Sabbata Christianorum ridentur ab hostibus, quia non sanctificantur. n. 1. f. 109.

Sabbatum temporis, mentis, & æternitatis. Disc. 14. n. 1. f. 116.

In hoc mundo non datur Sabbatum. per totum Disc. 14. f. 116.

Mali Sabbatum non habent. n. 1. f. 116.

Iter Sabbati quantū. n 2. & 5. f 117. & 120.

Sabbatum, vid. Festa.

Sacerdotes

V. Prædicator.

In illo requiritur doctrina & veritas. Disc. 25. n. 4 f. 205.

Sacerdos malus est sicut corvus Eliam pascens. n. 5. f 206.

Sacerdotes Angeli. Disc. 19. n. 4 f. 157.

Etiam mali Sacerdotes honorandi. Disc. 25. n. 6. f. 207.

Sunt medici. n. 6. f 208.

Sacerdotes decet gemitus. Disc. 7. n. 5. f. 62.

Quare portent manipulum. ibidem.

Non gemant sub aquis divitiarum, sed super eas ambulent. ibidem.

Sacramentum.

Sacramenta non ideo sancta, si à sanctis administrantur. Disc. 25. n. 5. f. 206.

Sacramenta ministrantur à corvis malis Sacerdotibus. n. 5 f. 206.

Ex latere Christi fluxerunt. Disc. 33. n. 6. f. 280.

Sacramentalis gratia est aquæductus, quem dæmon intercidere conatur. Disc. 48. n. 7 f 416.

Sacramenta sunt columnæ Ecclesiæ. Disc. 21. n. 5 f 174.

Sacrificium.

Sacrificia legis veteris fuerunt tantùm umbra, & ea noluit Deus. liber vitæ, parte 2. n. 3. f. 465.

Sagitta.

Sagittæ parvulorum sunt verba sine operibus. Disc. 25. n. 9. f. 210.

Samaritanus.

Samaritana vocabatur Lucia. Disc. 33 n 5. f. 279.

Samaritanus est Christus Disc. 50. n. 4. fol. 429. & Disc. 23. n 10. f. 194.

Samson

Excæcatus, anima peccatrix. Disc. 4. n. 4. f. 31. & Disc. 48 n 3. & 4 f 410.

Non desperavit vinctus, sed de inimicis ultus. n. 4. f. 411.

Samuel

Excitatus, ambitiosos figurat. Disc. 29. n. 7. f. 245.

Jam mortuus Saulo annuntiat veritatem, & interitum, quia hoc facere nemo vivus audebat. Disc 39. n. 4, f. 333.

Sanctus.

Sanctis non sacrificamus, tamen ad eorum memoriam. Disc. 19. n. 2. f. 155.

Sanctos, non doctos vult habere Christus suos fideles. Disc. 7. n. 2. f. 59.

Sanctis olim abundabat Ecclesia. n. 3. f. 59.

Eorum raritas moderno tempore. n. 3. & seq. f. 60.

Sancti apud hæreticos nulli. n.3. ibidem.
Sanctu antiquis comparati, locustæ sumus. n.4.f.61.
Sancti solum & semper faciunt bonum. n. 7. f.65.
Sancti invocandi. Disc.36.n.8.f.310.
Illu concessit Deus sanitatum gratias. ibid.

Sapientia.

Sapientia Dei mirabilis in redemptione mundi. liber vitæ, parte 1. n. 3. f. 458. & parte 3.n 10.f.480.

Saul

Ob magiam damnatus, quia consuluit Pythonissam. Disc.36. n 5.f.307.
Sauli Sacerdotes & Prophetæ vivi veritatem annuntiare non audebant, ideo Samuel suscitatus. Disc.39.n.4.f.333.
Gladio, quo Amalecitæ contra Dei præceptum pepercit, seipsum interfecit. Disc.42.n.5. f.361.

Scandalosus

Blasphemare facit inimicos Domini. Disc.9. n.4.f.77.
Ecclesiam Dei contemptibilem reddit gentibus. n.5 f.77.

Scandalum

Quid illud sit? Disc.9.n.2.f.75.
Fit per falsas doctrinas. n.2 ibidem.
Mori, quam scandalum dare præstat. n.10. f.92.

Schola.

Schola omnium scientiarum est tribulatio. Disc.26. per totum. f.213.
Schola Tyranni qualis. n.3.f.214.

Scientia.

Scientiam experimentalem boni & mali post peccatum habuerunt primi parentes. Disc. 40.n.3.f.341.

Scopus.

Scopus unus intenditur à jaculantibus & currentibus. Disc.18.n.1.

Scbi

Seba rebellis, figura peccati, quo obtruncato cessat vindicta divina. Disc.51. n. 8. fol. 442.

Sebastianus.

S. Sebastianus Ecclesiæ defensor constitutus. Disc.23.n.6.f.191.

Sedecias.

Sedeciæ regis miseriæ. Disc.20. per totum. f.162.
Maxima olim imprecatio erat, plaga Sedeciæ tangat te. n.9.f.169.

Senex

Docendi inhabilis. Disc.10.n.8.f.89.
Flecti nescit. n.8. ibidem.
Senes adhuc ambitioni subiecti. Disc. 29. n.4.& 6.f.242.& 244.

Sensualitas

Est famula rationis. Disc.12.n.1.f.101.
Figurata in Loth, pascitur in Sodomis. n.2. f.101.

Sensus.

Quinque portæ sensuum custodiendæ. Disc.8. per totum. f.66.
Sensus externi serviunt homini ad explorandæ pericula. Disc.40.n.1.f.339.

Separatio

A Deo summus dolor. Disc.24.n.1.f.195.

Sepulchrum

Dat homini quietem & sabbatum. Disc.14. n.3.f.118.

Serpens, vide aspis.

Siccitas.

Denotat subtractionem verbi Dei & Sacramentorum. Disc.33.n.8.f.282.

Sigillum.

Sigilla septem libri vitæ. parte prima n.2. liber vitæ, f.457.

Silentium

In cœlo & ecclesia. Disc.19.n.3.f.156.

Siloe

Fons vel natatoria, typus Christi. Disc. 33. n.4.f.278.

Sinceritas

Germana animi, honorabilis. Disc.31.n.7. f.263.

Societas

Mala polluit. Disc.37.n.1.f.313.

Maiorus efficaciæ est quam bona, quod per similitudines comprobatur. n.2.f.313.

Quos diabolus non vincit, vincit societas. n.4. f.316.

Simulo canero. n.5.f.316

Ex ea lapsus Petrus. n 9.f.320.

Ferreus est, quem assiduitas non vincit. ibid.

Sol.

Sole solo absente cœlum videtur viduum. disc. 2.n.3.f.15.

Solymannus

Ob scandalosam vitam Christianos contemnit. Disc.9.n.7.f.79.

Spes

Mala, quæ? Disc.50.n.1.f.427.

Stella

Stellæ erraticæ, peccatores. Disc.16.n.4. f.133.

Superior

Vide Prælatus.

Superstitio.

Superstitiones Deo exosæ. Disc.36.n.6.fol. 308.

Nihil iuvant. n.7.f.309.

Subinde diabolus iuvat, ne fidem suam apud homines perdat. n.7.f.309.

Sus

Omnium animalium abiectissimum. Disc.18. n.4.f.148.

Sui anima servit loco salis, ne caro putre fiat. ibidem. f.149.

Susanna

In extrema necessitate Deum adiutorem habuit. Disc.47.n.5.f.404.

Susannam tribulatio docuit orare. Disc. 26. n.7.f.219.

Synagoga

Vxor Christi odiosa. Disc.1.n.3.f.5.

Syren

Cum sua voce demulcens, est mulier. Disc.8. n.7.f.72.

T.

Taceo.

Tacendo etiam polluuntur labia. Disc.39.n. 8.f.337.

Tamerlanes

Bajazetem caveæ includit. Disc.43.n.6. f.37.

Templum

Domus Dei. Disc. 9.n.2.f. 55.

Est cœlum. n 3.f.156.

In eo decet esse silentium. ibidem.

Templa erigimus, & sacrificamus Deo, in memoriam tamen sanctorum n.2 f 155.

Non decet templum musica vana. n.3 f.157.

In templo ridentes, iocantes digni fulmine. n 3.& 6.f.156.& 158.

Denudatæ circa pectus mulieres in Ecclesia sancta, scandalosæ. n.4.& 5.f.157.& 158.

Templorum violatio & irreverentia attrahit flagella Dei & fulmina. n.6.f.158.

Peccata in templis commissa, sunt scelera. n. 6.f.158.

Ob ea Deus auffert templum & fidem. n.9. f.160.

Templum Iudæorum & sancta sanctorum erant tantùm atrium & umbra nostrarum Ecclesiarum. n.8.f.160.

Templorum limina olim osculabantur Christiani. n.8.f.161.

Tenebræ

Sunt hæreses. Disc 3.n.2.f.22.

Terra

Denotat malos. Disc.4.n.3.f.31.

Thamar

Ab Ammon violata, postea maximè exosa. Disc. 42. n. 3.

Theodora

Virgo mirabiliter conservata per commutationem vestium. Excessus am. parte 2. n. 1. f. 503.

Theresia

Quàm devota erga Vener. Sacramentum exiterit? Disc. 21. n. 9. f. 178.

Torcular

Vindicta divina & pœna. Disc. 30. n. 1. fol. 248.

Sunt pressuræ huius mundi. Disc. 32. n. 1. f. 267.

Torquatus

Christianus simulatus ob malos mores à S. Tiburtio non agnoscitur pro Christiano. disc. 17. n. 3. f. 141.

Tribulatio

Est ignis erudiens. Disc. 25. n. 1. f. 203. & 212.

Est schola. Disc. 26. per totum. f. 212.

Est magistra. n. 4. f. 215.

Excutit tineas, sicut pellio ex pellibus eijcit & purgat vermes. n. 4. f. 215.

Facit Rhetores bonos, & docet orare. n. 7. fol. 217.

Docet facere bonas sequelas Logicas. n. 6. f. 216.

Etiam asinos facit Doctores. n. 8. f. 219.

Tribulatio est iugum & virga vigilans. Disc. 27. n. 1. f. 221.

Eam non sentiens, est desperatus. n. 2. fol. 222.

Trochus.

Trochorum more circumagetur peccator instabilis. Disc. 16. n. 3 f. 133.

Tunica

Christi inconsutilis, est Ecclesia. Disc. 45. n. 8. f. 390.

Turcæ.

Turcæ fœtent ut hirci. Disc. 33. *hunc fœtorem abluunt in fonte Siloe.* n. 4.

Tyranni

Schola, qualis fuerit, quam frequentavit Paulus. Disc. 26. n. 3. f. 214.

V.

Valerianus

Imperator excoriatus. Disc. 43. n. 6. fol. 371.

Vas.

Vasa vitrea & lutea fragilia sumus. Disc. 49 n. 4. f. 421.

Venator

Est peccator, qui consolationes terrenas venatur. Disc. 22. n. 2. f. 181.

Est Christus in deserto seu corde peccatoris. Disc. 44. n. 8. f. 381.

Venationum tragici casus. n. 9. f. 382.

Veritas

Odiosa. Disc. 39. per totum. f. 330.

Eam viventium nemo dicere audebat. n. 3. & 4. f. 332.

Veritatem dicens exilia & mortem expectet. n. 5. f. 334.

Apologus de Veritate apud vetulam divertente. n. 6. f. 335.

Si tamen non denuntiatur, omnia in peius abeunt. n. 9. f. 338.

Veritati exosus, est sicut bestia medicum calcibus petens. n. 9. ibid.

Vermis.

Vermes purgat & depellit tribulatio. Disc. 26. n. 4. f. 215.

Vermis Iacob fuit eius filia, & nostri vermes sunt nostri defectus. Disc. 49. n. 8. fol. 425.

Vesuvius.

Vesuvio similis lasciva mulier juvenes deglutiens. D 40. n. 2. f 341.

Plinium secundum enecavit. ibid. f. 341.

Vestis.

Vestium nuditas scandalosa. Disc. 7. n. 6. f. 63.

Vestis baptismalis quomodo polluatur. Disc. 17 n. 2 f. 140.

Vestimentum sit nobis Christus, non diabolus. Disc. 38. n. 7. f. 326.

Vestis Christi sunt fideles. Disc. 45. n. 8. fol. 390.

Via.

Via gentium, est vita gentilis. Disc. 17. n. 1. f. 139.

Vidua.

Viduæ sunt desolatæ, sic anima sine Deo. disc. 2. n. 7. f. 18.

Vinea

Ecclesia. Disc. 51. n. 1.

Virga

Vigilans, est divina vindicta. Disc. 27. n. 1. f. 221.

Virginitas

Animæ & corporis. Disc. 38. n. 9. f. 329.

Virginitas deperdita an reparari queat? ibidem.

Virgo.

Virgines squalidæ ex defectu ornatus interni, & nuditatis. Disc. 7. n. 6. f. 64.

Virtus

Laudabilis in passione Christi enituit. liber vitæ, parte 3. n. 13. f. 480.

Virtutum omnium excessus in Christo patiente. Excessus amor. parte prima. n. 1. fol. 490.

Virtutes sunt viæ Sion & cœli. Disc. 7. n. 1. f. 59.

Virtuti semper annexus est honor. Disc. 31. n. 7.

Virtus debet esse comes nobilitatis. n. 5.

Quæ virtutes nobilem deceant? n. 6.

Virtutes sunt lux, quæ colorem nobilitatis actuant. n. 10.

Vita

Mala non præiudicat bonæ doctrinæ. Disc. 25. per totum.

Nec bona vita emendat malam doctrinam. n. 9.

Vita præsens non habet sabbatum, sed est mera feria sexta. Disc. 14. n. 7. & per totum.

Vita nostra comœdia. Disc. 32. n. 5. f. 270.

A ploratu incipitur. n. 5. f. 270.

Vitæ brevitas est beneficium. n 7. f. 271.

Vita, carcer, exilium, labor, navigatio, peregrinatio &c. n. 9. f. 273.

Vita præsens quantis plena periculis? Disc. 52. per totum. f. 445.

Vitium.

Vitia per bestias signantur. Disc. 44. n. 5. f. 378.

Unicornium.

Unicornium purificans aquas significat Christum. Disc. 46. n 5. f. 396.

Unitas, Unum.

Unitas. vide Pax, Charitas *&c.*

Unum necessarium est Deus. Disc. 18. n. 2. f. 147.

Volupia

Dea, juncta Angeroniæ, cur? Disc. 42. n. 3. f. 370.

Voluptas.

Voluptates sunt domus luteæ, in quibus habitat anima. Disc. 16. n. 7. f. 136.

Cibus porcorum. Disc. 22. n. 2. f. 181.

Indignus homine. n. 6. f. 184.

Sunt sicut cœpe & allia lachrymas provocantia. n. 3. f. 182.

Non satiant. n. 7. f. 185.

Voluptuosi sunt sues. Disc. 18. n. 4. f. 148.

Voluptatem sequitur angustia. Disc. 42. n. 3. f. 370.

Voluptas est aqua sine substantia. Disc. 52. n. 8. f. 451.

Urias
Recusat voluptates, considerans exemplum sui ducis. Disc. 5. n. 10. f. 45.
Ursus
Signabat Monarchiam Persicam. Disc. 43. n. 5. f. 370.
Vulpes
Denotat falsum amicum. Disc. 41. n. 6. fol. 352.
Apologus vulpis cum lupo & gallo. n. 9. f. 355.
Vultur.
Vulturum olfactus intensissimus. Disc. 49. n. 1. f. 416.
Denotant invidos. fol. 17.
Z.
Zopyrus.
Zopyri Persarum regis fidelis ministri mirum stratagema. Liber vitæ, parte tertia. n. 9. f. 477.

FINIS.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN



In Planctu Ecclesiæ & Animæ.

Menda sic emenda.

Littera f. *folium*, c. *columnam*, v. *versum*, & l. *lege*, *denotat.*

FOl. 9. col 1. vers 1. lege, *mœrore.* f. 10. c. 2. v. 22. addè, *vocationem.* f. 13. c. 1. v. 34. l *regiam.* f. 14, c. 1. antepen. l. *vacua.* f. 14, c. 2. v. 18. l. *expectulaturæ* f. 17. c. 1. v. 18. l. *dormientis.* f. 20. c. 1. v. 30 l. *parato.* f. 20. c. 2. v. 5. l. *inordinatum.* f. 22. c. 2. v. 21. l. *Iudaicæ.* f. 25. c. 1. v. 31. l. *filii.* f. 26. c. 2. penult. l. *æterna.* f. 27. c. 1. v. 1. l. *exurrecturos.* f 27. c. 1. v. 2. l *obscuratum.* f. 27 c. 1. v. 9. l. *exclamat.* f. 27. c. 2. v. antepen. l. *ire*, f. 31. c. 2. v. 35. l. *libertate.* f. 35. c. 1. v. 28. l. *qua.* f. 35. c. 2. v. 20. l. *nox.* f. 40. c. 1. v. 27. adde, *ad.* f. 41. c. 1. v. 16. l. *factis.* ibid. v. 28. l. *facultate.* f. 42. c. 1. v. 5. l. *B.* f. 42. c. 2. v. 5. l. *minus.* f. 42. c. 2. v. 6. l. *deliciarum.* f. 47. c. 1. v. penult. l. *corruptus.* f. 50 c. 2. v. ult. l. *hucusq;.* f. 56 c. 2 v. 31. l. *suffurari.* f. 56. c. 2. v. ult. dele *in.* f. 57. c. 2. v. 7. adde *te.* f. 61. c. 1. v. 33. l. *Valentinas.* f. 62 c. 1. v. 26. l. *abundantiam.* f. 64. c. 1. v. 1. l. *sunt.* f. 64. c. 1. v. 31. l. *lugeant.* f. 27 c. 2. v. 17. l. *animam.* f. 74. c. 1. v. 1. l. *magnum.* f. 78 c. 2 v. 10 l. *scandali.* f. 82 c. 2. antepen. l *gaudiū.* f. 85. c. 2. v. 13 l. *corrosivis.* f. 85. c 2 v. 2; dele: *non.* f. 86. c 1. v. 19. l. *quorsum* f. 86. c. 2. v. 12. l. *susceptt.* f. 87. c 1. v. 22. l. *puri.* f. 87. c. 2 v. 10. l. *maiores.* f 92. c. 2. v. 34. l. *suas.* f 92. c. 2 v. 1 . l *pastoritiam.* f. 94. c. 2. v. 20 l. *propter.* f. 99 c. 1 v. 28. l *perpessis.* ibid. c. 2. v 18. l *parabolā* f. 102. c. 1. v. 32. l. *desiderris.* f. 107. c. 1 v. 7. l *infundendam.* ibid. c 2. v. 18. l *educavit.* f 109. c. 1. v. 23. l. *nullo.* ibid. c. 1. v. 34 l. *actibus.* f. *109.* c. 2. v. 25. l. *Decalogo.* f. 1 1. c. 2. v. 22. l. *istud.* f. 117. c. 2. v. 7. l. *cælestem.* f. 119 c. 2. v. 11. adde: *sit.* f. 119. c 2 v. 24. dele *m.* f. 120 c. 2. v. 25. l. *alludens.* f. 121. c 1 v. 10. l. *volucres.* f. 124. c. 1. v. 8. l. *viderat.* f. 127. c. 1. v. 8. l. *constans.* f. 136. c. 2. v. 25. l *meo.* f. 142. c. 1. v. 24. l. *coniugis.* f. 144. c. 1 v 13. adde *non.* f. 149. c. 1 v. 36. l. *anima.* f 150. c. 2. v. 25. l. *omnia* f. 154 c. 1. v. 2. l. *populos.* f. 157. c. 2 v. 26. l. *utpote.* f. 160. c. 2. v. 23 l. *eas.* f. 165. c. 1. v 14. l. *amisso.* f 166. c. 2. v 2 l *quin.* f 167 c 1. v. 26. l. *indixerint.* f. 169. c. 2. v. ult. l. *faciet* f. 173. c. 1. v. 7. dele *ista* f 176. c. 1. v. 25. lege *philosophia.* f. 178. c. 1 v. 27. l. *miraculosè.* f. 179. c. 1. v. 13. l. *premebatur.* fol. 184. c. 1. v. 2. l. *glossatur.* f. 185 c. 1. v. 1 dele, *S.* f 185. c. 1. v. 24. l. *mercenarii.* f. 185. c. 1. v 29. l. *abundant.* f. 190. c. 1. v. 10. l. *monarchæ.* f. 191. c. 1. v. 20. l. *Ecclesiarum.* f. 199. c. 2. v. 6. l. *Seraphino.* f. 201. c. 1. v. 12. l. *specimen.* f. 203. c. 1. v. 20. l. *generaliter.* f. 210. c. 2. v. ult. l. *convenientius.* f. 211. c. 1. v. 1. l. *Arcum.* f. 216. c. 2. v. 12. l. *enthymemata.* f. 219. c. 2. v. 19 l. *consuevisti.* fol. 220. c. 2. v. 14. l. *motus* fol. 221. c. 2. v 21. lege *stupore.* f. 227. c. 1. v. 29. l. *aurugine.* f. 232. c. 1. v. penult. l *pervadare.* f. 233 c. 2. v. 29. l. *miram.* f. 239. c. 2. v. ult. l. *succedente.* f. 241. c. 1. v. 24. l. *inclinat.* f. 242. c. 1. v. 15. l. *frustrabantur.* f. 243. c. 2. v. 24. l. *ut.* f. 251. c. 2. v. 18. l. *es Domine.* f. 254. c. 1. v. 22. l. *filios.* f. 254. c. 1. v. 26. adde *sustinuit.* f. 257. c. 1. v. 21. l. *superficiem.* f. 270. c. 1. v. 16. l. *lactantius.* f. 270. c. 2 v. 3. l. *imbecillum.* fol. 278, c. 1. v. 24. l. *disparati.* f. 279. c. 2. v. 34. l. *Samaritana* f. 289. c. 2. v. 15. l. *ni.* f. 297. c. 2. v. 19. l. *claue.* f. 299. c. 2. v. 20. l. *turpis.* f. 313. c. 1. v. 12.

v. 12. l. *malum*. f. 328. c. 2. v. 22. l. *ſponſus*. fol. 336. c. 1. v. 24. l. *contrivit*. f. 364. c. 2. v. 6. l. *deſertores*. f. 369. c. 2. v. 2. adde, *vulpeculas*. f. 408. c. 1. v. 24. l. *ea* f. 421. c. 2. v. 18. l. *diligit*. f. 421. c. 2. v. 19. l. effectu. f. 422. c. 1. v. 15. l. *diſcooperit*. f. 424. c. 1. v. 11. l. *ingenia*. f. 427. c. 2. v. 28. l. *noſtros*. f. 437. c. 1. v. 8. l. *uvis*. f. 438. c. 1. v. 16. l. *arguit*. f. 462 c 1. v. penult. l. *pretioſo*. f. 485. c. 2. v. 34. l. *clamabunt*, *allegabunt*. f. 486. c. 2. v. 1. l. *volumina*. f. 486. c. 2. v. 25. l. *quaro*.

Alios, qui contra Orthographiam, *& interpunctiones irrepſerunt, errores, facilè benignus Lector ipſe emendare noverit.*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


Planetus
Eccloga seu
Joseph a Rodt.
C
257.
Th
3109